SERIES

COMPENDIORUM THEOLOGICORUM

IN USUM

SCHOLARUM ACADEMICARUM.

COMPENDIUM

THEOLOGIAE CHRISTIANAE MORALIS,

AUCTORE

L. G. PAREAU,

THEOLOGIAE PROFESSORE IN ACADEMIA GRONINGANA.

GRONINGAE

Apud I. OOMKENS,

Academiae Typographum.

1842.

INITIA

INSTITUTIONIS CHRISTIANAE MORALIS.

EDIDIT

L. G. PAREAU,

PHILOSOPHIAE THEORETICAE MAGISTER, LITERARUM HUMANIORUM ET THEOLOGIAE DOCTOR ATQUE IN ACADEMIA GRONINGANA THEOLOGIAE PROFESSOR ORDINARIUS.

GRONINGAE

Apud I. OOMKENS,

Academiae Typographum.

1842.

VIRO CLARISSIMO

J. F. VAN **OORDT**, J. G. FILIO,

AMICO INTEGERRIMO,

S. P. D.

LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU.

Saepissime jucundam Tui, Vir amicissime! recordationem repeto, et sive solus sive cum communi nostro amico, optimo GROTIO, *aut cum egregio etiam successore tuo, dilectissimo nobis* MUURLINGIO, *in memoriam redeo suavissimi illius temporis, quo nobiscum Groningae versabaris, communi studiorum voluntatumque sanctitate, perpetua amicitiae consuetudine et muneris gravissimi consortione nobiscum conjunctissimus. Sed hisce diebus, quibus haec* Initia Institutionis Christianae moralis *typis edenda curabam, imprimis Te cogitavi. Namque cum ante hos decem annos munus Academicum suscepissem et in hac imprimis morali Theologiae parte vitae tabernaculum lubentissime me ponere velle signifi-*

cassem, Tu, singulari sane benevolentia, hanc provinciam, quam aliquamdiu eximie tenebas, mihi tradere non dubitasti. Aliam et finitimam Tu deinceps apud nos provinciam perquam utiliter gessisti, quam et nunc in alma literarum sede Leidensi ornas. Sed mihi insignem hanc praebuisti felicitatem, ut, ad quod animus unice ferebat, in eo studiorum genere magnam vitae partem ponere mihi liceret. Cum igitur de eo animi mei studio et de hoc ipso libro nonnulla mihi dicenda sint, quidni haec publice ad Te scribam, qui hujus operis elaborandi opportunitatem mihi fecisti, qui praeterea inde ab eo tempore, quo in Rheno-Trajectina Academia Literarum Theologiaeque studiis communiter incumbebamus, juvenili jam amicitia me complexus es, quam virilis aetas ad hunc usque diem confirmavit.

Quando in suavissimi illius, quod Trajecti ad Rhenum vixi, temporis memoriam recurro, illic jam rei Christianae moralis studium Divinitus in me excitatum altumque esse, recordor. Et primum quidem Patris mei, quem et Tu coluisti, ut doctorem egregium, ego autem, ut parentem institutoremque optimum et colui et, dum vivam, venerabor; Patris igitur cum domestica tum Academica institutio virtutis veraeque pietatis, Codicis Sacri studio alendae, amorem in me excitavit. Deinde aliorum, quos item magnam partem communes habuimus, Praeceptorum, cum in Theologia

tum in Philosophia etiam, doctrina probitatis sanctitatisque studium mirifice confirmavit. Namque est haec sane nostrorum temporum felicitas, ut, si minus omnes, certe sapientissimi quique non modo Philosophiam sed etiam Theologiam de coelo devocarint et in domos societatemque humanam introduxerint coëgerintque imprimis de vera vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Quo factum, ut Tu quoque, Vir praestantissime! quamcunque demum Theologiae partem tractas, hanc semper vitae humanae Ecclesiaeque Christianae perfectioni veraeque saluti accommodes. Ego autem in hoc ipso summo moralitatis sanctitatisque bono, tanquam rei Christianae totius fine, perquirendo et commendando praecipuum vitae meae constitui propositum. Heusdius *autem ille, quem uterque, ut alterum quemdam parentem, dileximus et constanter amamus, in me hanc vim habuit, ut omnem hominis societatisque humanae emendationem, perfectionem, salutem intelligerem, imo vero persentirem, unice efficiendam esse vera rectaque institutione. Sive enim ille philosophiae Socraticae et Platonicae nos initiabat, hanc nobis ostendebat esse veram hominis atque reipublicae ad virtutem institutionem atque παιδεία. Sive ipse disciplina et consuetudine sua omni mentem acuebat, animum perpurgabat, et quicquid ingenio inerat bonorum seminum excitabat, alebat, dirigebat, ut pro sua quisque vi innata sponte verum videret, pulcrum discer-*

neret, bonum autem sanctumque omne imprimis diligeret; nostra ipsi experientia persentiebamus, quid vera valeret institutio cum ad singulos veri bonique amore imbuendos, tum ad nos invicem communi hoc eximioque amore ad mutuam amicitiam fraternamque consociationem conjungendos. Quo igitur magis equidem, illius institutione praeparatus, ad Codicem Sacrum, imprimis vero ad Divinum nostrum Euangelium inquirendum me convertebam, eo magis mihi sensim clarum luculentumque fiebat, totam Dei cum humano genere agendi rationem esse paternam aliquam institutionem, ipsius autem per JESUM CHRISTUM *actionem ejusdem esse culmen consummationemque, sive perfectissimam esse et plane absolutam generis humani, tanquam unius familiae, institutionem. Non mirum igitur Tibi videbitur, me, jam in Rheno-Trajectina Academia versantem, nihil expetivisse ardentius, quam ut illam Christianae institutionis vim perspicerem et persentirem. Quam cum in plerorumque Theologorum de Ethica Christiana scriptis aut frustra quaererem aut non satis invenirem expositam, pro juvenili ardore atque audacia ipse jam tum exponendam suscipiebam hanc quaestionem, quomodo suos ad mutuum fraternumque amorem* CHRISTUM *institueret atque informaret. Quod cum audacius voluissem, viresque tum coepto impares essent; dolui quidem maximopere, veram Euangelii vim moralem, hominis societatisque humanae institutricem,*

parum etiamnum a Theologis indagatam esse et a plerisque prorsus neglectam. Feci tunc ergo, quod potui, non quod volui, et Commentationem exegeticam scripsi de admirabili illo fraterni inter Christianos amoris encomio Paulino, quod primae ad Corinthios epistolae capite decimo tertio continetur. Neque tamen unquam postea ab eo, quod ardenter expetere didiceram, inquirendo animus destitit. Et cum ad munus Academicum gerendum huc evocarer, tuaque, Vir amicissime! benevolentia illud animi votum expleretur, ut vitam viresque in re morali Christiana indaganda unice ponere mihi liceret, tum vero suavissimum illud sanctissimumque propositum omnibus animi studiis mentisque viribus exsequendum aggressus sum. Itaque, vel me non monente, nunc intelligis, neque Ethicorum Christianorum hactenus editos libros, neque consuetam eorum methodum mihi satisfacere potuisse; sed, quamvis propter rei difficultatem aegre atque gravate, eo me processisse, ut viam ipse mihi sternerem, qua eam, quam animo tenebam, institutionis Christianae vim moralem in luce ponerem. In quo tamen tantum abest, ut equidem vel antecedentium doctorum virorum opera spernam, vel omnia me nova invenisse venditem, ut ejusmodi summorum virorum contemtum et novitatis ambitiosam opinionem levium hominum et vanissimorum esse existimem. Equidem, quod et in ipso libro diserte significavi, summorum quorum-

que virorum quasi humeris insistens perspicere, eorumque ope adjutus assequi quodammodo studui id, quod nostra aetas postulare mihi videbatur, ut propria atque Divina Euangelii vis ad genus humanum informandum perficiendumque magis magisque ab omnibus partibus indagaretur. Quod quatenus assecutus sim, et Tu judicabis et omnes aequi atque idonei judices videbunt. Tu pro ejus, quo erga me es, amicitiae et caritate et vero integritate, benigno quidem, sed et acri utaris judicio!

Multa, Vir optime! habes de vitae meae ante actae ratione a me scripta, qui raro et aegre de me ipso loqui soleo. Sed et haec, quaeso, ita accipias ut non tam de me dicta, quam potius de amicorum optimorumque institutorum meorum erga me beneficio, atque imprimis de Dei, Patris optimi, gratuito atque adorando erga me amore et per universam vitam singulari cura, cui me omnia debere gratissimo profiteor animo.

De Opere ipso pauca admodum monenda habeo. In altero ejus titulo significavi, pertinere hoc ad seriem compendiorum theologicorum, partim jam a GROTIO *nostro editorum, partim etiamnum a me Collegisque meis edendorum, de praecipuis Theologiae partibus omnibus. Cur in hoc compendio de* Institutione *agendum censeam Christiana, satis jam indicavi.* Initia *vocavi disquisitiones hasce, tum quia principia tantum continent, a quibus*

sensim ulterius procedendum est penitiusque in omnem CHRISTI *mentem penetrandum, tum quia sacra illa sunt atque sanctissima adeo, quibus initiandi sunt Juvenes. Secutus sum in hoc appellandi genere exemplum* HEUSDII, *qui de* PLATONE *suo agens, similiter* Initia *nominavit* philosophiae Platonicae. *Et sane si, ut ille loqui amabat, philosophia non nisi τὰ μικρὰ μυςήρια continet, religio autem Christiana τὰ μυςήρια μεγάλα, jure summo dicendi videntur Juvenum animi perpurgandi vereque initiandi, ut veram sanctissimae hujus religionis vim percipiant. Quod multa plerumque, et plura etiam quam alicui fortasse necessarium videatur, dicta ipsius* JESU *ejusque Apostolorum citavi, id et nostrae Protestantium Theologiae consuetudini laudabili consentaneum mihi videbatur, et feci eo consilio, ut Juvenes discerent quam maxime, non ex nostra qualicunque sententia pendere, sed optimos nobiscum duces unumque perfectum Magistrum secuti, ipsi quod vere bonum est Divinumque suo perspicere ingenio. Patrum Ecclesiasticorum aliorumque doctorum virorum loca, quae multa egregia addere potuissem, rarius laudavi, ne congerie eorum, quae a nostris Theologis minus necessaria haberi solent, librum onerasse magis quam ornasse viderer. Sed nolo plura, quae minoris pretii sunt, adjicere. Malo unum hoc de universo, quod tractavi, argumento addere. Quando in universum, quod Deus per Filium suum hac in terra exsequi vult,*

consilium inquiritur, vel fallor equidem, vel aetas nostra magis magisque perspiciet, esse illud imprimis positum in hominis generisque humani ad virtutem, sanctitatem amoremque informatione. Atque adeo sensim magis principem aliquem in omni Theologia Christiana locum tenebit haecce disquisitio de Divina per CHRISTUM *generis humani institutione. Quamobrem equidem et Te, Vir optime! et pios quosque atque sapientissimos Theologos excitandos quam maxime censeo, ut junctis viribus omnes hanc gravissimam disciplinae nostrae partem provehere atque perficere studeant. Equidem hanc in rem, quantum per ingenium Divinitus mihi concessum licet, et feci et facere pergam. Sed, quod in ipso libro etiam significavi, variorum ingeniorum viriumque conjunctarum conspiratione demum id attingi posse videtur, ut ab omnibus partibus perfecte generisque humani totius commodo convenienter Divina haec Institutio exponatur: estque adeo optimorum quorumque conjunctâ operâ ad id enitendum. — Caeterum Tu, amicissime Vir! perge, ut facis, Academiae Lugduno-Batavae ornamento esse Theologiamque et ipsam religionem Christianam eximie commendare. Me autem ea, qua adhuc prosecutus es, amicitia semper complectere; et hasce literas accipe, ut publicum meae erga Te voluntatis atque amicitiae documentum.*

Scripsi d. 11. *m. Junii a.* 1842.

OPERIS CONSPECTUS.

INTROITUS.

DE JESU CONSILIO, QUOD AD HOMINUM ANIMOS INFORMANDOS SPECTAT.

PARS I.

DE HOMINE ET HUMANO GENERE, DIVINITUS PER CHRISTUM INFORMANDO.

SECTIO I.

DE FACULTATIBUS, STUDIIS, DOTIBUS HOMINIS ET HUMANI GENERIS, QUIBUS CAPERE DIVINAM PER CHRISTUM INSTITUTIONEM POTEST.

SECTIO II.

DE CONDITIONE HOMINIS ET GENERIS HUMANI PERVERSA, QUA IMPRIMIS FIT, UT DIVINA INSTITUTIONE INDIGEAT.

SECTIO III.

SOLA DEI PER CHRISTUM INSTITUTIONE PERFICI POTEST, UT HOMO HUMANUMQUE GENUS DEI CHRISTIQUE CONSILIO RESPONDEAT.

PARS II.

DE DEO, HOMINEM HUMANUMQUE GENUS PER CHRISTUM INFORMANTE.

SECTIO I.

UT HOMO HUMANUMQUE GENUS PER CHRISTUM INFORMETUR, AUCTOR EST DEUS.

SECTIO II.

DE RATIONE, QUA DEUS PER CHRISTUM HOMINES HUMANUMQUE GENUS INSTITUIT.

CAPUT I.

DE MODO, QUO AGIT PER CHRISTUM DEUS IN MENTES ANIMOSQUE HOMINUM.

CAPUT II.

HIS, QUAE PER CHRISTUM DEUS AGIT, CONTINETUR HOMINIS ET GENERIS HUMANI INSTITUTIO DIVINA.

SECTIO III.

MENTE ANIMOQUE HUMANO SUSCIPIENDA EST DIVINA INSTITUTIO, UT EA HOMO HUMANUMQUE GENUS REAPSE INFORMETUR.

PARS III.

DE HOMINE ET GENTE HUMANA, QUALIS DIVINITUS PER CHRISTUM INFORMATUR.

SECTIO I.

DE HOMINIS GENTISQUE HUMANAE, QUALIS DIVINITUS PER CHRISTUM INFORMATUR, INDOLE UNIVERSA.

CAPUT I.

DE UNIVERSAE INDOLIS CHRISTIANAE NATURA.

CAPUT II.

DE INDOLIS CHRISTIANAE CONSERVANDAE RATIONE.

CAPUT III.

DE CHRISTIANAE INDOLIS SEQUELIS ET FINIBUS.

SECTIO II.

DE SINGULIS CHRISTIANAE INDOLIS SENSIBUS, VOLUNTATIBUS AGENDIQUE RATIONIBUS.

SECTIO III.

DE INDOLIS CHRISTIANAE INITIO ATQUE PERFECTIONE.

Πάτερ ἅγιε, ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου· ἵνα πάντες ἓν ὦσι, καθὼς σὺ, πάτερ, ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν σοὶ, ἵνα ὦσι τετελειομένοι εἰς ἕν.

JESUS.

INITIA
INSTITUTIONIS CHRISTIANAE MORALIS.

INTROITUS.

DE JESU CONSILIO, QUOD AD HOMINUM ANIMOS INFORMANDOS SPECTAT.

§. I.

Morale habuit consilium JESUS.

JESUS CHRISTUS, dum inter homines versabatur, primarium quoddam consilium in hoc ponebat, ut hominum animos moresque bene informaret. Cujusmodi sanctum consilium uti necessario erat JESU sanctissimo proprium, ita id et ipse verbis declaravit et omnibus modis patefecit. Et vero, quam ille protulit veritatis lucem, hanc animis informandis inservire voluit universam; quamque suis sectatoribus annun-

tiavit salutem, ad hanc se emendandis animis moribusque eos adducere velle significavit. Quare sponte et eius Apostoli et optimi quique Christiani illud in ipso celebrarunt.

1. In Institutionem Christianam moralem inquisituris ordiendum videtur ab eo, ut videamus, num revera JESU CHRISTO propositum quoddam praecipuum fuerit morale (§. I), idque quale ei fuerit proprium (§. III), et qua via atque ratione id voluerit assequi (§. IV). Ita videtur agendum omnibus, Christianae institutionis proprietatem perspicere cupientibus, omniumque maxime iis, quibus persuasum est, esse eam perfectissimam vereque Divinam.

2. Erat autem JESUS et in id, quod bonum Divinumque est, adeo intentus et hominum tantopere amans, ut dicendus sit prae indole sua non potuisse non praecipuum quoddam vitae propositum in hoc ponere, ut animos moresque hominum bene informaret. Qua in re explicanda quaerendum est, et quae sit ejusmodi necessitatis moralis natura atque vis, coll. Matth. XII: 33—35, et quid prosit, alicujus propositum ex tota ipsius indole derivasse atque perspexisse.

Conf. PLATO, *Apolog. Socratis*, p. 28 sq. Steph. et F. HEMSTERHUIS, *Aristée*, *Oeuvr.* T. II. Paris 1809, p. 116 sq.

3. Quod alte animo repositum habebat JESUS morale consilium, hoc saepe disertis quoque verbis declaravit, universe Matth. V: 17, IX: 13, speciatim Matth. V: 19. Joh. XIII: 15 et Luc. XXIV: 46 sq.; praesertim videatur Joh. XVII: 19. Idem vero etiam re factoque manifestavit constanter, cum publice docendo, v. c. Matth. V—VII, tum versando cum amicis, Matth.

XVIII: 1 sqq. Joh. XIII: 34, XV: 12—14, tum vita sua omni ipsaque morte.

4. Morale hoc consilium universi, quod exsequendum sibi proponebat JESUS, negotii praecipuam partem facit eamque cum partibus reliquis necessario conjunctam. Qui enim lucem se mundi esse dicebat, luce hac ad sanctitatem ducere homines volebat Matth. VII: 21—25. Joh. XIII: 17, conf. Matth. V: 48 et Joh. IV: 24, XVII, 17. Et qui Sospitator salutisque auctor omnibus erat, sanctitate veram procurabat salutem, Matth. V, 3—12, Luc. XXIV: 47, conf. Matth. VI: 19, 20. Ex quo sponte elucescit, in Theologia Christiana primarium quemdam locum huic morali disquisitioni esse concedendum.

5. Quod ex omni JESU persona liquet, primarium ei fuisse consilium morale, id sponte ejus Apostoli celebrarunt, Jac. I: 18 sqq. II Petr. I: 3, 4 coll. 5—8. I Joh. III: 5, 8. Eph. II: 8—10. Tit. II: 11—14.—Id ipsum quoque Ecclesia Christiana optimis quibusque aetatibus maxime et experta est et perspexit sensim luculentius.

Conf. F. V. REINHARD, *Proeve over het plan, hetwelk de Stichter des Christendoms tot heil der wereld ontwierp*, *I Afd.*

§. II.

Hoc consilium universe JESU CHRISTO *cum optimis quibusque fuit commune.*

Per omnes generis humani aetates optimi quique semper id egerunt, ut hominum, quibuscum viverent, mores animosque, quantum possent, bene regerent. Ita antiquissimis

temporibus separatarum tunc familiarum vitam patres informabant et Patriarchae, paterna maxime institutione. Communibus sacris plerumque primum familiae variae secum invicem conjunctae sunt, in quibus rudiori tempore unice fere eminuerunt, et festis, poësi, omnique sapientiae genere profuerunt, Sacerdotes. Deinde gentium universarum ad cultum magis procedentium mores regere legibus studuerunt Principes civitatum atque Legislatores. Quibus eloquentiae persuasione opitulari fere solebant Prophetae atque Oratores. Philosophi vero etiam, nonnulli quidem institutione philosopha usi, plerique autem certa ordinataque de moribus doctrina exstruenda, prodesse mentibus animisque excolendis omni aevo studuerunt. Atque sic in universa gente humana alii cultum externum moresque civiles, alii magis internam animi virtutem et erga Deos quoque pietatem spectarunt. Quare et alii legibus aut ferendis aut tuendis vindicandisque, alii vero aut monitis scriptisque suis, aut subtili quadam doctrina, aut denique institutione rem suam agendam censuerunt. Itaque et illorum finium, quos spectarent, et illarum, quibus fines attingerent, rationum viarumque magna cernitur diversitas inter eos ipsos, qui in

egregio morum regundorum proposito universe consenserunt. Quodsi autem illam diversitatem consensumque hunc rite attenderimus; et singularem Christianae institutionis moralis vim rationemque distinguere discemus, et videbimus, quod praestantissimi quique omni aevo exoptarint et quodammodo conati sint, id ipsum et longe etiam excelsius quid illa institutione sua et velle et vero perficere Christum.

1. Gratum accidit homini eique Christiano observare, optimos quosque omni aevo homines quodammodo id ipsum iam egisse et exoptasse, quod perfecit JESUS. Hoc nisi ita esset, dolendum foret, homines nos esse natos. Caeteroquin etiam lucem fulgentissimam perfectissimae institutionis Christianae capere genus humanum non posset. Iam vero non modo optimi quique simile quid efficere conati sunt, sed et nonnulli exoptarunt aut vaticinati sunt, fore aliquando perfectum aliquem Divinumque hominum Ducem; imprimis ZOROASTER, SOCRATES, omniumque maxime Prophetae Hebraei.

De SOCRATE vid. PLATO, *Alcibiad.* II, sub finem, de ZOROASTRE vid. *Vendidad, Fargard* XIX, ed. Kleuker p. 375, 378. Conf. S. K. THODEN VAN VELZEN, *Comment. de hominis cum Deo similitudine*, *Gron.* 1835, P. I, p. 36.

2. Theologis praeterea utilis est haecce observatio. Ita enim videbimus, in mundo etiam morali regnare summam varietatem. Optime etiam sic persentiemus, ideo, quod dicimus, JESUM propositum habuisse morale aeque ac doctrinae moralis scriptores recentiores, nondum opus esse, ut statuatur ille doctrinae quoddam systema

confecisse, ut WOLFIUS, aut, KANTII instar, librum de moribus scripsisse. Omninoque tum demum CHRISTI institutum rite perspicietur, si cum reliquis similibus institutis comparetur et conjunctim spectetur.

Conf. V. HEUSDE, *Epist. ad Creuzerum*, praemissa *Initiis Philosophiae Platonicae* p. 30, sq. Conf. item quae eleganter dixit DE WETTE, *Reformations Almanach* 1817, p. 354 sq.

3. Historia primum in gentibus minus etiamtum excultis patres familiarum atque Patriarchas nobis ostendit, qui iidem et moderatores et judices et duces et sacerdotes suorum erant. Rem autem suam agebant domestica institutione.

4. Conjunctae fuerunt fere familiae variae maxime communibus sacris, in quibus praeibant Sacerdotes, qui, utpote cultissimi, erant monitores et legislatores hominum, et gentium paene patres dicendi sunt.

Conf. V. HEUSDE, *Diatribe in Civitates antiquas*, in *Opp. Instit. Reg.* 1817, p. 5, sq. 21, sp. 24, sq. cf. 26, sq.

5. In gentibus deinde, partim magis ad patriarchicum regimen, partim magis ad fraternam communionem conjunctis, magnam vim habuere Principes et Legislatores. Atque sic leges exstitere, ad quas externis certe moribus se componere cives cogebantur, ut νόμων δοῦλοι.

6. Cum vero parum efficere leges plerumque possent, nisi accederet gentis de earum bonitate persuasio et erga Principes Patriamve amor, quibus mota sponte lubenterque legis jussis obtemperaret; hanc persuasionem atque amorem hunc excitare in animis studebant Poëtae, imprimis Prophetae atque Oratores monendo docendoque.

7. Praeter hos in Oriente Sapientes, in Graecia maxime Philosophi hominum moribus animisque formandis operam dederunt. Quam in rem cum carminibus atque orationibus suis non satis proficeret Pythagoras, Sodalitium informavit, in quo certis adstricti formis regulisque sodales instituerentur.

Conf. J. TERPSTRA, *de Sodalitio Pythagoreo*, Traj. ad Rh. 1824.

8. Liberiore institutione philosopha usus SOCRATES juvenes informavit, amicitia eos secum et inter se invicem jungendo, mentes animosque purgando et intus ingenium animumque excitando: ut singuli pro singulari sua natura sponte *καλοκἀγαθοι* fierent.

Conf. V. HEUSDE, *Init. Phil. Plat.* maxime Vol. II, P. I, p. 52 sqq.

9. Eodem modo procedens sed ulterius progressus, PLATO totam aliquam civitatem a rege *φιλοσόφῳ* per institutionem regi atque informari volebat. Quod cum reapse efficere non posset, fingendo proposuit rempublicam, quae a Philosopho per optimam institutionem informaretur, eoque perduceretur, ut exsisteret in omnibus *ἡ ὁμοίωσις τῷ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.*

Vid. *Libri de Rep.* et *Theaetet.* p. 176. Conf. I. L. G. DE GEER, *Diatr. in Politices Platonicae principia*, Traj. ad Rh. 1810.

10. Postea, auctore maxime ARISTOTELE, ipsius philosophiae loco praesertim doctrinae philosophae variae sunt tractatae, in his etiam de moribus doctrina sive Ethica. Quo factum, ut deinceps Philosophi summo studio plerumque subtilius de morum regundorum

principiis praeceptisque disquirerent aut etiam scientiae ethicae systemata conficerent.

Conf. v. HEUSDE, *Init.* Vol. I, p. 66–70.

11. Hi igitur, qui ita (3—10) omnes hominum moribus informandis operam dederunt, suis quique propriis et admodum variis consiliis finibusque conspicui sunt. Sic alii religionis vim maxime adhibuerunt, alii magis neglexerunt. Civitatis causam spectarunt alii, alii singulorum praesertim hominum perfectionem moralem. Praecipuae autem in iis cernuntur diversitates atque progressiones hae. Familia primum spectata est; tum gens tota patriarchico modo est recta, aut fraterna ratione junctae sunt gentes variae. Legislatio in his externos paene unice mores regere poterat, cui Prophetae et Oratores deinceps animorum persuasionem amorisque excitationem addebant. Philosophi mente tota animoque bonos reddere homines studuerunt eosque informare vere *φιλοσόφους*. Atque in ipsis Philosophis haec etiam observatur progressio, ut, cum plerique antea solos suae civitatis cives spectassent, CICERONIS tempore quodammodo jam laudaretur caritas generis humani.

Vid. CICERO, *de Fin.* V, 23.

12. Neque minor sane viarum rationumque sive methodorum, quibus fines suos optimi quique attingere conabantur, cernitur diversitas. Et imprimis animadvertuntur institutio domestica, omnibus per experientiam ipsam nota; legislatio, mores praesertim externos legibus additisque cum praemiis tum poenis regens; poësis, oratio omnisque doctrina popularis, dicendo persuasionem studiaque excitans; doctrina philosopha et subtilior scientia, in Ethices principia inqui-

rens et ex his praecepta derivans; atque, quae nobis est imprimis accuratissime pernoscenda, institutio excelsior, qua nonnulli maxime antiqui philosophi usi sunt, cujus ratio in XENOPHONTIS *Memorabilibus Socratis* conspicitur, et in PLATONIS *de Republica* libris est descripta.

Conf. v. HEUSDE, *Init.* praesertim Vol. II, P. I, p. 52, 67 sqq.

13. Quodsi rite lustraverimus optimorum quorumque, qui jam ante CHRISTUM morum informandorum negotium susceperunt, conamina egregia, atque cum finium, quos sibi proponebant, tum methodorum, quibus hos fines attingere studebant, varietatem et vim probe perspexerimus; magis erimus praeparati, ut perfectissimae institutionis moralis, a JESU CHRISTO profectae, cum finem propositumve (§. III) tum rationem methodumve (§. IV) quodammodo intelligamus atque aestimemus.

§. III.

Propositum morale, JESU *proprium*.

JESU CHRISTI propositum non eo fuit terminatum, ut vel paucis quibusdam hominibus unive eruditorum hominum generi novam doctrinam, vel uni genti suae leges ferret novas. Imo, et diserte professus est et re factoque ostendit, immensum hoc et excelsissimum sibi esse consilium, ut ad meliorem et novam adeo mentem animumque novum informaret omnium generum gentiumque homines omnes: et ut hos-

ce ea ipsa nova mentis animique indole et secum ipso et inter se invicem et cum omnium patre Deo conjungeret et in omnem aeternitatem consociaret.

1. Quodsi jam reputemus, quomodo et domestica institutione singulas familias regere, et communibus sacris varias stirpes conjungere, et gentium mores legibus temperare, et optimam summamque poëseos et eloquentiae vim ad mentium persuasionem animorumque excitationem adhibere, et philosopha institutione sodalitia amicitiasque, veri et boni studio junctas, efficere, et τῇ τῆς φιλοσοφίας παιδείᾳ totam adeo societatem et rempublicam bonorum condere atque perficere voluerint optimi in genere humano viri, aeque ac scientiae de rebus moralibus systemata condere; hac ipsa consiliorum summa varietate perspecta, liberius inquiremus distinctiusque perspiciemus, quale fuerit a reliquorum omnium consiliis diversum propriumque JESU propositum.

2. Proprium hoc JESU consilium non fuit, ut nova lege ferenda externos aut suae gentis aut quorumcunque populorum mores regeret. Hoc uti e disertis JESU effatis, Matth. XXII: 17. Luc. XII: 14 sqq., omnique de eo, quod in suis asseclis requireret, doctrina, Luc. l. l., effici potest; ita luculenter idem ex omni ipsius vita cernitur, ad regnum externum condendum minime tendente, Joh. XVIII: 36[a]. Confirmat hoc etiam historia, quae docet, neque legem novam a JESU latam neque jus novum ab ipso institutum in genere humano reperiri.

3. Neque ullo modo existimari potest JESUS scientiam novo doctrinae moralis systemate conficiendo prae-

bere voluisse aut aequalibus suis aut generi toti humano. Neque enim aut scripsit quicquam, aut ejusmodi systema memoriae suorum insculpsit. Et docuit ille quidem populari ratione pro opportunitate identidem nata; sed ut praecepta sua, Matth. XXVIII: 20, ita non minus exemplum suum, Matth. XVI: 24. Joh. XII: 26, XIII: 15, imo omnem totius personae suae vim, utpote consiliis moralibus inservientem, Luc. XXIV: 46 sq., commendavit, atque id ante omnia voluit, ut de ipso testarentur, ipsum ubique terrarum annuntiarent Apostoli, Luc. XXIV: 48, Joh. XV: 27, Act. I: 8, conf. I: 21 sq. I Joh. I: 1, 2. Quae cuncta profecto minime spirant philosophum aliquem subtilis cujusdam definitaeque doctrinae ethicae auctorem. Tale etiam definitum subtileque doctrinae σύϛημα, a JESU profectum ipso, in historia non invenitur.

4. Excelsum sibi hocce proposuit consilium JESUS, ut, novam in hominibus mentem animumque novum informando, redderet eos intus et sponte sua verum expetentes cernentesque et boni sanctique amore plenos, ut adeo novus eos spiritus intus ageret. — Quod, quale sit, illustrari quodammodo potest scholae Socraticae placitis de ὀργάνῳ τῆς ψυχῆς in homine excitando purgandoque et de totius animi a tenebris ad lucem ἐπιϛροφῇ, quibus fiat, ut in animo exardescat flamma, quae se ipsa deinceps sustentet et alat. — Tale autem JESU fuisse propositum, uti ex universa ipsius cum suis discipulis agendi ratione (de qua conf. §. IV) cerni potest, ita abunde liquet e disertis maximeque memorabilibus ipsius effatis, Matth. XII: 33-35, XVIII: 3. Joh. III: 3-6. IV: 14, VII: 38 sq. IX: 39, XIV: 17. Act. XXVI: 18. Et vero uti historia docet, a JESU profectam esse communionem hominum novo plane spiritu animatorum eoque

a reliquis hominibus distinctorum; ita Apostoli quoque confirmant, illud ipsum JESU fuisse propositum, Act, l. l. II Cor. III: 36 et 16 sqq. Eph. I. 18, IV: 23 sq. I Joh. IV: 6, 13 coll. II: 27. III: 9.

Vid. PLATO, *de Rep.* L. VII, maxime p. 521, 527, 533. *Epist.* VII, p. 341. Cf. V. HEUSDE, l. l. Vol. II, P. I, p. 52 sqq. P. III, p. 5 sqq. 116 sqq. et C. A. DEN TEX, *de vi musices ad excolendum hominem e sententia Platonis*, Traj. ad Rh. 1816, p. 79.

5. Homines vero JESUS non singulos separatim docere, sed, quod optimi quique et sapientissimi agendum esse semper senserunt (conf. §. II, 1—9), eos conjungere conjunctosque informare atque perficere voluit. Loquebatur ille semper de divina hominum societate, *τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ*, a se informanda perficiendaque, Matth. IV: 17, Luc. XII: 32, Matth. XIII. Ad societatem referebat omnia, Matth. XXIV: 14, item IV: 17, V: 20, VI: 33, XVIII: 3. Hujus se societatis Principem futurum, Messiam, esse persentiebat: et omni sua in homines vi divinam animorum conjunctionem societatemque se unice spectare profitebatur, Joh. XVII: 21, 23. Neque aliunde nisi ex hujusmodi consilio declarari potest summum, quod suorum cum erga ipsum tum erga se invicem amori tribuit, pretium, Joh. XIII: 34 sq. XV: 4 sqq. 12, 17. Historiam si consulamus, patet, auctore JESU revera divinam ejusmodi societatem exstitisse et bene ordinatum hominum, ex ipso Principe pendentium, *σύστημα* esse ortum.

6. Ea autem societas, quam informandam sibi JESUS proponebat, tam excelsae est naturae, ut non modo talis antea exstiterit nulla, sed et nemo unquam talem vel cogitando sibi effinxerit.

Cum tantum non omnes consociationem spectassent civilem, aut saltem certis adstrictam legibus bonorumve etiam externorum communitate junctam (conf. §. II, 3—7, 9); JESUS unice sive moralem, sive spiritualem potius, societatem voluit. Quod ut diserte professus est, Joh. XVIII: 36 sq., ita ad id tendit universa, quam suis dedit, institutio, Matth. XX: 25 28, et spirat tale quid tota ipsius persona atque vita, Matth. IV: 8—10. Luc. XII: 49—53. Societatem novam, solis mentis persuasionibus animique studiis junctam atque distinctam, a JESU ortam, prima rei Christianae historia commonstrat, Act. II: 44 sqq. IV: 32 sqq. Apostolique adeo hanc communionem semper, utpote spiritu uno, *πνεύματι ἑνὶ*, junctam, celebrarunt, I Cor. XII: 13. Eph. IV: 4. I Petr. II: 5. I Joh. IV: 6, 11—13. Conf. Hebr. XII: 22.

7. Neque in eo substitit JESUS, ut studiis quibusdam humanioribus amicitiam animorumque communionem excitaret (conf. § II, 8); imo intimam cum ipso Deo conjunctionem, et hac fundatam mutuam hominum consociationem, spectavit. Et vero uti tota religiosa est, quae ipso auctore exstitit, societas, ita eam ipse Divinam appellabat, *βασιλείαν τοῦ Θεοῦ*, et uti hujus Princeps ipse Dei est Filius, ita omnes Dei reddere filios vult, Divino actos spiritu, atque hoc inter se et cum ipso Patre Deo conspirantes. Vid. omnino Joh. XVII: 21, 23.

8. Et cum ante JESUM, nemine excepto, omnes unam modo aliquam gentem aut in hac etiam genus modo aliquod certum hominum complexi fuerint (§. II, 3—9); ille unus voluit universalem informare societatem illam, novo spiritu eoque Divino animatam junctamque. Et sane, uti ipse diserte pronuntiavit, se sine ullo gentium generumve discrimine velle complecti genus hu-

manum universum, Matth. XXIV: 14, XXVIII: 18. Luc. XIII: 29. Joh. X: 16, XVII: 2; ita historia unicum societatis, quae cujuscumque et generis et gentis homines complectatur, exemplum in communione per JESUM orta ostendit. Et tota JESU institutio, quae in homine unice humanitatem spectat, indole sua spirat auctorem, proposito suo cunctos complectentem homines. Conf. Rom. III: 22—30. Col. III: 11.

9. Quodsi denique videamus, tantam tamque Divinam societatem non modo subsequentibus hac in terra seculis omnibus, Matth. XIV: 18, sed et post rerum in hac terra praesentium finem omni aeternitati a JESU esse destinatam, Matth. XIII: 30, 41—43, eamque indole propria ita esse comparatam, ut non in terra modo perpetua, sed in coelo etiam aeterna esse natura sua possit atque debeat, coll. I Cor. XIII: 8—13; inauditum sane et stupendum et verissime unicum dicemus hocce JESU proprium consilium.

§. IV.

Via ratioque, qua JESUS *suum propositum assequendum duxit.*

Quod cum ante oculos haberet JESUS sublime propositum (§. III), singulari moderatione usus est in delectu viae rationisque, qua id sensim paulatimque assequeretur. Namque ex auditoribus, quibus illam *βασιλείαν τοῦ Θεοῦ* annuntiabat, sibi duodecim tantum discipulos, simplices homines et indoctos, elegit. Hos amore sibi conjunxit et in sodalitium congregavit. Sensim eosdem et

per gradus informavit consuetudine exemploque suo et singulari per omnem vitam Divinitatis suae significatione. Atque cum ita paulatim eorum mentes animique ad ipsius excellentiam erigerentur; tandem suo ex his terris discessu et ad coelestem vitam atque principatum abitu perfecit, ut ab humilibus et terrenis opinionibus et cupiditatibus se converterent ad ipsum, Dei Filium, unice imitandum, et ad coelestem Divinamque ejus mentem voluntatemque prorsus suscipiendam, sequendam et communi consensu atque unanimi studio omnibus commendandam. Sic nata, auctore JESU CHRISTO, Divina hominum societas, ipso deinceps curante, adolevit, atque eodem, quo Apostoli, modo, h. e. cognoscendo atque amando Dei Filio, magis magisque instituitur, informatur et ad suam sensim incressit perfectionem. Quo ipso fit, ut magis magisque ille suum exsequatur consilium per hancce humani generis institutionem.

1. Ad exsequendum tam sublime immensumque propositum societatis in universo genere humano Divinae informandae, facile existimes, aut nullam aut non nisi magnificentissimam aliquam methodum sufficere potuisse. JESUS vero ab initio simplicissimam iniit viam institutionis paucorum hominum: quo Apostolorum suorum instituendorum negotio, ut opere suo his in terris praecipuo, id se assecuturum confidebat, ut aliquando genus humanum totum ad Divinam infor-

maret animorum communionem, Joh. XVII: 4, 6—11, 19—23.

2. Postquam JOHANNES Baptista, et magis etiam ipse JESUS, tam doctrinae excellentia quam factis mirandis et maxime salutaribus, illos homines, aeque ac reliquos populares, praeparare ad τὴν βασιλείαν suam instantem studuisset, illos duodecim perpetuos sibi adjunxit comites et in sodalitium congregavit.

3. Hosce perpetuos suos comites JESUS, χάριτος καὶ ἀληθείας plenus, per omnem suam vitam atque cum iis consuetudinem, sibi reverentia, fide atque amore ita junxit, ut, uno excepto, omnes ei prorsus adhaererent, relinquere eum non possent, suspicerent vero et mirifice diligerent Divinum suum ducem, Joh. VI: 67 sq., sponte sua intelligentes summaque cum animi veneratione profitentes, eum esse Messiam, Dei Filium, Matth. XVI: 15 sq.

4. Quum fiducia intimoque erga ipsum amore discipuli prorsus se ei tradidissent, JESUS paulatim magis capitales eorum errores vitiaque praecipua, in opinionibus cupiditatibusque terrenis posita, aggressus est, ut ipsum minime terrenum Regem, sed Principem Ducemque coelestem et Divinum sectarentur, Matth. XVI: 16—28. Amore conjunctos nihil ab ipso amplius eos avellere poterat, Joh. XI: 16, XIII: 37.

5. Interim simul, communi erga Divinum ducem amore, sodales inter se invicem quoque fuerunt amore juncti et, moderante JESU, vitiis etiam amori mutuo oppositis purgati, Matth. XVIII: 1 sqq. XX: 23—28. Joh. XIII: 4 sqq.; quo exsisteret inter eos vera animorum uno eoque Divino spiritu junctorum communio.

6. Quod vita tota et consuetudine sua magis magisque reapse, ut perspicerent atque persentirent, ef-

fecerat, id ultima vitae mortalis vespera confirmavit, eos disertis verbis docendo, Dei in ipso perfectam cerni imaginem, Joh. XIV: 7—11, eosque monendo, necessarium esse, ut et cum ipso manerent intime perpetuoque juncti, Joh. XV: 1 sqq., et inter se mutuo ut ipsius asseclae et amici consociati, Joh. XIII: 34, XV: 12 sq. 17. cf. 1 sqq. 18, 19.

7. Institutionis hujus negotium, vita sua inchoatum provectumque, JESUS morte sua et in vitam reditu atque in coelum abitu coelestique moderatione sua perfecit. Quibus factum, ut et humilis atque terrena sentiendi cogitandique ratio in discipulis prorsus interiret, et sublimis Divinusque ipsius spiritus in iis plane viveret atque vigeret, atque ita prodiret in his terris divinum amicorum, cum ipso coelesti Duce et inter se invicem conjunctissimorum, sodalitium, quod esset societatis Christianae universalis perpetuaeque seminarium. Conf. Luc. XXIV: 46 sq. Act. I: 13 sqq. II: 1 sqq.

De his Observationibus 2—7 vid. J. J. HESS, *Lehre, Thaten und Schicksale unsers Hernn*, I *Hälfte*, V *Abhandl.* et H. N. LA CLÉ, *de Jesu Christi instituendi methodo, hominum ingenia excolente*, §. 1, maxime p. 24 sqq. Conf. etiam KRUMMACHER, *über Geist und Form der Euang. Gesch.* §. 30, p. 70 sqq.

8. Qua autem JESUS ab initio utendum censuit institutione, secum ipso suos jungente atque ita eos invicem uno Divino spiritu consociante, eâdem hanc societatem vult increscere, adolescere atque per omnes aetates perfici. Id autem efficit imprimis Euangelii praeconio, quo omnes ad ipsum cognoscendum, ipsi sese confidendum, ipsumque amandum perducantur, atque ita Divino ipsius spiritu animentur et in aeternum consocientur, Joh. XVII: 20 sqq.

Conf. *Godgel. Tijdschrift*, *Waarheid in Liefde* 1837. II. p. 356 sqq. et 1838. IV. p. 663 sq. et C. ULLMANN, *über die Sündlosigkeit Jesu*, *zweiter Abschnitt* init.

§. V.

Propositi illius methodique, ad id assequendum ducentis, excellentia. Hujus excellentiae quaenam vis esse debeat in Institutionis Christianae moralis interpretem.

Haec igitur institutio (§. IV) aeque atque illud consilium (§. III), atque adeo totum hoc JESU institutum est plane singulare et excellentissimum et Divinum, omninoque singularem, qui in Dei Filio cernitur, spiritum expresse prodit. Quare videndum, ne varia confundendo singularem CHRISTI vim perdamus. Et possunt quidem atque debent comparationes et illustrationes ex aliorum sapientum virorum institutis et ex naturae judiciis peti: sed non aliunde, quam ex ipsa JESU CHRISTI mente atque voluntate, petenda nobis est Institutionis Christianae moralis intelligentia atque interpretatio.

1. Hoc JESU institutum (§. III, IV) est excellentissimum atque prorsus singulare, sive propositi internam rationem spectes, qua novam mentem animumque novum, humanissimum illum planeque divinum, informare voluit (§. III, 4, 6, 7); sive ejusdem ambitum respicias, quo omnis generis, gentis, aetatis, homines in aeternum voluit perficere (§. III, 5, 8, 9); sive con-

sideres methodi naturam, ad quam et ipsa institutoris indoles perfectissima requirebatur (§. IV, 3—6) et singularis etiam ejusdem fatorum moderatio (§. IV, 7); sive denique ad illius propositi cum hac methodo conjunctionem attendas, in qua mirandum est, tam stupendum propositum JESUM tam simplici ratione exsequi voluisse (§. IV, 1, 8). Haec instituti, a JESU profecti, excellentissima et plane singularis ratio atque vis bene tenenda est ei, qui illud rite penitusque vult intelligere atque interpretari.

2. Ejusmodi consilium methodumque talem neque mente sibi fingere, neque revera exsequi quisquam poterat, nisi qui praestantissima praeditus esset natura, qualem in solo JESU CHRISTO Dei Filio suspicimus. Et sapientia quidem requirebatur divina in illo homine, qui hominum omnino omnium totiusque generis humani indigentiis perfectionique aeternae esset consulturus.

3. Sanctitas esse perfecta debuit in eo, qui et mentis aciem in rem tam sanctam penitus intenderet, et omni animi studio ad eam exsequendam adigeretur, et vero posset sua bonitate omnes bonos sanctosque reddere.

4. Speciatim humanissimus planeque divinus ad id requirebatur amor et *φιλανθρωπία*, qualem suspicimus in Deo, homines cunctos ad summam divinamque perfectionem et salutem adducere volente.

5. Prudentia item admirabilis est in illo JESU CHRISTO, qui nihil festinando pervertit, sed ex minimis initiis maxima succrescere sensim voluit, Deoque et hac in re ille est dicendus simillimus; conf. Matth. XIII: 31 sqq. coll. 24 sqq.

6. Neque minor in eo requirebatur fiducia, tum in Deo rerum omnium moderatore supremo, tum in

divino etiam generis humani ingenio reposita, cum ne moriens quidem de hominibus, ipsum trucidantibus, desperaret, Deumque confideret omnia omnino ipsius consilio convenienter semper esse recturum. Qualis fiducia in illo tantum esse poterat, qui et humanismus ipse erat et cum Deo conjunctissimus.

7. Uti autem hae JESU CHRISTI proprietates singulae eximiae sunt atque divinae, ita excellentia, quam ille in negotio suo sibi proponendo eodemque exsequendo patefecit, prorsus singularis Deoque simillima, posita est maxime in perfecta omnium eximiarum proprietatum consensione atque harmonia.

Conf. S. F. J. RAU, *Orat. de Jesu Christi ingenio et indole perfectissimis per comparationem cum ingenio et indole Pauli Apostoli illustratis*, Lugd. Bat. 1798, p. 32 sqq. et ULLMANN, *Sündlosigkeit Jesu*, ed. 2, p. 26-34, ed. 3, p. 36 sqq.

8. Uti ex his (2—7) effici possit, JESU CHRISTI institutum vere esse Divinum dicendum, ita certe luculentissime apparet, illud negotium prodere auctoris naturam plane singularum, reliquis hominibus omnibus superiorem, et Divinae naturae proximam, qualem in uno illo Dei Filio admirari solemus.

Conf. REINHARD, *Plan van den Stichter des Christendoms*, III Afd. et ULLMANN, *Sündlos.* IV *Abschnitt.*

9. Quodsi ergo quaeratur, quomodo in illius JESU CHRISTI instituto morali rite penitusque intelligendo et interpretando versandum sit; est sane videndum, ut convenienter cum illius excellentissima planeque singulari natura ipsum intelligamus atque interpretemur. Itaque non committendum est, ut illius institutum nostrarum opinionum nostraeve philosophiae alicujus decretis subjiciamus aut ad haec illud contorqueamus. Ex ipsius unice mente proprium excellentissimumque

ipsius institutum est explicandum. Neque tamen existimandum est, ipsius auctoritate quicquam esse sumendum, quod rationis humanae effatis naturaeque judiciis adversari queat. Imo, quid ipsi placuerit, simpliciter est indagandum, confidendumque, id naturae rationique humanae plane congruum fore. Neque omnino aut naturae humanae contemplatio aut summorum etiam philosophorum adjumentum ullo modo spernendum est. Omnia potius omni animi studio adhibenda sunt, ut excellentissimi illius divinique instituti excellentiam divinitatemque si non penitus assequamur, at quodammodo certe intelligamus atque persentiamus.

10. Ex his facile perspicitur, quid in re nostra statuendum sit de quaestione, quae hodieque est agitata, utrum res Christiana perfici possit necne. Quodsi enim quaeratur (*objective*, ut dici solet) de vi, qua humanum genus per JESUM CHRISTUM informatur, haec in institutione ipsius JESU CHRISTI est posita, et Euangelii ope ad homines pertingit. Hujus autem utriusque aut alterutrius mutationem aut perfectionem vel cogitare absurdum est. Institutionis enim ratio tota pendet ab instituentis, Dei Filii, persona atque indole universa, ideoque mutari a nemine, nedum perfici potest. Euangelium autem laetus est de ipso nuntius, qui aut recipi aut rejici potest, mutari aut perfici nullo modo potest. Sin quaeratur (*subjective*, ut ajunt) de iis, quae per JESUM CHRISTUM in humano genere informantur, de mentium animorumque illustratione, explicatione, conjunctione, de doctrinae etiam et Theologiae Christianae natura atque vi, deque omnibus, quibus societatis Christianae aut indoles aut ambitus, ipsius JESU CHRISTI consilio convenienter, provehi queat; haec omnia non modo possunt, sed

et necessario debent ulterius perpetuo excoli, omnibusque viribus constanter perfici, atque adeo, JESU curante, re et facto perficiuntur. Vid. Eph. IV: 10—16.

Vid. KANT, *Die Religion, innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft*, III *Stück*, I *Abtheil.* No. V, VI, VII. KRUG, *Briefe über die Perfectibilität der geoffenbarten Religion*, in opere: *Gesammelte Schriften*, I *Abtheil.* sive *Theol. Schriften*, I *Band*, p. 19 sqq. et AMMON, *Fortbildung des Christenthums.* Conf. *Waarheid in Liefde*, 1838, IV, p. 688 sqq.

§. VI.

De modo, quo JESU CHRISTI *institutio hactenus explicita est. Quomodo nobis videtur explicanda?*

Quodsi historice disquiramus, quomodo per seculorum decursum accepta, explicita, tractata atque adhibita sit JESU CHRISTI institutio moralis; videbimus praesertim, variis hac in re ingenii animique directionibus ductos fuisse sapientissimos etiam optimosque Christianos. Quibus directionibus non separatis sed conjunctis jam nunc indaganda est illa institutio, si velimus eam ab omnibus partibus contemplari generique humano adhibere.

Cum autem, §. I—V, nobis patuerit, JESUM spectasse veri nominis institutionem, eamque totius generis humani Divinam, cumque ad omnem, qua quis informetur, institutionem plane ordinateque perspiciendam tria requirantur, ut

inquiramus, qualis ille sine hac institutione sit, quali igitur hac institutione gaudeat, et qualis, per hanc informatus institutionem, fiat; videtur nobis esse, ex ipsius JESU mente, disquirendum de tribus hisce:

1) de homine et humano genere, Divinitus per CHRISTUM informando:

2) de Deo, hominem humanumque genus per CHRISTUM informante:

3) de homine et gente humana, qualis Divinitus per CHRISTUM informatur.

1. Homini Christiano cultiori cuique, qui opinionum institutorumque praesentium originem perspicere et ex antecedentium etiam seculorum exemplo ad sapientiam virtutemque proficere studet, neque ingrata neque inutilis érit historica disquisitio de modo, quo per seculorum decursum JESU CHRISTI institutio moralis fuerit accepta, explicita, tractata et adhibita. Ei autem, qui hanc institutionem JESU CHRISTI ipsam penitus intelligere aliisque interpretari cupit, ea disquisitio videtur tum summam allatura esse utilitatem, si in historia illa, tanquam in amplissimo quodam theatro, discernere conetur, quomodo variorum ingeniorum, populorum, temporum, homines, CHRISTO dediti, alii ad alia mentem animumque direxerint, ut suis aequaliumque suorum desideriis aliis atque aliis satisfacerent. Ita enim, hac historiae quasi luce illustratus, distinctius videbit, quibusnam diversissimis generis humani desideriis satisfacere ipse CHRISTUS institutione sua velit, et quasnam ergo varias mentis animique directiones in semet ipso conjungere debeat

is, qui studeat, quantum fieri potest, ab omni parte et intelligere et aliis commendare excellentissimam illam divinamque generis humani institutionem.

De institutionis Christianae moralis historia conferri prae caeteris meretur C. F. STÄUDLIN, *Geschichte der christlichen Sittenlehre*, et *Geschichte der christlichen Moral.*

2. Et Apostoli quidem, ut erant immediate ab ipso JESU CHRISTO informati, ita et purissime et efficacissime ejus mentem retulerunt, atque pro viribus suis ad alios instituendos adhibuerunt. Et omnes quidem eo modo, quo ipsi informati erant, alios informare studuerunt, id est per fidem habitam JESU CHRISTO. Quamquam hujus effata moralia doctrinamque JACOBUS imprimis spectabat, PETRUS et JOHANNES cum doctrina universam JESU personam, PAULUS totam unice CHRISTI apparitionem constanter ob oculos habebat. Universa vero etiam mentis animique directio, pro vario singulorum ingenio, varia fuit. Legem moralem Divinitus latam perfectam laudabat justissimus JACOBUS. Poenarum Divinarum metu a perversitate revocabat, imprimis vero felicitatis olim futurae spe, per JESUM CHRISTUM facta, ad hujus exemplum virtute etiam difficillima imitandum incitabat PETRUS. Euangelii, gratiam Divinam in CHRISTO annuntiantis atque novum sic in homine spiritum informantis, vim praedicabat ubique PAULUS. Et dum hicce, Apostolorum eruditissimus, explicate dilucideque de singulis rebus ratiocinando atque ex historia experientiaque communi naturam humanam explorando, ad philosophiae laudem proxime accedebat; JOHANNES optimis omni aevo mysticis maxime placere debuit, utpote in intimis animi sensibus non describendis sed effundendis potissimum versans, constanterque perfectam cum Dei Filio atque patre Deo communionem spectans.

3. Apostolici Patres fere imitari Apostolos studuerunt, horum tamen vim excellentiamque non attingentes. Veneratio excellentium illorum CHRISTI ministrorum jam apud eos ita apparet, ut ex illorum auctoritate non raro unice pendeant. Ipsius CHRISTI spiritu in iis minus, quam in Apostolis, vitae antecedentis vestigia sunt delata. BARNABAS, natu Judaeus, novam a JESU legem latam censuit, qua lucis et tenebrarum viae hominibus proponantur, ut inter has sponte eligant: idem instantis maxime judicii Divini cogitatione et spe resurrectionis futurae a vitiis deterret, ad officia incitat. POLYCARPUS simplex est, sed parum suus; puram habet doctrinam, sed e scriptis N. T. fere serviliter pendentem. IGNATIUS, contra Docetas et Judaizantes disputans, Johannem quidem et Paulum secutus est, sed, adspectabilis imperii et principatûs studiosior, ecclesiarum unitatem in Episcoporum auctoritate, virtutis culmen in martyrii laude, posuit. Ad Pauli et Euangelicam vim et philosophicum ingenium propius, quam reliqui, accessit CLEMENS ROMANUS. HERMAS et pristinis Ethnicorum opinionibus multis favere perrexit, et mysticis suis placitis, magis quam JESU CHRISTO, est delectatus.

4. Qui post hos ad Constantinum usque excelluerunt Ecclesiae Patres, magis magisque optima quaeque, quae antea in philosophia aut jurisprudentia fuerant inventa, cum Euangelio jungere et CHRISTO subjicere conati sunt, et tum hoc ipso tum aliis modis a pristina religione avitisque moribus cunctos ad sapientiam, justitiam sanctitatemque Christianam informare. Quo facto non pura quidem ab omnibus partibus mansit, sed insignem in modum magnoque cum vigore explicata atque propagata fuit res Christiana. Cernitur autem in his maxime ingeniorum

diversitas diversissimaque animorum directio. Et Graeci quidem, de libertate omnique natura humana philosophantes, atque *τὸν λόγον*, in optimis quibusque hominibus vigentem, in solo autem CHRISTO perfectum, laudantes, philosophiam cum Euangelio jungere studuerunt. Uti autem hi philosophiam maximam, ita Latini perfectam legislationem a CHRISTO profectam existimabant. Sed in omnibus ut gentium, ita etiam singulorum varia cernuntur ingenia. JUSTINUS MARTYR, vir *φιλοσοφώτατος*, philosophiam in Ecclesia introduxit. Philosophorum placitis illustrare Christianam scientiam studuit doctissimus CLEMENS ALEXANDRINUS. *Μυστικώτεροι* sunt morumque simul severitate spectabiles, inter Graecos, philosophus ORIGENES, et, inter Latinos, orator TERTULLIANUS. CYPRIANUS omnium *νομικώτατος* dicendus est. Uti autem has tres ingeniorum directiones varias illi viri cum moderatione sequebantur multisque diu Christianis placebant, ita iisdem immoderatius obsecuti sunt, qui hoc tempore Haeretici sunt habiti, Judaeo-Christiani, legis antiquae studiosissimi, Gnostici, philosophia sua exsultantes, et Montanistae, mysticis sensibus prorsus abrepti, quique his vitae asceticae studio similes erant Manichaei.

5. Quodsi deinde ad Carolum M. usque historiam Ecclesiae lustremus, occurrunt nobis quidem etiamnum Graeci Patres magis philosophantes, Latini legis imperiique ecclesiastici magis studiosi; sed cernitur tamen majus efficaciusque dominium rei Christianae in summorum virorum ingenia. BASILIUS MAGNUS uti de hominis natura philosophatur, ita imprimis patefactionem Divinam laudat, et C. S. effatis rem moralem lubentissime provehit. CHRYSOSTOMUS uti est philosophia non destitutus, ita a S. librorum exegesi plerumque proficiscitur ad virtutem sanctitatemque Chris-

tianam Demosthenea eloquentia commendandam. Inter Latinos AMBROSIUS Ciceronis quidem *de Officiis* libros imitatur, sed C. S. normam in omnibus sequendam inculcat. LACTANTIUS vero omni veterum sapientiae opponit Euangelium JESU CHRISTI, Θεανθρώπου. AUGUSTINUS dialectica et eloquentia sua omni utitur, ut gratiam Divinam extollat. Caeterum Mystica ratio et Monastica inter Graecos in CHRYSOSTOMO non raro, inter Latinos in HIERONYMO prorsus cernitur. Dogmaticam ecclesiasticam cum mystica ratione conjunxit AUGUSTINUS. Liberiori et ad philosophiam practicam composito ingenio fuit, cui ille sese opposuit, PELAGIUS. Hic gratiae Divinae, ille naturae humanae excellentiam non satis tenebat. Denique laudandus est, qui Augustinum maxime admirabatur, mystico studio ei similis, sed ad dogmaticam contemplationem minus, ad disciplinam practicam magis compositus GREGORIUS MAGNUS.

6. Deinde ad Reformationis usque tempora variae illae mentis animique directiones apud varia hominum genera quam maxime distinctae cernuntur, ut haec singula fere ab una tantum aliqua parte, neglectis reliquis, rem Christianam contemplarentur et proveherent. Postquam enim orbis antiqui Graeci Romanique cultus paene totus interiisset, novarum gentium Germanicarum ingenium sub Ecclesiae Christianae regnantis tutela sensim explicari coeptum est, et puerilia ejus exercitia in scholis, a Carolo M. fundatis, cerni possunt. Quapropter exspectari vix poterat, statim deinceps omnes ingenii vires ad justam harmoniam fore compositas, sed aliis alii ingenii viribus communem Ecclesiae causam agére studuerunt. Et philosophice quidem, quantum per adolescentiae ruditatem licebat, rem suam egerunt Scholastici, ut JOHANNES SCOTUS

ERIGENA, PETRUS LOMBARDUS, THOMAS AQUINAS et deinde ANTONINUS Florentiae Archiepiscopus. Scholasticis, nimis soli faventibus intelligentiae, fere sese opposuere Mystici, PSEUDO-DIONYSIUM AREOPAGITAM sequentes ducem, obscuriori animi sensui atque phantasiae phaenomenis inhaerentes, uti BERNARDUS, RICHARDUS, TAULER; moderatius paulo et ad vitam bene et cum ratione degendam utilius GERSON et THOMAS A KEMPIS. Mystici hi partim Monachi erant ipsi, partim Mysticis, vitam contemplativam impense laudantibus, simillimi fuere Monachi alii permulti, in vita ab hominum societate remota pietatis culmen ponentes. Ad legislationis, in externis quibusdam operibus haerentis, imperiique adspectabilis formam omnia redigere Papae et Ecclesiastici studuerunt, atque jus Canonicum certum constituerunt. Ministrarunt iis ferè Casuistae. Ab his Ecclesiasticis hominibus distincti et his etiam oppositi fuerunt, qui Euangelicam paulo magis sequebantur sentiendi rationem, partim a C. S. lectione profecti, ut Waldenses, WICLEFUS, HUSSUS; partim literis humanioribus philosophiaeque Platonicae studio praeparati, ut FICINUS; partim philosophiae Platonicae amorem literasve has cum N. T. studio jungentes, uti ERASMUS et, qui Euangelica sentiendi ratione reliquis omnibus praecellit, WESSELUS GANSFORTIUS.

7. Ex his ingenii directionibus diversis Reformationis tempore et deinceps, saeculo XVI et XVII, aperta exstitit principiorum, in re Christiana morali tractanda, pugna. Et Euangelici prorsus dicendi sunt Reformatores, LUTHERUS maxime et MELANTHON, ZWINGLIUS etiam et vero CALVINUS. Horum vestigiis insistentes deinde ad certum systema Ethicam informare studuerunt inter Reformatos primus DANAEUS,

dein inter eos AMYRALDUS et LA PLACETTE, inter Lutheranos CALIXTUS et, qui recentiorem summorum Jurisconsultorum philosophandi rationem potius, quam antiquam in scholis Aristotelis auctoritatem, sequi malebant, SCHOMER et THOMASIUS. Philosophiae vero imprimis juxta C. S. exegesin permultum tribuebant, qui a reliquis Protestantibus fere impugnati fuerunt, Sociniani, e quibus CRELLIUS inter primos Ethicae systematicae auctores est nominandus. Socinianis in re ethica non dissimiles postea fuere Remonstrantes. Reformationis vero adversarii Jesuitae veterem Ecclesiasticorum et Casuistarum rationem omni doctrinae vi et vero astutia vindicare studentes, ad summum suum culmen evexerunt istorum rationem prorsus legalem et a solis auctoritatibus Ecclesiasticis pendentem, per suam Ethicam plane Sophisticam. Qui his in ipsa Ecclesia Romana sese aperte et constanter opposuerunt, Jansenistae, aeque ac Reformatores, Euangelicam sequebantur sentiendi rationem: iidem vero Augustini, quem, pariter atque Reformatores, summo loco habebant, mysticam speciatim animi directionem, magis quam illi, sunt secuti, eâque Jesuitarum sophismata profligare studuerunt. Universe in Ecclesia Romana pietatis defectui esse opposuere Mystici, cum ex Jansenistis complures, imprimis PASCAL et NICOLE, tum et alii, veluti DE SALES, MOLINOS et eum sequentes Quietistae, atque celeberrimus facile omnium FENELON, item MALEBRANCHE. His inter Protestantes non dissimiles sunt, qui sterilem orthodoxiam impugnarunt et Pietistarum consociationes plurimas effecerunt VALENTINUS ANDREAE, ARNDT et maxime SPENER. Quod autem hi moderatius in Germania tentarunt, id, contra Ecclesiae Anglicanae torporem insurgentes, furiosius conati sunt Quakeri.

8. Denique post illud multiplicium et vehementium non raro pugnarum tempus, inde ab initio saeculi XVIII, aetas exstitit sedatior et critica dicenda. Philosophiae ope omnes paene communiter Ethicam Christianam indagare et perpurgare studuerunt, et sic in permultis ad se invicem multi proprius accesserunt, dum plerique ad perfectius Ethices systema exstruendum conspirabant. In Anglia, Gallia et Germania nonnulli suis disquisitionibus eo processerunt, ut statuerent, doctrinam moralem JESU CHRISTI variis partibus impuram esse minimeque perfectam, eoque ipso effecerunt, ut et penitius Theologi et simplicius et magis philosophice Ethicam Christianam indagarent. Hi autem ipsi Theologi Christiani morales alii magis philosophos Jurisconsultos secuti sunt, uti BUDDEUS; alii deinde Wolfium, ut BAUMGARTEN et quodammodo etiam, qui antiquis quoque philosophis plurimum usus est, REINHARD; alii religiosam magis philosophandi rationem adamarunt, ut CRUSIUS; alii philosophos Anglos sectati sunt, uti LESZ; alii multi postea Kantium, uti SCHMID, AMMON, VOGEL, LANGE, STÄUDLIN; Friesium alii, uti DE WETTE; alii denique sive eclecticam sive suam philosophandi rationem sequi maluerunt, uti SCHWARZ, BAUMGARTEN CRUSIUS, KÄHLER. Philosophiae vis critica, verum a falso in re Ethica discernere studens, communiter hac aetate in cunctis ita regnavit, ut Romano-Catholici etiam Protestantium philosophia saepius hanc in rem sint usi. Vel sic tamen hac quoque ipsa aetate variae illae, quae antea semper adfuerunt, ingeniorum directiones etiamnum sese manifestarunt. Et nonnulli quidem aut legalem atque juridicam formam Ethicae dederunt, uti BUDDEUS, aut ex singulis certe C. S. praeceptis legibusque paene unice sapere voluerunt, uti MOSHEIM

et TITTMAN. Contra Theologiam moralem Biblicam, ab Ethica Christiana distinctam, historice enarravit BERGER et maxime BAUER, et legalem atque juridicam rationem quam longissime ab Ethica etiam philosopha removendam suasit SCHLEIERMACHER. Philosophiae vim usque adeo in Ethica Christiana urserunt nonnulli Kantii sectatores, ut ex iis ipsis moderatior VOGEL id, quod philosophum et quod Christianum in ea inesse censendum esset, distinguere studuerit. Neque defuerunt hac etiam aetate prorsus, qui Mysticorum sentiendi rationem in nonnullis certe referrent, quod patet cum in Hernhuttis tum in Methodistis. Et fuerunt quoque, qui privam propriamque rationem Euangelii servare atque explicare studerent, cum alii, tum in patria nostra VITRINGA, in Germania REUSS, posteaque FLATT.

9. Haec, quae a plurimis, iisque partim summis in Ecclesia Christiana viris, jam praestita sunt, tantum abest, ut contemnenda censeamus, ut, his demum nitentes et quasi erecti, videamur altius etiam exsurgere posse atque ita in eo consistere loco, unde Divinam JESU CHRISTI institutionem ab omni parte rite contemplari atque generi humano adhibere discamus. Quare Apostolorum, utpote immediate ab ipso JESU institutorum ipsiusque spiritum purissime efficacissimeque patefacientium, ope constanter, reliquorum vero etiam Doctorum, quatenus eidem JESU CHRISTI spiritui obsecuti fuisse videntur, opera lubenter utendum existimamus. — Speciatim autem variae illae ingenii animique directiones, quas observavimus ab initio inde constanter alias aliis ita fuisse proprias, ut iis nominatim satisfacere studerent, non sine numine et moderatione ipsius JESU CHRISTI in Ecclesia viguisse videntur. Iis videtur, ex ipsa Ecclesiae Principis

JESU CHRISTI mente, esse satisfaciendum. — Et vero *legem* Divinam si universe dicas Divinae voluntatis patefactionem, quae sit vitae societatisque humanae norma, hanc certe nobis praebeat necesse est institutio Christiana, quae homines vult ad conspirationem cum mente atque voluntate Dei adducere eoque ipso illos consociare (§. III, 5, 7). Cum vero hoc ipsum universumque propositum suum JESUS CHRISTUS Divino amore, Divina *χάριτι* exsequi voluerit (§. IV, 3, coll. §. V, 4); luce clarius est, *Euangelii, gratiam Divinam annuntiantis, vim* in morali institutione Christiana esse praecipuam debere. Quodsi porro reputemus, in mystica ratione verum esse hoc, quod animi sensus velit divina omnia, intimam maxime cum Deo communionem, experiendo percipere, atque si simul teneamus, animo, non minus quam ingenio, homines nos esse, Christianam autem institutionem eo tendere, ut ad intimam, qualis amori propria est, cum Deo communionem nos adducat (§. III, 7); *mysticae* hujus directionis veritati obsequendum sane judicabimus esse necessario. Neque minus *philosopho* inquirendum ingenio existimabimus, si teneamus, homines nos esse, et hominem JESUM humanissima institutione omnis generis nostri naturam humanam ad suae Divinitatis consortionem velle informare (§. IV, conf. §. V, 6). Ita enim agnoscemus, nobis, Divinam illam institutionem intellecturis atque interpretaturis, perpetua opus esse indagatione et ingenii, quo humanum genus gaudet, et finis, ad quem tendit, et methodi, qua ingenio suo ad sibi propositum finem accedat; verbo, perpetua opus esse naturae humanae indagatione, in qua ipsa proprie sita est vis philosophiae.

10. Uti autem et ex his dictis (Obs. 9) et ex ipsa

disquisitione historica (2—8) abunde liquet, eum, qui cupiat ab omni parte institutionem Christianam rite perspicere generique humano adhibere, non unam modo alteramve, sed omnes illas ingenii animique directiones conjunctas sequi debere; ita facile intelligitur, non licere *eclectice*, ut dici solet, tum hanc tum illam directionem in hac illave parte institutionis Christianae explicanda adhibere, aut quasi alienam aliquam vim extrinsecus ei inferre. Imo ex ipsa institutionis illius, e sola JESU CHRISTI mente interpretandae, natura omnia sponte profluere et *genetice*, ut dicitur, explicari debent ita, ut variae illae ingenii animique directiones cunctae ubique native et harmonice vim suam exserant. Itaque *Euangelium*, gratia Divina homines ad Divinae mentis voluntatisque *normam* informans eosque ita Divina conjungens societate, sic debet explicari, ut et *animo* intime sentiatur et *ratione* perspicue perspiciatur, illud naturae omni hominis generisque humani satisfacere. Hoc jam videtur negotium esse, quod aetati peragendum incumbit praesenti. Quod ut peragere difficile est homini, qui ad aliam aut aliam fere ingenii directionem natura magis compositus atque pronus esse solet, utque adeo perfecte consummare id nemo unquam poterit; ita id tentandum tamen est omnibus, conjunctisque viribus cuncti ad perfectionem magis magisque attingendam debent adspirare.

Nos §. I—V in propriam consilii methodique JESU CHRISTI naturam excellentiamque consulto inquisivimus, ut ex hac ipsa jam deinceps genetice et, quantum nobis licebit, ab omnibus partibus harmonice explicetur institutio Christiana moralis. Videtur id eo, qui in hac §°. indicatus est, ordine agendum. Sed inscribitur tota disquisitio nostra nomine *Initiorum*,

tum quia sacra est, in quam initiamur, et Divina prorsus res institutio Christiana moralis, tum vero maxime, quia haec nostra disquisitio initia tantum et principia et quasi rudimenta continet, a quibus incipientes perpetuo magis perfectiusque in intima sacra Christiana debemus penetrare, ut ad genus humanum per JESUM CHRISTUM instituendum plane fiamus *Θεοδίδακτοι*.

PARS I.

DE HOMINE ET HUMANO GENERE, DIVINITUS PER CHRISTUM INFORMANDO.

SECTIO I.

DE FACULTATIBUS, STUDIIS, DOTIBUS HOMINIS ET HUMANI GENERIS, QUIBUS CAPERE DIVINAM PER CHRISTUM INSTITUTIONEM POTEST.

§. VII.

Primae hujus disquisitionis necessitas.

Ante omnia ad hominis et humani generis, Divinitus per CHRISTUM informandi, facultates, studia, dotes attendendum est. Etenim, licet hoc a permultis saepe neglectum sit, tamen verissimum est, institutionem nullam, et excellentissimam quamque minime, prodesse quicquam posse, nisi ei, qui mentis animique et naturâ et saepe etiam cultu quodam aptus sit ad illam capiendam suscipiendamque.

1. Quodsi qua officiorum doctrina aut praeceptorum quoddam systema nobis esset exponendum, posset fortasse omnis de anthropologia morali disquisitio omitti. Nunc cum veri nominis institutio nobis sit interpretanda (§. III, 4, §. IV), hac ante omnia disquisitione opus est. Institutio enim nulla aut penitus intelligi, aut juste aestimari, aut ab omni parte rite adhiberi potest, nisi perspiciatur, alumnos et ingenio esse ejus capaces, et animo indigentes, et saepe etiam ad eam suscipiendam praeparatos aptosque. Deus autem cum per CHRISTUM non tam singulos, quam conjunctos potius et universum genus humanum instituere velit (§. III, 5, 8), nobis ex ipsius JESU CHRISTI mente non modo de singulorum hominum ingenio atque indole agendum est, sed de generis humani anthropologia.

2. Et de ingenio quidem humano, institutionis per CHRISTUM divinae capace, ante omnia nobis constare debet. Institutio enim nulla prodesse potest, nisi et ingenio et saepe etiam cultu quodam praevio ad eam suscipiendam aptus sit homo. Quod uti naturae corporeae similitudine illustrari queat, coll. Matth. XIII: 5. Joh. IX: 41, ita luculentissime intelligitur ex hominum ratione praeditorum comparatione cum brutis animalibus, quae ad bonum justumque distinguendum diligendumque institui ne ab ipso quidem Deo possunt propterea, quod sunt *ἄλογα ζῶα*, cf. II Petr. II: 12. Idem vero etiam appareat, si ad picturam, musicam, aut ad sublimiores disciplinas ipsamque philosophiam instituere homines aut ingenio ejus rei non capaces, aut omni praeparatione destitutos, coneris.

Rem suo jam tempore rite indicavit BERNARDUS CLAROVALLENSIS, in libro *De gratia et libero arbitrio* c. I. Rei causam, in creationis Divinae ratione positam, explicuit

P. HOFSTEDE DE GROOT, *Insrit. Theol. Nat.* ed. 2. §. 20, Obs. 6, 7, 9. Cf. V. HEUSDE, *Init. Ph. Plat.* Vol. II, P. I, p. 77.

3. Quamvis autem certum id sit exploratumque; tamen omni aevo haud pauci fuere, qui ad insita humanae naturae atque in variis hominibus etiam varia studia facultatesque parum attenderent. Non modo in vita communi parentes multi et doctores ea negligunt; sed et in historia generis humani nobis occurrunt maxime Sophistae, vasi cuidam, in quod omnia extrinsecus infundi debeant et possint, animum humanum comparantes; neque minus post Lockium philosophi quidam recentiores, tabulam rasam appellantes mentem hominum. Quapropter et in antiquitate Socratis *μαιευτικῇ*, et recentiori aevo Kantii critica rationis humanae disquisitione opus fuit, ut ingenii humani vera natura in luce poneretur.

Cf. V. HEUSDE, *Init. Ph. Plat.* Vol. II, P. I, p. 3, 16, 17, 44, 45, item p. 53.

4. In Ecclesia Christiana, quamdiu simplicior naturae sententia viguit et Socraticae etiam philosophiae vis magna fuit, vix quisquam ea de re dubitavit. Post Augustinum vero, qui, ut gratiam Divinam merito extolleret, naturam humanam immerito censuit deprimendam, exstiterunt permulti, qui stipiti aut trunco, quam naturae ratione praeditae hominem proponerent similiorem. Quamquam paene semper non defuerunt, qui cum Bernardo Claravallensi gratiae Divinae naturaeque humanae excellentiam conjungendam existimarent. Recentioribus nostrisque temporibus, juvante critica Kantiana et dein etiam antiquae philosophiae Platonicae studio, magis magisque agnoscitur ingenii humani vis et excellentia. Quo magis videndum, ut, disquisitione de JESU CHRISTI mente

instituta, hanc agnitionem ulterius etiam provehamus.

Cf. HOFSTEDE DE GROOT, l. l. §. 34.

§ VIII.

Hominibus inest ingenium, ad vera bonaque aptum.

Hominibus autem, sana mente praeditis, omnibus inesse ingenium, ad res bonas, sanctas, divinas cum intelligendas tum aestimandas aptum, non modo disertis verbis JESUS eumque secuti Apostoli affirmarunt; sed, et hi saepius et ille semper maxime, id egerunt, ut ipsum hominum de rebus moralibus judicium excitarent, sensum boni justique insitum acuerent, veri bonique studia naturalia, eaque pro cujusque ingenio diversa, suscitarent et inflammarent, societatis, benevolentiae omnisque virtutis initia et quasi semina foverent alerentque; quo naturae vis, ab ipsis excitata, confirmata beneque directa, optimos quosque proferret fructus.

Ex hac eorum docendi agendique ratione facile a nobis colligi potest, quomodo, si de singulis ingenii humani viribus quaeratur, statuere convenienter JESU sententiae liceat. Et mentem quidem si spectas, ut haec ad alia omnia, ita

ad vera, bona divinaque percipienda, discernenda, invenienda valet intelligentiâ, judicio, ingenioque, stricte ita dicto. Ad animum si attendis, hicce natura ad id factus est, ut rebus laetis tristibusque atque bonis malisque actionibus moveatur, et laetis illis bonisque delectetur, tristia haec malaque aversetur, et ad illa appetenda, ad haec fugienda impellat. Voluntatem si respicis, haec non modo vim appetendi fugiendique habet, sed etiam libertatem eligendi, utrum quidque appetere velit necne; qua fit, ut possit homo, non coactus, sed sponte sua volens agere. Uti autem observatione alios cognoscere, ita sui conscientiâ homo potest sua cogitata, sensa, studia noscere, judicare et approbatione aut improbatione digna aestimare.

Hae facultates viresque, uti universis, sana mente praeditis, hominibus communes sunt, ita in aliis aliae majores aut minores cernuntur. Ex quo ipso nascitur in genere humano, cum infinita ingeniorum varietate, admirabilis quaedam naturae harmonia.

1. Jesus ejusque Apostoli, cum non docti quidam psychologi sed hominum institutores essent, non tam in describendo, quam potius in informando hominum ingenio versati sunt. Vel sic tamen interdum disertis verbis nominarunt facultates rerum divinarum capaces, quas humanae tribuebant naturae. Jesus ipse sae-

pius mentis *ὀφθαλμὸν* laudabat, quo cernere homo divina et possit et debeat, ut hoc ductus totum regat animum, Matth. VI: 22 sq. Luc. XI: 24 sqq. Idemque homini *καρδίαν* tribuit, qua et appetere coelestia et diligere queat, Matth. VI: 21 col. 19, 20. Luc. XII: 34. Apostoli universe rationis facultate hominem ab *ἀλόγοις ζώοις* distinctum proponunt, II Petr. II: 12. Speciatim vero *νοήματα* sive *νοῦν* ei tribuunt, quibus ad Deum cognoscendum venerandumque pervenire et divina omnia cernere atque admirari queat, Rom. I: 20, II Cor. IV: 4, coll. III: 14 sq., et *συνείδησιν*, ad bona quaeque impellentem judiciumque morale instituentem, Rom. II: 14, 15, conf. 10 et I: 32.

2. Iidem etiam, et ipse quidem JESUS praecipue, homines, licet peccato etiamnum subditos, sic describunt, ut multa in iis animadvertant bona, imprimis aliquam *φιλανθρωπίαν* et amorem quemdam, quo certe aliquantum Dei referant imaginem, Matth. V: 46, Luc. VI: 32 sqq. XI: 13. Act. XXVII: 3, col. 43, Act. XXVIII: 2, 7, 10. Imprimis in JESU parabolis describuntur homines, bona quaeque et sentientes et volentes et non raro etiam imaginem Divinae bonitatis exhibentes, Matth. XVIII: 12, 25 sqq. 31, 33, Luc. X: 30 sqq. XI: 5 sqq. XV: 22. Quibus, licet non significaverit aut omnes aut plerosque tales esse, certe indicavit, tales nonnullos esse aut saltem natura sua esse posse.

3. Sed omnium maxime attendendum est ad methodum, qua illi in edocendis informandisque hominibus versarentur. Quod si agas, vides Apostolos saepius, JESUM plerumque sic versari, ut insitas hominibus facultates excitarent iisque proprias vires et suscitarent et elicerent et regere studerent. Non raro

JESUS ex ipsis hominibus quaerendo elicit judicium, de rebus moralibus faciendum, Matth. XVIII: 12 coll. IX: 5, XII: 11 sq. Luc. VI: 9. Aut etiam reprehendendo excitandoque suscitat vim de rebus divinis judicandi, Matth. XVI: 3. Luc. XII: 54 sqq. XIII: 15 sq. Joh. VII: 24, conf. omnino Joh. IX: 41. Idemque excitat in iis vim ingenii, quod sponte sua invenire, quae bona sunt et salutaria, queat, Luc. XVI: 8 col. 4, et vim admirabilem, animi conscientiae propriam, Joh VIII: 4 sqq. Neque raro significat, ab ipsorum hominum, eum cognoscentium, voluntate pendere, utrum per eum serventur necne, Joh. V: 39 sq. VIII: 44. Similiter interdum Apostoli agunt, sive mentis judicium spectes, Act. IV: 19. Rom. I: 20, 32, II: 1. II Cor. IV: 4, sive animi conscientiam, Rom. I: 22, II: 15.

4. Saepissime etiam, si quae proferunt aut etiam latius exponunt JESUS et Apostoli, nihil agunt aliud, nisi quod adjuvant ipsorum hominum judicium atque ita excitant insitum animo sensum studiumque et bene dirigunt proprias animi mentisque vires. Sic JESUS a rebus vitae communis, de quibus omnes recte judicabant et sentiebant, eos erigere ad sublimiora consueverat, ut in his pariter insitum naturae judicium sensumque sequerentur, Matth. XII: 11. Luc. VI: 9. XI: 5, 11. XIII: 15. Conf. PAULUS, Rom. VII: 1 sqq. XI: 18. I Cor. IX: 7, 25. Pariterque parabolis suis plerumque aut speciale quoddam factum ad oculos depingit, aut causam similem proponit, ut ipsi inde discant homines de universali agendi modo aut de causa simili eademque sublimiori rite judicare atque sentire, Matth. XVIII: 12, 23 sqq. XXI: 33 sqq. Luc. X: 30 sqq. XV: 2 sqq. XVII: 7. Conf. Matth. XII: 25 sqq. Luc. XIV: 7. Scilicet mentis oculum,

a futilibus et humilioribus ad vere bona divinaque convertere studebat, ut insita vis animi, ab ipso directa, optima quaeque efficeret; vid. Matth. XVI: 3. Luc. XII: 54—57. XVI: 8. cf. Joh. VII: 23 sq.

5. Neque tantum hac methodo utebantur JESUS ejusve Apostoli in rebus minus sublimibus, I Cor. IX: 7—11, sed et in gravissimis, Joh. VIII: 4 sqq., atque maxime sublimibus, Luc. XIV: 28—33. I Cor. IX: 25 cf. Matth. V: 43—48. Et vero, quae JESUS e suis parabolis (laud. Obs. 4.) effici ab ipsis audientibus volebat, erant placita sensaque longe omnium maxime sublimia, de fide Divinae in condonando clementiae habenda, de benevolentia, in Dei cultu, ritibus externis praeferenda, de condonandi necessitate in iis, qui velint sibi a Deo condonari, de amore, non unius gentis limitibus circumscribendo, sed ad ipsos adeo inimicos extendendo.

6. Imo vero hanc methodum iidem non modo adhibebant ad sententias eliciendas virtutesve commendandas, ad quas philosophia etiam humana quodammodo escendere per se ipsa queat. Sed et in commendanda fide, JESU CHRISTO patefactionique in ipso singulari habenda, in amore erga CHRISTUM excitando, in hominibus per CHRISTI vim ad pietatem Christianam adducendis, et ecclesiae Christianae sodalibus secum invicem consociandis, atque adeo in omnibus, quae JESU CHRISTI instituto priva sunt et propria, quaeque non nisi Christiana philosophia perspicere potest, similiter egerunt.

Et verbis quidem indicant, homines mentis suae oculo Divinam, in CHRISTO conspicuam, praestantiam cernere posse, II Cor. IV: 4; ipsâ naturâ sic comparatum esse eorum animum, ut dummodo CHRISTI excellentiam et vim salutarem cognoscant, eam sibi

sponte appetant, Joh. IV: 10; naturâ hominibus esse proprium, ut fidem habeant vera testanti, atque adeo omnium maxime Deo, de JESU CHRISTO testanti, I Joh. V: 9. Item Dei Christique erga nos amor cum amore, qui inter homines locum habet, comparatur, ut significetur, illius vim esse eandem debere, quae solet esse hujus vis naturalis in animos humanos, Joh. XV: 13 sq. Rom. V: 6 sqq. coll. 5, et VIII: 32. Indicatur etiam, naturâ proprium esse hominibus, ut ejusdem indolis socios diligant et societatis ejusdem participes ament, atque hoc naturae humanae fundamento superstruitur communio omnis sociorum in ecclesia Christiana, Joh. XV: 17—19. I Joh. IV: 5, 6. I Cor. XII: 12 sqq.

Neque aliud est, quod re factoque agendum censuerunt JESUS ejusque Apostoli in hominibus ad Christianam pietatem societatemque informandis. Ipse Dei Filius verbis, factis, consuetudine, vita, morte fatisque suis omnibus sese amicis Apostolisque suis patefecit, qualis erat, ut hi mentis oculo sponte ipsum cernerent amabilem aeque atque admirabilem, ut, pro naturae humanae vi atque ratione, sponte ei se confiderent, ut ipsius amore ad redamandum eum adducerentur, atque ut hi, ejus amoris sui indolisque suae communione, inter se mutuo jungerentur. Conf. §. IV. Eodemque modo agebant ejus Apostoli, JESUM CHRISTUM Dei Filium simpliciter hominibus annuntiantes, hac certa persuasione ducti, fore ut homines, quotquot mentis animique viribus naturalibus rite uti vellent, hac mentis vi sponte conspicerent JESU CHRISTI unisque veri Dei praestantiam, et his animi sensibus studiisque ingeneratis sponte impellerentur, ut et fidem Deo atque CHRISTO haberent, et hos amarent, et hoc amore cum perficerentur ipsi tum inter se invicem

consociarentur. Itaque in Euangelii quasi speculo contemplandam praebent Divinam CHRISTI praestantiam, ut hanc mentis insito oculo contemplantes homines omnes imitentur, II Cor. III: 18—IV: 6. In idololatris etiam sensum naturalem grati erga beneficum animi, studiumque superioris Divinaeque naturae reverentiâ prosequendae agnoscunt, et propter id ipsum confidenter unum verum Deum eumque et supremum et beneficentissimum iis annuntiant, Act. XVII: 22 sqq. In omnibus hominibus vident conscientiam, qua se peccatis commaculatos, poena dignos miserosque agnoscant atque ideo Conservatore JESU CHRISTO indigentes, Rom. I, II. Totum Euangelium ut rationi humanae non *ἄπιστον* commendant, Act. XXVI: 8. Universam pietatem Christianam ut *λογικὴν λατρείαν* celebrant, Rom. XII: 1. Imo rationi humanae ingenioque hominum, per CHRISTUM bene directo, ipsi relinquunt, ut videat quid deceat, quid *ἀληθὲς*, *δίκαιον* et *ἁγνὸν* sit, Phil. IV: 8.

7. Tuto igitur concludimus, ex JESU CHRISTI mente non sic statuendum esse de natura humana, quasi extrinsecus ei inferri vis omnis veritatem videndi, aut infundi extrinsecus sensus omnis rerum divinarum vel debeat vel possit, vel quasi ipsa sit vasi cuidam aut tabulae rasae aut stipiti truncove assimilanda. Imo uti corpori oculus, ita menti vis omnia vera cernendi inest. Estque ingenio ad optima quaeque proferenda aptus homo, ejusque animus assimilandus est agro, qui, dummodo impedimenta tollantur semenque bonum spargatur, vi sua et *αὐτόματος* proferet fructus optimos, Matth. XIII: 4 sqq. Marc. IV: 26 sqq. Est illud ingenium excitandum quidem, excolendum, dirigendum et ad divina omnia convertendum, sed ingenium est, quod, ita informatum, arbori est si-

mile, sponte fructus bonos proferenti, Matth. XII: 33 sqq.

Ad has Obs. 1—7 conf. omnino H. N. LA CLÉ, *de Jesu Christi instituendi methodo, hominum ingenia excolente.*

8. Haec universa, quae ex toto Euangelio elucescit, JESU CHRISTI de ingenio humano, rerum divinarum capace, sententia (1—7) uti ad intelligendam adhibendamque institutionem Christianam moralem necessaria, ita et sufficiens esse videtur. Quodsi vero nos, philosophice in hanc JESU mentem inquirendo, praeterea distincte de singulis ingenii illius humani facultatibus viribusque agere velimus, videntur convenienter huic JESU sententiae statui complura posse de vi cum mentis, tum animi, tum voluntatis humanae in rebus moralibus.

9. Et menti quidem propria est cum facultas, quae, recipiendo cogitandoque, et percipit et intelligit moralia omnia atque bona divinaque, tum vis, quae, discernendo conjungendoque, et judicat de iis et vero etiam invenit procreatque rerum moralium ideas atque adeo de rebus divinis ratiocinatur. Vid. Obs. 1, 3, 4, 6. Est ergo menti partim magis passiva facultas, partim magis activa vis.

10. Animi cum mente ea est conjunctio, ut et mentis perceptiones, judicia inventaque sentiat animus, vicissim animi sensa impulsionesque mens percipiat, dijudicet et de iis ratiocinetur. Animus ipse uti partim magis est passivus in sua sentiendi facultate, ex qua sensus, perturbationes etiam commotionesque oriuntur, ita partim quoque est magis activus in vi sua impellendi incitandique, quae ardorem, iram incitationesque parit. Sentiendi illa facultas duplici se modo exserit. Vel enim per nostri ipsorum

conscientiam oritur τὸ παθεῖν, vel per aliorum observationem τὸ συμπαθεῖν. Uti autem varii sunt sensus, veluti ejus quod gratum, pulcrum, verum, bonum est; ita hinc natae impulsiones sunt variae: et in rebus moralibus quidem maxime observandae sunt impulsiones ad felicitatis studium et ad studium veri bonique. Causa vero, cur aliquid gratum, pulcrum, bonum esse sentiamus, et grato, pulcro, vero, bono delectemur, a contrariisque aversemur, posita est in ipsius animi natura. Quare de boni malique discrimine, de eo quod oportet et quod dedecet, deque virtutis et perversitatis meritis pronuntians ratio certis utitur, et in ipsa animi natura, a Deo orta, immutabili fundatis, sensibus. — Universe vidd. Obss. laud.; de passiva animi ratione speciatim conf. Luc. X: 21. XIX: 41; de activa ejus vi Joh. II: 17. Tit. II: 14; de discriminis bonum inter malumque sensu, fundato in animi natura, Divinitus sic conformata, vid. Rom. II: 15.

Vim animi activam maxime descripsit PLATO, *de Rep.* IV, p. 439 sq. et *Phaedro*, p. 247. cf. V. HEUSDE, *Init.* Vol. I, p. 87 sqq. De boni malique discrimine, in ipsius animi natura insito, conf. CICERO, *de Rep.* L. III, c. 17.

11. Voluntatis sive volendi facultatis haec est cum mente animoque conjunctio, ut mutuo a se invicem afficiantur, mutuoque in se invicem agant. Illa mentis perceptionibus cogitationibusque et hinc ortis animi sensibus impulsionibusque afficitur, unde nascuntur studia, appetitus, voluntates, hominem agitantes, ut hic nitatur coneturque id assequi, quo ducit mens animusque impellit. Haec studia si ex animi impulsu, nulla intercedente ratiocinatione, orta sunt, appellari *appetitus cupiditates*que solent. Sed et quae in volendi facultate sunt studia et appetitus

vicissim in mentem animumque sic agunt, ut ea percipiat, de iis judicet atque ratiocinetur mens, et animus his denuo perceptionibus, judiciis, ratiociniis affectus impellat: quo ipso nova oriuntur studia. Atque haec, quae deliberato consilio homini sunt, studia, speciatim *voluntates* dici consueverunt. — Eo autem ipso fit, ut homo possit libere velle, utque necesse ei non sit sinere, se causis extrinsecus cogentibus ad volendum determinari. Est haec quidem libertas non ita intelligenda, quasi homo a nulla re externa pendens agere atque efficere omnia possit, quae agendi libertas uni congruit omnipotenti Deo; neque ita proponenda, quasi res animum circumdantes et hominum institutio providentiaeque Divinae cura nullam vim ad voluntatem regundam habeant, quae *αὐτάρκεια* unius Dei est, sibi omnino sufficientis; nec denique sic intelligenda est, quasi mentis judiciis animique sensis flecti neque possit neque debeat voluntas: quod si verum sit, nunquam vere libera rationique lubenter obsequens fieri queat, nedum Divinae voluntati, sapientia sanctitateque rectae, similis. Sed impulsionibus extrinsecus incitantibus vel resistere vel obsequi, suarumque cupiditatum vim retinere potest homo, donec secum ratiocinatus fuerit, sitne iis obsequendum necne. Potest ergo, hac libere eligendi facultate, homo sic velle, ut causa, cur ita velit, in hoc ipso sit posita, quod voluntatem ipse suam sic disposuit. Si hac facultate non utitur, sua ipse culpa cogi se patitur; sin utitur, re ipsa libere vult, etiamsi vel, quod vult, agere atque efficere nequeat. Hanc libere volendi facultatem humano ingenio propriam esse posse, liquet ex modo, quo cum mente animoque voluntas est conjuncta. Eam revera nobis esse propriam, nostri nos conscientia docet.

Et vero nisi hujus rei certo nobis essemus conscii, nullo unquam modo statuere possemus, nos ipsos aliosque homines oportere bonum velle, et, si nolimus, culpandos, sin velimus, comprobatione esse dignos. — Universe conf. Obss. laud. Speciatim, non semper *agendi* libertatem homini esse, enuntiatur Joh. XIX: 11, conf. Rom. XII: 18. Extrinsecus accedentibus impulsionibus, Dei maxime cura, opus esse, liquet Joh. XV: 22. Rom. IX—XI. Posse vero homines libere eligere, velintne his uti necne, apparet Rom. IX: 30, 32. X: 2, 3. cf. 4 sqq. 18, 21. XI: 21, 22, 28. I Cor. IX: 24. Jac. I: 13, 14 maxime Joh. VIII: 32, 44. Hac facultate qui non utatur, sua esse culpa servum, videas Joh. VIII, 34. XV: 22, 24. Rom. VIII: 7; qui utatur, esse revera *αὐθαίρετον*, II Cor. VIII: 3, 17.

Conf. HOFSTEDE DE GROOT, *Inst. Theol. nat.* §. 21 Obs. 7, 8.

12. Quae saepe in rebus moralibus laudatur conscientia, non est singularis quaedam facultas, rationi humanae addita et ab animo sentiente atque volente separata. Sed ut observatione alios, ita nostri sive animadversione sive conscientia nosmet ipsos cognoscimus; atque adeo etiam ut illos, intercedente observatione, ita nosmet, per nostri conscientiam, judicamus et culpandos probandosve esse sentimus. Conf. omnino Rom. II: 15.

13. Hae facultates (9—12) sunt quidem cunctae cunctis, sana mente praeditis, hominibus communes, et haec ipsa communio *συμπαθείας* omnisque societatis humanae moralis fundamentum constituit. Neque tamen, in institutionis moralis contemplatione, negligenda est ingens humanorum ingeniorum varietas, cum hac naturae humanae communione juncta. Ut in

aliis phantasia, memoria, intelligentia, ingenii vis procreatrix, pulcri judicium, boni sanctive sensus, *συμπάθεια*, impulsio animi, voluntatis vis major est ingenita, in aliis minor, ita in aliis aliud naturâ dominari facile potest. In unoquoque homine aetatum varietas facultatum magis minusque vigentium varietatem afferre solet. Et ut vultu corporisque forma, ita non minus ingenii singulari conformatione inter se similes, ab aliis autem distincti fere sunt cum familiarum, tum gentium, tum generis humani aetatum singularum homines. — Hanc ingeniorum varietatem a characterum descriptoribus historicisque imprimis observatam, ab Ethices vero magistris saepissime neglectam, schola Socratica in re quoque morali tenendam judicavit. — Eandem a JESU in suis discipulis observatam et ad Divinae causae emolumentum adhibitam esse, videas cum ex Joh. I: 43, 48. Matth. XVI: 18, tum ex omni eorum institutione ad id directa, ut ipsi salva ingeniorum diversitate maxima eodem cuncti spiritu Divino animarentur. Apostoli quoque, communem in omnibus hominibus agnoscentes naturam Divinam, Act. XVII: 26, 28 sq. Jac. III: 9, non minus et gentium, et in singulis hominibus aetatum, et vero maxime in iisdem dotum cum mentis tum animi diversitatem maximam observarunt, tantumque abfuerunt, ut hanc tollendam institutione Christiana censerent, ut ex hac ipsa praecipuam quandam vim oriri existimarent, ecclesiae Christianae, tanquam corporis, uno quidem spiritu animati, sed variis admodum membris constantis, perfectricem, Rom. XII: 3 sqq. I Cor. XII. Eph. IV.: 7. I Joh. II: 13 sqq. I Petr. IV: 10. — Unus est in toto genere humano dotibus ingenii omnino omnibus plane absolutus, JESUS CHRISTUS, universi ingenii humani perfecta

imago. Reliqui omnes, illius ducti spiritu, pro suo quisque ingenio et dotum suarum modo, ad universae humanitatis perfectionem conspirare debent. Sic genus humanum disposuit Deus ille, qui in varietate maxima summam esse harmoniam voluit.

De hujus rei neglectu apud Ethicos vid. SCHLEIERMACHER, *Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre*, I *Buch*, I *Abschn. fin.* ed. 2, p. 57 sqq. Ex characterum descriptoribus laudasse sufficiat THEOPHRASTUM, PLUTARCHUM, NIEMEIJERUM *Karakterkunde des Bijbels*, W. A. OCKERSE, *Ontwerp tot eene algemeene Karakterkunde*, Traj. ad Rh. 1788. Alios etiam laud. CLARISSE, *Encyclop. Theol.* ed. 2, p. 550. Addi meretur S. F. J. RAVII *Oratio de Jesu Christi ingenio*, p. 12 sqq. Inter historicos, gentium et generis humani aetatum diversitatem imprimis observavit VAN HEUSDE, *De school van Polybius of Geschiedkunde voor de negentiende eeuw.* Quod ad scholam Socraticam attinet, de SOCRATE vid. V. HEUSDE, *Init.* Vol. II, P. I, p. 68 sq., de PLATONE, ipsius *de Republ.* L. III, p. 415, et de Socrate Batavo, HEMSTERHUSIO, ipsius Dialogus *Simon*, *ou des facultés de l'ame*, Opp. T. II, p. 281 sqq. 286 sq. De Apostolorum institutione conferri potest *Waarheid in Liefde* 1840, I, p. 64 sqq. Et quae de ipsius JESU excellentia diximus, uberius exposita sunt cum a RAVIO, in *Orat.* laud. tum ab ULLMANNO, *Sündlosigkeit*, ed. 3, p. 39—41.

§. IX.

Illud ingenium est prorsus divinum.

Nemo unquam de naturae humanae facultatibus tam magnifice excelseque sensisse videtur, quam JESUS ille, qui humanum genus aptum judicabat ad suscipiendam perfectissimam et

plane Divinam ipsius institutionem. Hoc autem JESU judicium manifesto etiam judicium est illius, qui eum hominibus institutorem praebuit, Dei. Quocirca, quod optimi quique et perspicacissimi viri omni aevo obscure senserunt atque quodammodo significarunt, id, ex JESU CHRISTI ipsiusque Dei mente, nobis luculentissime constat, naturam homini esse, uti Divinitus ortam, ita Deo cognatam Divinaeque perfectionis omnino capacem; ut verissime dicendum sit ingenium homini inesse divinum.

I. Cum luculenter patuerit (§. VIII), ex JESU mente non novas in homine facultates creandas aut extrinsecus infundendas esse, sed ingenitas mentis animique vires intus esse excolendas, ut Divinae institutionis propositum attingat genus humanum; jam nunc ex consilii, quod ille sibi proposuit, excellentia concludere licet, quantae sublimitatis veraeque divinitatis capax censuerit ingenium humanum. Itaque cum homines velit omnes ad summam secum ipso conspirationem similitudinemque erigere (§. III), ipse autem homo fuerit prorsus Divinus, patrique Deo simillimus Filius (§. V, 2—8); non potuit non, siquidem prudens erat institutor, existimare certoque statuere, et cognitionis sapientiaeque Divinae et omnino Divinae virtutis perfectionisque, qualis in ipso erat, capax esse generis humani ingenium. Vid. Matth. V: 45, 48. cf. II Cor. III: 18.

2. Haec, quae JESU CHRISTO erat sententia, ipsius quoque sententia est Dei. Qui enim Filium ad id ipsum misit, ut ad Divinae perfectionis culmen gentem

humanam erigeret, Pater eo ipso ostendit, judicare se ingenium humanum divinitatis capax. Quid, quod ipsum illum sui simillimum Filium in terris ut hominem patefaciens, Deus in hoc homine luculentissime manifestavit, naturam humanam divinitatis plane esse capacem. Qua propter in illo generis humani totius τύπῳ perfecto cernimus, non genere diversam, nedum oppositam, esse naturam humanam atque divinam; sed licet specie aut gradu distinctum, genere atque natura congruum, cognatum idemque esse id quod vere humanum et id quod divinum est: et vero homines omnes, qui Divini illius JESU ἔκτυπα fieri debent, ingenio suo ad hoc esse natos, ut fiant indole Deo similes, *θείας κοινωνοὶ φύσεως*. Vid. II Petr. I: 4. cf. Hebr. II: 5 sqq. *

* Conf. *Memorab. Socratis Xenophontea*, L. I. C. IV. §. 14.

3. Patet igitur, ex JESU CHRISTI ipsiusque Dei mente, ingeneratam esse genti humanae divinam facultatem, quippe divina perspicere, persentire, sibi informare, expetere atque velle et efficere valentem. Neque mirandum ideo, primos jam JESU Legatos sic pronuntiasse, *Θεοῦ γένος* esse homines et *καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ γεγονότας*, Act. XVII: 28 sq. Jac. III: 9, utpote qui manifesto ingenium humanum censerent, uti Divinitus ortum, ita natura sua divinum, divinae perfectionis capax, quod adeo ut Deo cognatum est, ita ad Dei indolem referendam natum est factumque.

4. Haec generis humani cum Deo cognatio ab antiquissimis inde temporibus ab optimis quibusque obscure sensa vel etiam clarius fuit pronuntiata. Uti in Orientalium religione ille sensus universe dominatur, ita apud Hebraeos purissime efficacissimeque est pronuntiatus, v. c. Gen. I: 26 sq. V: 1. XI: 6.

Psalm. VIII: 6. cf. Joël III: 1 sqq. Apud Graecos Romanosque, uti in mythis, ita clarius etiam in recentiori poesi, omnium autem clarissime in philosophia Socratica pronuntiatum est, hominem ad Dei esse similitudinem erigendum, utpote ingenio Deo cognatum. Quod ergo optimi quique obscurius senserunt, intelligentissimi quodammodo cogitarunt, id Divinitus in JESU CHRISTO, homine Divino, homines omnes ad divinitatis exemplar informante, luculentissime patefactum est.

Vid. OVIDIUS, *Metam.* I, 76 sqq., PINDARUS, *Nemeor.* VI, 1 sqq., CLEANTHES, *Hymn. in Jov.* XENOPHON, *Mem. Socr.* L. I, C. IV, §. 8, 14, de PLATONE, V. HEUSDE, *Init.* Vol. I, p. 87 sqq., CICERO, *de Legg.* I, 8, SENECA, *Epist.* 92. Et universe conf. omnino VAN VELZEN, *Comm. de hominis cum Deo similitudine*, P. I.

5. Atque ita nos, clarius etiam quam antiqui philosophi, perspicere, quod divinum in hominis ingenio est, possumus. Uti universe ratione spirituve brutis animalibus superior Deoque cognatus est homo; ita speciatim ingenii vi procreatrice Creatoris aliquam refert imaginem. Ut universe animi naturâ, in qua ipsa veri, pulcri bonique et ejus, quod his contrarium est, discrimen immutabile insitum est, homo similis est Deo, perfecto et aeterno veri, pulcri bonique exemplari; ita speciatim volendi facultate libera liberrimi Dei naturam refert. Quo autem magis homo excolitur perficiturque, eo magis, ut postea videbimus, apparet ipsius ingenium ad infinitam tendens perfectionem Deoque infinite perfecto simile.

E recentioribus philosophis, qui hoc argumentum tractarunt, laudandus est imprimis HEMSTERHUSIUS, in annot. ad *Lettre sur les désirs*, Op. T. I, p. 90 et in dialogis *Aristée* atque *Simon*, T. II, p. 115, 289 seq., qui

et ibi observavit, quo magis excolitur homo, eo magis ipsius cum Deo cognationem apparere, hac in re secutus PLATONEM, *Rep.* L. X, p. 611. — Conf. etiam L. HÜFFELL, *Brieven over onsterflijkheid*, epist. 4, vers. Belg. p. 21 sqq. 26 sqq., et V. HEUSDE, *Init. Ph. Plat.* Vol. II, P. III, p. 223 sqq.

§. X.

Humani generis ingenium excultum et Divinitus ad Christum praeparatum est.

Cum autem singulorum hominum facultates, nisi exerceantur et excolantur, nihil prodesse, nedum excellentissimam institutionem capere possint; Deus non modo singulos corpore instruxit apto, cujus ope vires mentis explicari possint, sed et homines cum hominibus in societatem conjunxit, ad sensa quaeque et studia humaniora cum excitanda tum provehenda unice idoneam, iisdemque conjunctis universam rerum naturam spectandam praebuit, tanquam aliquod Divinitatis theatrum. Imo vero supremus ille rerum humanarum Moderator cum genti peculiariter Israëliticae, tum vero etiam reliquo generi humano aliquam jam olim concessit quasi *προπαιδείαν*, qua hominum mentes animique ita erudirentur, ut ad perfectissimam per CHRISTUM institutionem suscipiendam apti fierent.

1. Ingenii humani facultates viresque ad virtutem probitatemque efficiendam nihil prosunt, nisi exerceantur atque excolantur. Atque adeo prouti corpori, ut adolescat, opus est mundo adspectabili, ita animus, ut perficiatur, requirit mundum moralem; ingenioque, divinitatis capaci, opus est et mundo, in quo Divinitatis sit expressa significatio, et organis, quibus hanc percipere queat.

Homini, ut excolatur, mundo morali opus esse, egregie ostendit HEMSTERHUIS, *Lettre sur l'homme et ses rapports*, Op. T. I, p. 189 sqq.

2. Ad perfectissimam autem institutionem moralem plene capiendam opus est cultu jam antecedenti atque *προπαιδείᾳ*. Hominis enim facultates morales non nisi pedetentim, lento progressu et quasi per gradus ad veram moralitatem cultumque maxime sublimem aptae fiunt. Quod uti in infantibus adolescentibusque facile observatur, ita ad rem moralem ab antiquis maxime philosophis est animadversum.

Vid. PLATO, *Rep.* L. III, 401. L. VII, *init.*, CICERO, *de Finib.* V, 23. cf. *de Offic.* I, 4.

3. Jam vero Deus homini corpus concessit, cujus ope ipsius ingenium explicaretur atque excoleretur. Est hoc enim corpus minime contemnendum, sed ut mentis *ὄργανον* maximi faciendum. Conf. I Cor. XII: 14 sqq. XV: 40. Quamquam corpore ejusque organis per se nihil, omnia ingenio, organorum ope agente, perficiuntur. Vid. §. VIII, IX. cf Rom. VI: 13, 19.

Quomodo hoc antiquitus jam explicuerit PLATO, vid. apud v. HEUSDE, *Init.* Vol. II, P. I, p. 44 sq. P. III, p. 162 sqq. cf. etiam P. I, p. 3, 16. De quaestione, utrum organis confidi queat, optime egisse videtur HEMSTERHUIS, *Sophyle*, Op. T. I, p. 303 sqq.

Idem Deus societate homines inter se junxit, qua una omnes caritatis, misericordiae, justitiae, benignitatis sensus omniaque amoris studia et excitarentur et alerentur atque perficerentur. Conf. Genes. II: 20—23.

Vid. HEMSTERHUIS, *Aristée*, Op. T. II, p. 69 sq. *Lettre sur l'homme*, T. I, p. 187, 191.

Atque homini, in societate viventi, cum ipsorum hominum tum universi mundi natura Divinitatis theatrum ita praebet, ut non modo cognoscere inde Deum sed etiam cum Deo cognatum conjunctumque sese sentire queat. Vid. Act. XVII: 24—29. Rom. I: 19 sq. II: 14 sq.

Conf. omnino HEMSTERHUIS, *Lettre sur l'homme*, Op. T. I, p. 186 sq. 191, 203 sq. cf. *Aristée*, T. II, p. 71.

4. Per eandem illam societatem humanam generi humano jam olim *προπαιδείαν*, qua ad JESU CHRISTI institutionem praepararetur, concessit Deus. Uti enim inter Israëlitas patriarchae, Moses, poetae, prophetae sensim explicatius sublimiusque aequales suos informare studuerunt, ita et, ex universa rerum natura proficientes, aliarum gentium poetae, sacerdotes, legislatores, philosophi idem egerunt. Unde non modo familiarum societates, patriarchica regna, fraternae communiones, consociationes religiosae, sodalitia amicorum et philosophorum sodalitates exstiterunt, sed et optimi quique excelsiora semper et perfectiora Divinitus concessum iri vel optabant vel sperabant. Cf. §. II. Post introductam institutionem Christianam societatis ipsius Christianae est maxime, cum gentes rudiores atque pueriles, tum et ipsos pueros adolescentesque, ope etiam antiquitatis cum Israëliticae tum Graecae Romanaeque, ad Christum rite penitusque capiendum praeparare.

5. Ejusmodi προπαιδείᾳ genus humanum ad perfectissimam institutionem fuisse praeparatum, ex ipsius JESU CHRISTI Deique mente statuendum est. JESUS enim ad anteriorem illam, cum ex rerum natura hauriendam, tum a Mose prophetisque profectam, disciplinam semper provocavit, tanquam ad elementarem et praeparantem institutionem, cui suam perfectiorem planeque comsummatam institutionem superstrueret, Matth. V: 17, cf. §. VIII, 3—6. Idem etiam cum inter Judaeos, tum inter alias gentes non paucos ad suum institutum recipiendum revera paratos agnoscebat, Matth. VIII: 10 sqq. Marc. XII: 34, cf. Joh. IV: 35 sqq,

Conf. HESS, *Lehre, Thaten und Schicksale unsers Herrn*, II. p. 55 sq.

Hanc JESU mentem explicuerunt ejus Apostoli, v. c. II Petr. I: 19, maxime Paulus. Hic enim uti in singulis hominibus, ita in genere humano sensim procedentem a pueritia ad ingenii maturitatem progressum observabat, atque ideo hocce quasi per quemdam παιδαγωγὸν et prima institutionis elementa, ϛοιχεῖα, Divinitus praeparatum esse docebat ad recipiendam JESU CHRISTI institutionem, maturo gentis humanae ingenio convenientem, Gal. III: 23 sq. IV: 1—9. Col. II: 8 sq. 16 sq. 20 sq. Conf. Rom. VII: 7—10. I Cor. XIII: 11. Id Apostoli cum per patefactionem, in universa rerum natura datam, tum inter Israëlitas speciatim singulari etiam institutione Divina effectum agnoscebant, vid. v. c. Rom. I: 19 sq. Hebr. I: 1.

Postea in Ecclesia omnium maxime hac in re JESU mentem agnoverunt et explicuerunt Patres Alexandrini. Conf. §. VI, 4.

Conf. H. VAN GESSELER, *Diss. qua deducitur, quomodo ex*

Pauli sententia, ad religionem Christ. praeparati sint Gentiles et Judaei. Gron. 1839.

Quod JESUS sensit et explicuerunt ejus Apostoli aliique sectatores, per elementarem Dei institutionem ad perfectam per JESUM CHRISTUM informationem praeparandum fuisse genus humanum; id facto ipso Deus sese judicare ostendit, cum maturiori demum generis humani aetate, *ἐν πληρώματι τῶν καιρῶν*, Filium suum miserit. Conf Gal. IV: 4. Eph. I: 10.

SECTIO II.

DE CONDITIONE HOMINIS ET GENERIS HUMANI PERVERSA, QUA IMPRIMIS FIT, UT DIVINA INSTITUTIONE INDIGEAT.

§. XI.

Disquisitionis necessitas. A CHRISTO *non informatum genus humanum est ἁμαρτωλόν.*

Uti ingenium hominis humanique generis vidimus esse divinitatis capax; ita non minus tenendum est, mentis animique divinitus nondum informati conditionem ipsam, sive indolem, vero, bono divinoque non esse consentaneam. Namque ita demum plene perspicitur, homines, qui capaces sunt, indigentes etiam esse divinae institutionis. Talem autem revera esse hominum omnium, nondum per CHRISTUM informatorum, indolem, non tantum verbis af-

firmarunt JESUS eumque secuti Apostoli, sed et omni cum illis agendi modo suo ostenderunt; et vero id luculentissime declaravit, qui JESUM humano generi utpote ἁμαρτωλῷ Conservatorem praebuit, ipse Deus.

1. Uti opus erat disquirere, num humanum genus Divinam per CHRISTUM institutionem capere possit (Sectio I.); ita non minus necesse est, explorare, quantopere illud indigeat institutione cum universe Divina (Sect. II.), tum speciatim Christiana (Sect. III.). Igitur, ut hactenus de ejus ingenio facultatibusque excellentissimis vidimus, ita nunc de ejus indole sive conditione deteriori videndum est. Utrumque quomodo junctum sit, post videbimus (Sect. III.). Ne quid autem in hoc disquisitionis initio sine idoneo fundamento sumamus, τὴν ἁμαρτίαν nunc quidem universe dicimus indolem sive conditionem hominis gentisque humanae non consentaneam vero, bono divinoque illi, cujus capacem esse eam vidimus (Sect. I.).

2. Talem autem esse conditionem hominum, nondum per CHRISTUM informatorum necdum ad pietatem Christianam adductorum, dictis saepissime suis pronuntiarunt JESUS ejusque Apostoli, v. c. Joh. III: 6. coll. 3, 5. Rom. III: 9—20, 23. I Joh. V: 19. Ostendit id ipsum Dei Filius omni suo in terris vivendi genere, morte sua suoque coelesti regimine. Quare et Apostoli ut ἁμαρτωλοὺς tractarunt cum suae gentis tum aliarum nationum homines omnes, et propter id ipsum JESUM iis Conservatorem commendarunt, v. c. Act. II: 36—38, 40. XVII: 30. Rom. I, II, III. Eph. II: 1 sqq. coll. IV: 17 sqq. Hunc enim semper ut ἁμαρτωλῶν Conservatorem praedica-

bant, I Tim. I: 15. Tit. II: 11—15. I Joh. IV: 14. coll. 9, 10, volente et jubente id ipso CHRISTO, Luc. XXIV: 46—48. Et vero cum Deus hunc Filium suum, qui omni sua persona errantium peccantiumque Conservator est, universo dederit generi humano, dicendus est ipse Deus luculentissime manifestasse hanc sententiam suam, *πάντας ὑφ᾽ ἁμαρτίαν εἶναι.* Cf. Rom. III: 9, 25—30. I Joh. I: 10. col. 7.

3. Neque tamen hoc JESUS ejusque Apostoli ita proposuerunt, acsi plane novum quid et inauditum esset aut sola ipsorum auctoritate agnoscendum. Imo potius sibi persuasum habebant, omnes, dummodo rite ad se attenderent, ex sua ipsorum conscientia id sponte persensuros esse. Vid. praesertim Rom. II: 15. Et vero non tantum inter Christianos nati, cum pueri tum et adulti, voluntatis Divinae in JESU CHRISTO patefactae veluti speculum intuentes, facile se peccatores esse agnoscere possunt, coll. Jac. I: 23—25. III: 2; sed et in tota ante CHRISTUM antiquitate sapientissimi quique et optimi maxime perversitatem humani generis perspexerunt, cum poetae, tum legislatores, tum imprimis prophetae atque philosophi.

Attendatur ad figmenta de aetate aurea deperdita; ad enuntiata v. c. HORATII, *Odarum* L. III, Od. VI: 45 sqq. et SENECAE, *de Ira* L. II, c. 8, 9. III, c. 26, *de Clementia* L. I, c. 6; ad Prophetarum vaticinia de effundendo spiritu Divino; ad PLATONIS sententiam de παιδείας necessitate, *de Rep.* L. VII. *init.*

§. XII.

Τῆς ἁμαρτίας natura et sequelae, psychologice expositae.

Est, ex JESU mente, illius ἁμαρτίας natura in hoc posita, quod, cum homo Deum ejusque mentem et voluntatem cognoscere atque ita cum Deo conjunctus vivere possit (§. X. coll. §. VIII), tamen Deum Divinamque mentem et voluntatem, uti vere est, non sequitur, sed a Deo, qualis ἐν ἀληθείᾳ est, cum mente sua tum suo animo recedit: quod quidem et singulis saepe quibusdam dictis factisve et omni plerumque suo vivendi genere solet patefacere. Per ipsam autem rerum naturam, a Deo constitutam rectamque, fit, ut istius ἁμαρτίας vi corrumpantur atque in perversos perniciososque fines adhibeantur cum mentis, animi corporisque vires, tum naturae omnis humanaeque societatis, imo patefactionis ipsius Divinae dona. Neque adeo fieri aliter potest, quin, quo magis τῇ ἁμαρτίᾳ indulgeatur, eo etiam magis haec ipsa increscat et dominetur et omnia sibi subjiciat: ita quidem ut magis magisque et mens ei inserviat penitus, et animus turpi ejus cupiditate flagret, et voluntas ei plane serva sit, et vix ulla, per diuturnam mali consuetudinem,

supersit malefactorum conscientia, et ut adeo felicitatem, gloriam, libertatem in iis ponat homo, quae vero bono ipsiusque Dei menti voluntatique plane sunt adversantia, et denique, ut societates ipsae hominum in generis humani perniciem et in Dei dedecus conspirent. Quibus sane omnibus efficitur, ut isti ἁμαρτίᾳ dediti homines, nisi resipiscant, nequeant esse gens Deo sacra et indole sua Deo coelitibusque conjuncta, sed contra judicandi sint esse erroris, perversitatis, discordiae et cujusdam veluti Diaboli imperio subjecta multitudo.

1. Vulgo ἡ ἁμαρτία dici solet esse *trangressio legis divinae*, sive *actio legi Divinae non congrua*, sive talium *actionum complexus*. Neque male, coll. I Joh. III: 4. V: 17. Sed est tamen bene tenendum, legem proprie dici certo definitam normam, ad quam cives in civitate actiones suas, volentes nolentes, componere debent; atque hanc notionem ut ad domesticas, ita ad morales et religiosas res non nisi admodum improprie transferri posse. Penitius et magis proprie res investiganda est omnium maxime in institutione JESU CHRISTI, qui non legem aliquam aut doctrinam praeceptorum extrinsecus hominibus imponere, sed mentem eorum voluntatemque ad intimam cum Deo conspirationem informare voluit, vid. §. III. 2—4, 6, 7.

Vulgarem illam sententiam recentissime commendare Theologis denuo studuit, licet quodammodo immutatam, JULIUS MÜLLER, in egregio opere *Vom Wesen und Grunde der Sünde*. Bresl. 1839, p. 5 sqq.

2. Ex JESU mente, ab ipso Apostolisque declarata, natura τῆς ἁμαρτίας universe haec est. Deus hominibus patefecit, se esse et qualis sit, qualis maxime ipsius erga homines mens et de iis sit voluntas; sic patet, quod in hominum cum Deo conjunctione est verum, τὸ ἀληθὲς, ἡ ἀλήθεια. Homines autem non modo ejusmodi Dei patefactione gaudent, sed et iis sunt facultatibus et viribus, ut cognoscere veram Dei naturam suamque cum eo conjunctionem possint eique convenienter mentem animumque suum componere. (Conf. §. VIII—X.). Quodsi vel sic tamen homines huic suae cum Deo conjunctioni non respondent, atque adeo mentem suam suumque animum non componunt convenienter menti voluntatique Divinae, tum ἁμαρτάνουσι. Ponit ergo ἡ ἁμαρτία, posse homines veram mentis voluntatisque Divinae naturam cognoscere et sequi. Est autem ipsa ejusmodi totius *mentis animique directio* sive *ratio cogitandi, sentiendi et volendi, quae contraria est verae naturae mentis voluntatisque Divinae et conjunctionis, quae homini cum Deo intercedit.* Ita rem proposuit JESUS, maxime Joh. VIII: 43—47. coll. 12, 31 sq. 34, 55. — XII: 35 sq. coll. 44—50. — XV: 20—24. XVI: 2, 3. Conf. etiam Joh. III: 19—21. Luc. XI: 34 sq. 52. Rem uberius etiam exposuit Paulus cum id, quod ponit ἡ ἁμαρτία, diserte commemorans, Rom. I: 19 sq. II: 18—20. IV: 15. V: 13 coll. II: 14 sq., tum τῆς ἁμαρτίας, sive ἀσεβείας, sive ἀδικίας naturam describens, Rom. I: 18, 21. II: 8. Eph. II: 3. IV: 17 sq. 22—25. Col. II: 8, 14, 17 sq. 20, 22 sq. coll. III: 2, 5 sq. 8 sq. II Thess. II: 7 sqq. 11 sq. Conf. etiam Gal. II: 8. I Thess. II: 14—16. Tit. I: 16. III: 3. In eandem sententiam loquuntur et PETRUS, I Petr. I: 14, 18, et maxime JOHANNES,

Euang. III: 19—21. I Ep. II: 9, 11. III: 1, 13. IV: 4—7. Neque dissimilia sunt Patrum nonnullorum Ecclesiasticorum effata.

GREGORIUS NYSSENUS, *Orat.* II. *contra Eunomium:* ἁμαρτία ἐςὶν ἡ τοῦ θεοῦ ἀλλοτρίωσις, ὃς ἐςιν ἡ ἀληθινή τε καὶ μόνη ζωή. CHRYSOSTOMUS, Op. ed. De Montfauc. T. XIII, p. 275: ὁ ἁμαρτάνων μακρὰν γίνεται θεοῦ, οὐ τόπῳ, ἀλλὰ τρόπῳ.

Haec *ἁμαρτία*, quae in mente ipsa ipsoque animo sedem habet, saepe se patefacit effectibus, quae interdum *ἁμαρτίαι*, sed etiam *παραπτώματα*, *ἔργα πόνηρα* dicuntur. Patefacit autem illa sese cum singulis quibusdam sive actionibus sive verbis, et agendo dicendove quod non decet, et quod oportet non agendo aut silendo, Matth. XII: 37. II Corinth. V: 10. Jac. III, tum et corporis gestibus Matth. V: 28, tum vero omnium maxime universa vivendi ratione, animi indolem prodente, I Petr. I: 18, eamque pro ingeniorum rerumque externarum varietate variam, Rom. I, II. Ephes. II. Sed haec omnia, ex JESU mente, tantum consideranda sunt ut patefactiones indolis malae, ut effectus animi, in quo *ἡ ἁμαρτία* regnat. Vid. Matth. XII: 33 sq. XV: 17 sqq. Rom. VI: 13. Est haec etiam *ἁμαρτία* censenda, etiamsi foras se non patefaciat, Rom. II: 16. I Cor. IV: 5. Joh. III: 15.

3. Ex his liquet, 1°. *τὴν ἁμαρτίαν* non esse actionum complexum, sed fontem esse actionum, directionem sive conditionem aliquam mentis animique, atque ideo indolem perversam: 2°. esse eam unam, atque in hoc positam, quod mens animusque non est cum Deo conjunctus neque sequitur mentem voluntatemque Divinam, qualis vere est, sed ab hac *ἀληθείᾳ* aversatur: 3°. normam, ad quam exigatur, non esse legem aliquam scriptam, sed esse Deum ipsum et mentem voluntatemque Divinam.

4. Hujusmodi de τῇ ἁμαρτίᾳ sentiendi ratio illustrari antiquae maxime philosophiae placitis et principiis potest, imprimis Socraticae. Uti enim SOCRATES perversitatem ponebat in eo, quod homo ab ipsius animi interna pulcritudine et bonitate, καλοκἀγαθίᾳ, recederet, ita PLATO injustitiam docebat in eo positam esse, quod ipsius animi harmoniae atque sanitati internae adversaretur. Stoici autem, etiamsi quis externe officia, τὰ καθήκοντα, observaret, negabant eum esse bonum, nisi interna adesset animi mentisque recta conditio, τὸ κατόρθωμα. Hanc Socraticam philosophandi rationem inter recentiores et exposuit et probavit sibique sequendam duxit CHRISTIANUS GARVE, omniumque maxime secutus est nostras HEMSTERHUSIUS. Qui autem statueret, Deum ipsum normam esse, Θεὸν μέτρον ἁπάντων, et perversitatem in hoc esse positam, quod a vere bono divinoque mens animusque aversatur, omnium maxime PLATO fuit.

Vid. v. HEUSDE, *Init.* maxime Vol. II, P. III, p. 5 sqq. 134 sqq. cf. p. 112 sqq. et 228 sqq. GARVE, *Uebersicht der vornehmsten Principien der Sittenlehre*, Breslau, 1798, p. 48 sqq. Belgicae ed. Lugd. Bat. 1807, p. 44 sqq. conf. loc. mox laudand. HEMSTERHUIS, imprimis in dial. *Simon, ou des facultés de l'ame*, maxime Op. T. II, p. 287, sqq.

5. Est autem ea sententia de τῇ ἁμαρτίᾳ universe animi naturae congrua. Et psychologice quidem in ea hoc probandum est, quod soleat animus in sentiendo volendoque plerumque eandem, quam mens habet, directionem sequi, atque adeo veritatem sequendo bonus, hanc non sequendo malus sit. Imprimis autem ea se commendat a recto, quod praebet, moralitatis judicio. Uti enim actiones per se tantummodo vel utiles vel inutiles societati sunt et magnam partem ab ipsius

hominis voluntate non pendent, coll. §. VIII, 11, ita in actionum principio et fonte, in interna hominis conditione atque indole tota eaque una positum est id, quo *est* bonus malusve homo, etiamsi vel bene maleve agere nequeat.

Conf. omnino GARVE, *Philosophische Anmerkungen und Abhandlungen zu Cicero's Büchern von den Pflichten*, Bresl. und Leipz. 1819, ad L. I, p. 21 sqq. *Unam* proprie tantum esse ἁμαρτίαν, ipsam conditionem animi pravam, egregie proposuit GELLERT, *Fabelen en Vertelselen*, in fabula Herodis et Herodiae, et *Zedekundige lessen*, II *St.* in *Zedelijke Karakters: de man met ééne ondeugd en vele deugden*, p. 654 sqq.

6. Et vero omnium maxime ejusmodi de τῇ ἁμαρτίᾳ sententia religioni cum omni, tum imprimis Christianae congruit. Ut enim naturâ est, ita in religione spectatur homo non quasi solus stet, sed in sua cum Deo conjunctione; quodsi ergo animo cum Deo junctus atque consentiens sit, bonus est naturaeque suae respondens, sin contra, malus et suae adversans naturae. Ingenio, Divinitatis capaci, una congruit norma, ipsius Dei natura; cum hac conspirans illud bene adhibetur, huic adversans, male. Deus summe perfectus homini perfectionis capaci unicum summum exemplar, dux optimus atque pater est; cui dissimilis si sit homo, pravus est filius atque aberrans, ἁμαρτάνων. In Euangelio autem mentis voluntatisque Divinae perfectissimam imaginem habemus in Dei Filio, hominum omnium exemplo, ut dubitari nullo modo queat, quin norma, ad quam bonum malumque exigatur, et τύπος sit ipse Deus.

7. Ut perversitatis natura penitus perspiciatur, sunt etiam ejus sequelae cognoscendae, in quibus vis

ejus, sive natura efficax, cernitur. — Habet autem ea vim perniciosam in mentem, quam reddit Divinae veritatis luce carentem, ignorantiae errorisque tenebris offuscatam. Facultatem etiam ipsam mentis ita corrumpit, ut oculus ad veritatem illam cernendam hebescat et ad vitae praelucendum ineptus fiat, Conf. Luc. XI: 34 sqq. Rom. I: 18—23. II: 18—21[a]. Eph. IV: 17 sq. I Joh. II: 11. Animum autem humilium et turpium rerum sensu, affectu, furore replet et superbia, iris, invidiis, vindicta agitatum reddit. Corrumpit etiam facultatem ejus, ut ad pulcri, boni divinique perceptionem atque ζῆλον et in rebus humanis συμπάθειαν suscipiendam obdurescat: imo, quum vel maxime in bonis divinisque se fervere opinatur, hic quoque ipse fervor est malus. Conf. Joh. XVI: 2. Rom. I: 24—31. X: 2. Eph. II: 3. IV: 19, 22. Tit. III: 3. Atque ita voluntas pervertitur, ut sui studio malisque cupiditatibus agatur homo. Imo a vero hominum Deique amore adeo fit alienus, ut non raro optimos quosque et ipsum Deum odio habeat, tum etiam, cum sibi videatur aut hominibus consulere aut Deum ipsum colere. Conf. Joh. XV: 18—25. XVI: 2, 3. Rom. I: 23 sqq. II: 21—24. Eph. l. l. Col. III: 5, 8. coll. 6, 7. — Neque in his subsistit perversitatis vis perniciosa; sed et corpus ipsum ita corrumpit, ut hocce divini ingenii instrumentum, ad optima quaeque efficienda aptum, coll. §. X, 3, jam pessimorum quorumque perficiendorum instrumentum fiat, Matth. XV: 17 sqq. Rom. VI: 13, 19. Jac. III. Universam rerum naturam, quae tota Dei honori gentisque humanae felicitati inservire debet, coll. eadem §. X, 3, reddit inservientem Dei dedecori hominumque perniciei, Rom. I: 23 sqq. VIII: 20—22. Societatem quoque humanam, in hominum salutem a Deo consti-

tutam, coll. denuo §. X, 3, corrumpit, et ingratam aut etiam perniciosam reddit, in eoque ad cunctorum salutem conjunctionemque a Deo ordinatas ingeniorum conditionumque varietates in invidiarum discordiarumque fontes convertit, Joh. VIII: 37, 44. I Joh. III: 13, 15. I Cor. XII: 14 sqq. Gal. V: 20. Col. III: 8. Denique patefactionem ipsam Divinam omnem vel inutilem reddit vel pervertit, ut, quae in salutem tendere debeat, in damnationem perniciemque vere tendat, Joh. III: 19. XII: 46—48. XV: 22—24. Rom. I: 18 sqq. II: 18 sqq. VII: 7 sqq. II Cor. II: 16. IV: 4.

Conf. universe J. HERINGA Ez., *Leerrede over het doodelijk verderf der zonde*, in *Tiental Leerredenen*, Amst. 1826. De vi directionis animi in omnem cognitionis rationem cf. J. MÜLLER, l. l. p. 434.

8. Itaque verissime dicenda est ἡ ἁμαρτία omnino omnia et corrumpere et in perniciem vertere, initium faciens a corrumpendis ipsis animi, in quo sedet, facultatibus viribusque. Neque aliter se res habere potest, si quidem ἡ ἁμαρτία est animi a Deo disjunctio et dissensio a mente atque voluntate Dei. Deus enim rebus omnibus proprios suos et vere bonos constituit fines certumque, quo hi unice attingantur, modum; cui ergo Deo adversans quisque, per ipsam rerum naturam, non potest non in contraria atque ideo mala omnia ruere. Non igitur ex Dei arbitrio repetenda sunt haec omnia cum τῇ ἁμαρτίᾳ juncta mala. Sunt omnes naturales ejus sequelae. Vid. Matth. XXI: 41. XXII: 1—8. XXIV: 44 sqq. XXV: 19 sqq. Luc. XIV: 7—11. XVI: 10 sqq. I Tim. VI: 9, 10, omninoque Gal. VI: 7, 8. II Thess. II: 10—13. Quamquam eaedem sequelae naturales merito a Deo, sanctissime agente,

repetuntur. Vid. Matth. XXI: 40. XXII: 7. XXV: 31. Luc. XVIII: 14. Joh. III: 19, 36. Gal. VI: 7. II Thess. II: 11. Utrumque conjunctum quoque propositum videas Rom. I: 18—32. coll. etiam Eph. IV: 19. Scilicet non est a rerum natura separandus aut avellendus Deus. Sanctus rerum omnium creator rectorque Deus non ex arbitrio suo identidem, sed secundum rerum naturam, ab ipso sapienter sancteque dispositam atque rectam, facit, ut naturales malasque perversitas sequelas experiatur.

De Deo, perpetuo in rerum natura agente, conf. *Waarheid in Liefde*, 1840 II, p. 245 sqq.

9. Neque tantum malefactorum increscit plerumque multitudo et gravitas, coll. II Petr. II: 15, quod multis unicuique exemplis patet. Sed etiam, quod longe pejus est, per naturam suam (coll. obs. 7.) ἡ ἁμαρτία, si ei indulgeatur, ipsa increscit vi sua et magis magisque dominatur. Mentem ita sibi subjicit, ut illa in pravis acute cernens, in rebus bonis divinisque coeca fiat, et nequeat haec videre aut intelligere, Matth. XIII: 14 sq. XVI: 3. Luc. XII: 54 sqq. XVI: 8 sq. col. 4. Joh. VIII: 43. I Cor. II: 14. II Cor. IV: 4. I Joh. IV: 5, 6. Animum ita sibi subjectum reddit, ut is promtissimus fiat et vehemens ad mala omnia, ad humanitatis autem vocem ἀπαθὴς, et contra Dei spiritum plane obduratus, ut paene non possit amplius moveri aut emolliri, Matth. XII: 31 sqq. XXIII: 27—34. XXIV: 37 sq. Luc. XII: 10. XVI: 19, 31. Joh. XII: 39 sq. Act. VII: 51—54. Rom. I: 27, 32, conf. VI: 21. Eph. IV: 19. Hebr. VI: 4. X: 26 sq. II Petr. II: 12. I Joh. V: 16 sq. item Jac. II: 10 sq.

Aristoteles, *Eth. Nicom.* L. III, c. 5, recte dicit,

ita oriri ἕξιν, qua *οὐ μὴν, ἐὰν γε βούληται, ἄδικος ὢν παύσεται καὶ ἔςαι δίκαιος.* Conf. SENECA, *de Benef.* L. IV, c. 26, 27.

Denique magis magisque voluntas ita fit serva *τῆς ἁμαρτίας*, ut cupiditatibus unice obsequatur, nihil aliud velit ipsa, corpus autem sibi plane subjiciat, mentem animumque interdum repugnantem repellat, imo prorsus perversitati assentientem reddat. Quo fit, ut plane oriatur perversitatis tyrannis homoque totus sit *δοῦλὸς τῆς ἁμαρτίας*, qui neque velit neque possit Deo obsequi, Matth. XII: 34. Joh. V: 44. VIII: 34, 43 sq. Rom. VI: 12 sq. 16 sq. 19 sq. VIII: 7 sq. conf. Act. XXIV: 25.

Haec *τῆς ἀδικίας τυραννὶς* eloquenter est descripta a PLATONE, *Rep.* L. IX, *init.*

Fastigium vero hujus tyrannidis non nisi in conjunctis cernitur hominibus, in quibus et contagio est malitiae, et pro bonis habentur mala, et non modo toleratur publice, sed etiam pro sapientia aut Dei cultu habetur id, quod est pessimum, et quotquot sapientiores melioresque sunt atque perversitati communi se opponunt, crucientur aut de medio tolluntur. Atque sic eo tendunt conjuncti, ut quicquid bonum divinumque est, e genere humano exterminetur, oriaturque absoluta *τῆς ἁμαρτίας* tyrannis. Matth. XXI: 33 sqq. XXIII: 34 sqq. Joh. XVI: 2. Act. XVII: 32. I Thess. II: 14 sq. I Joh. V: 19 coll. III: 8, 13, 15. Jud. 23.

Conf. PLATO, l. l. et L. VIII, 560.

10. Est ergo haec *τῆς ἁμαρτίας* natura atque vis perniciosa, ut homines reddat indole divino suo ingenio adversante viventes, imo ut hoc ipsum ingenium, quo caeteroquin divina omnia percipere, per-

sentire atque velle possunt, sic corrumpat, ut, quamdiu isti indulgent, neque intelligere, neque sentire, neque appetere divina queant. Et est quidem hic status non necessarius naturae humanae aut a Deo creatus, sed culpa hominum contractus est et hypotheticus, ideoque, si perversitati indulgere quis desinat, tolli potest. Est etiam illa vis apud alios major, minor apud alios, prouti alii aliis magis minusve perversitati se tradunt. Et in nemine divinum ingenium, a Deo inditum, tolli prorsus potest. Conf. §. VIII, imprimis Obs. 1, 2. At vel sic tamen, quamdiu perversitati indulgent homines, per hanc non modo inepti prorsus sunt, qui in divina, qualem CHRISTUS in humano genere fundavit, societate vivant, coll. §. III, 5 sqq., sed et ejusdem ineundae prorsus non capaces. Quare pinguntur merito homines, peccato subditi, tanquam multitudo subjecta imperio, quod regno Divino est contrarium et inimicum, Joh. VIII: 42—44. XVI: 7—11. II Cor. IV: 4. Eph. II: 2 Col. I: 12 sq. 21. I Joh. III: 8. IV: 6. V: 19. Affirmatur etiam eos, nisi desinant esse tales, non posse percipere aut diligere divina, non posse fieri socios τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, Matth. VII: 21. XXII: 2—14. Joh. III: 3—6. I Cor. VI: 9—11. Eph. V: 3—6. I Joh. III: 8—15. IV: 5, 6. Sunt enim illi per τὴν ἁμαρτίαν Deo inimici, sibi ipsi aliisque hominibus adversantes, Joh. XV: 22, 24. Rom. V: 10. VI: 20. Col. I: 21. Phil. III: 19. I Thess. II: 15. Neque aliter se res habere potest, siquidem ἡ ἁμαρτία est indoles mentis animique dissentiens a mente atque voluntate Dei, coll. Obs. 2, 3, atque adeo necessario ducens ad omnia Deo divinoque erga homines amori contraria atque inimica.

Conf. MÜLLER, l. l. p. 515, 520.

§. XIII.

Ejusdem origo, quatenus physice indicari potest.

Quodsi jam quaeratur, quanam vi mentes animique hominum omnium a Dei mente atque voluntate pernoscenda et sequenda retineantur et in contraria impellantur (§. XI, XIII); bene tenendum est, quid hoc loco sit inquirendum. Rite enim distinguenda sunt tria, et posse hominem *ἁμαρτάνειν*, et ad id eum impelli, et huic impulsioni eum re factoque obsequi. Jam vero potest homo *ἁμαρτάνειν*, quia libera natus est voluntate (§. VIII). Impulsioni ad perversitatem obsequitur, quia libertate hac sua abutitur (§. XIV). Sed quaenam sit illa vis, ad id eum impellens et a Deo avocans, hoc est quod nunc indagamus. Illa igitur vis in Euangelio significatur repetenda esse a corpore humano, rebus terrenis corporeisque cognato, quali omnes ex uno nati parente homines induti sunt. Hujus nempe corporis in animum vis naturalis, quae saepe *σάρξ* dicitur, vires ingenii humani non tollit quidem, sed tamen et menti animoque facile impedimento est in vero, bono divinoque rite intelligendo, sentiendo,

volendo, et hominem sollicitat, ut felicitatem summam in rerum corporearum voluptatibus, aut in externis honoribus, aut in excellentia quadam adspectabili ponat. Quibus difficultatibus atque sollicitationibus cum non resistat sed libere cedat homo, humile in ipso simulque superbum est sui studium, recto amori erga Deum hominesque adversum, cui indulgens τῆς ἁμαρτίας dominationi servit (§. XII). Iisdem autem illis sollicitationibus atque difficultatibus quo magis succumbunt homines plerique, per CHRISTUM non informati, eo magis vitam fere unice terrenam vivunt et σαρκικὴν, qua, nisi resipiscant, inepti plane sunt Divinae animorum societati ineundae, cujusque vitae iis in morte exspectandus est interitus.

1. Quodsi rite teneatur, et quae sit τῆς ἁμαρτίας natura (§. XII), et huic omnes magis minusve esse subditos homines (§. XI), hocce jam sufficiat ad institutionem Christianam omnibus commendandam. Vel sic tamen et philosopho homine dignum est, et Christiano religioso non infructuosum, et futuris aliorum institutoribus maxime commendandum, ut etiam in illius perversitatis communis originem inquirant. Idque eo magis, quandoquidem in Orientali theosophia vel genius aliquis malus mali omnis auctor effictus est, vel materia omnis est mala habita; in Graeca philosophia plerumque corpus dictum est carcer esse animi; in Ecclesia Christiana invaluit sententia

de peccato haereditario, vim ingenii humani penitus tollente, et recentiori tempore nonnunquam ἡ ἁμαρτία descripta est, ut necessaria sequela naturae humanae, finibus circumscriptae.

De Ecclesia Christiana cf. §. VII, 4; de recentiorum quorumdam sententia cf. ULLMANN, *Sündlosigk.* 3 ed. p. 133 sq. et imprimis J. MÜLLER, l. l. p. 113 sqq.

2. Ex JESU CHRISTI mente, ab ipso ipsiusque Apostolis declarata, vis ad τὴν ἁμαρτίαν impellens repetenda est a τῷ σώματι, sive accuratius a τῇ σαρκί. Hinc enim non modo vitia nonnulla erroresque multi, ipsa etiam superbia, repetuntur, Matth. XVI: 17, 23. Joh. VIII: 15. Phil. III: 3, 4. Col. III: 18. Jac. III: 14 sq. IV: 1 sqq. V: 5. coll. 1—6. II Petr. II: 10 sqq. I Joh. II: 16; sed et universa impietas inde derivatur, Joh. III: 6. Rom. VI: 6. VII: 14, 18, 23 sq. VIII: 5—8, 13. Gal. V: 16, 19 sqq. Eph. II: 3. Col. II: 11, 13. III: 2, 5, 8 sq. Et cum hac sententia conspirat universa Euangelii ratio, cum in modo, quo virtutem describit, Matth. XVI: 17. Joh. III: 6. Rom. VIII: 4 sq. 9, 12 sq. Gal. V: 16—22, tum in modo, quo sanctum Dei Filium peccandi illecebris periculisque fuisse ipsum obnoxium proponit, Hebr. II: 14, 17 sq. coll. 10. IV: 15 sq. V: 1 sq. 7 sq. conf. omnino Matth. XXVI: 38, 41, tum in ratione, qua eum Conservatorem, hominibus peccantibus aptum, laudat, Rom. VIII: 3. Hebr. II. II., tum in modo, quo felicitatem sanctorum post mortem futuram celebrat, Rom. VIII: 23 coll. VII: 23, 24. I Cor. XV: 42—50. Phil. III: 12—21. — Spectatur autem hac in re non omnis generis corpus quodcunque, coll. I Cor. XV: 44, neque etiam terrenum nostrum cor-

pus, quatenus per illud, ut instrumentum suum rite agit mens, coll. §. X, 3. Neque etiam existimandum est, corporis in animum agentis effectus necessarios et naturales per se jam esse malos, vid. Hebr. VI: 15. Sed corpus hocce terrenum, uti est cum rebus corporeis terrenisque conjunctum, naturali sua vi facile impedimenta pietatis, et incitamenta perversitatis parit, Rom. VII: 23; quibus se abduci trahique sinens homo, *ἁμαρτάνει*. Quare non corpus ipsum malum esse dicitur, sed homo accusatur, qui *τὰ τῆς σαρκὸς*, *τὰ ἐπίγεια νοεῖ*, *φρονεῖ*, *ἐπιθυμεῖ*, et *τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς ποιεῖ*, neglecto *πνεύματι*. Vid. ll. ll.

3. Et vero, si controversiis de peccato haereditario in Ecclesia actis nos impediri non sinàmus, tota haec res satis clara et evidens inquirentibus esse poterit. — Est haec corporis terreni rerumque terrenarum natura, ut necessario non tantum mentem ad se advertant et occupent, sed et animum afficiant cupiditatesque et aversationes rerum adspectabilium gignant; unde necessario difficultates et sollicitationes oriuntur, per se quidem nondum malae, sed pugnam eamque interdum gravissimam parientes, Matth. XXVI: 41b. Hebr. II: 10, 14. IV: 15. V: 8, 9. XII; 2, in qua igitur pugna facile succumbit homo.

Hanc *σάρκα* et ex hac orientem vim pellicientem per se malam nondum esse, egregie docuit ULLMANN, l. l. p. 100 sq.

Accedit, quod in infantia et pueritia ingenii vires nondum explicatae sunt, dum corporis et rerum externarum in animum vis magnopere viget et increscit; quae *τῆς σαρκὸς* vis in pueris eo periculosior est, quo minus saepe iis succurrunt, prava institutione,

parentes. Cf. §. X, 1, 4. Rom. VII: 7—10. I Cor. XIII: 11. coll. I Cor. III: 1. XIV: 20. Hebr. V: 12—14.

De JESU hac in causa conf. HESS, *Lehre*, *Th. u. Sch.* II num. VIII.

Tali corpore, vitae animali atque terrenae apto, inde a primo generis humani parente omnes nati sunt, ipse etiam JESUS, eoque ipso facile a bono divinoque ad contraria pellici jam possunt, Matth. XXII: 30. I Cor. VI: 13 maxime I Cor. XV: 44—50. Sed in omnibus, excepto uno JESU, qui non consueto modo genitus est, accedit, quod ex corruptis perversitate hominibus geniti natique sunt, Rom. V: 12, 19. Ex parentibus autem huic illive vitiorum generi deditis procreari liberos ad idem vitiorum genus natura saepe proniores, ostendit experientia. Anthropologi autem recte docent, temperamentorum corporis singularium vim magnam esse ad animi hanc illamve vim aut cupiditatem vel excitandam vel deprimendam, harmoniamque ejus turbandam. In JESU ejusmodi temperamenti singularis nullum est vestigium. In reliquis hominibus omnibus igitur, quia ex corruptis parentibus geniti natique sunt, major videtur esse vis corporis ad perversitatem impellens, eaque in variis hominibus, pro temperamenti ratione, varia, I Cor. VII: 7, 9.

De temperamentis vid. J. G. H. FEDER, *Untersuchung über den menschlichen Wille.* II Th., Lemgo, 1787 ed. 2, p. 49 sqq. Cf. etiam REINHARD, *Syst. der Christ. Mor.* I. B. §. 82. De JESU conf. *Waarheid in Liefde* 1839, I. p. 7 sqq. ULLMANN, *Sündl.* p. 32. *not.* Universe de vi, quam parentum vitiositas in liberos habet, conf. omnino *Vruchten en resultaten van een zestig jarig leven*, Amst. 1823. I. p. 46 sqq.

Hisce omnibus accedit τοῦ κόσμου, sive perversorum hominum societatis, contagiosa vis et perniciosa. Conf. §. XII, 9.

4. Haec vis τῆς σαρκὸς, facilem reddens ad perversitatem lapsum difficilemque contra ejus illecebras luctam, videtur esse sufficiens ratio explicandi, quomodo fiat, ut homines omnes, libera voluntate abutentes, perversitati succumbant, plerique ei sese tradant atque, nisi Divina institutione retineantur, prorsus ei indulgeant, et ut optimi etiam, Divinae institutionis ope, difficulter eam devincant, imo JESUS ipse non sine difficultate victor permanserit. Est ergo haec vis in divinis ingenium impediens hominemque ad contraria impellens quidem, minime vero aut ingenium tollens aut hominem cogens, ut resistere non possit, cedere necessario debeat. Conf. §. VIII, imprimis Obs. 1, 2, coll. §. XII, 10.

5. Illa corporis rerumque terrenarum in animum vis agit et sollicitando hominem, ut in adspectabilibus, corporeis, terrenis unice vel maxime haereat, et hoc ipso eum impediendo in excelsioribus et divinis appetendis. Et sollicitat mentem quidem, ut in externis terrenisque vel potissimum vel unice cogitandis tractandisque versetur, quo fit, ut has ea paene solas capiat, Luc. XII: 15 sqq. 54 sqq. XVI: 8. Joh. VII: 24, 49. VIII: 15. Rom. VIII: 5. Phil. III: 18. Gal. III: 28. Col. III: 11. Animum autem pellicit, ut vix aut ne vix quidem aliis, quam humilibus terrenisque voluptatibus delectetur, Matth. XIII: 7, 22. XXII: 5. Luc. XIV: 18 sqq. Phil. III: 18. Col. III: 2, 5. I Joh. II: 16. Atque ita vim voluntatis omnem dirigit ad expetendam unice aut libertatem externam, aut externam prae aliis eminentiam, quo magis omnia ipsius cupiditatibus serviant, Matth. XX:

21—28. Joh. VIII: 33. Gal. V: 13. II Petr. II: 10. In societate viventibus peculiariter etiam laudis honorisque externi studium multis oritur acerrimum, Joh. V: 42. XII: 43. cf. Matth. l. l. Hinc autem fit, ut in excelsioribus divinisque cogitandis, sentiendis, expetendis maximopere impediatur mens animusque, imo ut illa vix capiat, Matth. XIII: 4—6, 19—21, XVI: 23 sqq. XXIV: 37 sqq. Luc. XII: 57. XIV: 17 sqq. I Cor. II: 14. II Cor. IV: 4. Quid? quod excelsioribus hisce divinisque rebus ipsis speciem formamque corpoream et humilem praebet, Rom. I: 23, 25, 28. Col. II: 23. I Tim. IV: 8; atque hominem reddit cum, neglecto Deo, facultatibus virtutibusque suis, in sensum cadentibus, aut cupiditatibus corporeis potentiave externa gloriantem, tum etiam contra Deum superbientem, Luc. XVIII: 11 sqq. I Cor. I: 26, 29. coll. IV: 6, 7. II Cor. XI: 18. Phil. III: 3—6, 19. II Thess. II: 4, 9.

Cf. SCHLEIERMACHER, *Christl. Glaube*, ed. 2 p. 404 sq.

Hinc facile perspicitur, quae sit ratio atque vis tentationum, sive earum rerum, quibus homines facile ad perversitatem perducantur. Et possunt quidem tentationi esse non modo homines, sed etiam res terrenae omnes, idque cum in divinis impediendo, tum ad contraria sollicitando: suntque adeo tentationes aliae sic impedientes, ut vel a divinis avocent vel etiam haec ipsa pervertant, aliae sic sollicitantes, ut vel ad terrenam cogitandi rationem, vel ad voluptates, vel ad externam libertatem, vel ad excellentiam externam, vel ad honorem inter homines sectandum atque ad omnem superbiam pelliciant maxime. Est vero, quod imprimis tenendum, harum tentationum vis non

tam in ipsis rebus extra nos positis sita, quam potius in cujusque hominis, in quem eae agunt, conditione σαρκικῇ, cum universe omnibus communi, tum etiam ipsi speciatim propria. Vid. Obs. 3, cf. Matth. XIII: 3 sqq. XXII: 2—8. Rom. VIII: 5. coll. VII: 14 sqq. Jac. I: 13—17.

6. Ex his de perversitatis origine disquisitionibus ipsius simul ἁμαρτίας natura, §. XII descripta, ulterius illustratur. Patet enim, hominem per τῆς σαρκὸς vim ad sui studium, φιλαυτίαν, duci. Haec autem φιλαυτία facit, ut homo, semet ipse vel unice vel potissimum amans, aut sui causa homines diligat Deumque colat, aut suae cupiditati adversantes homines Deumque odio habeat, Rom. VIII: 7, 8. Phil. III: 18. I Thess. II: 15. Tit. III: 3. Qua sane φιλαυτίᾳ inepti prorsus sunt Divinae amoris societati, conf. §. XII, 10.

Cf. E. KIST, *Aanmerkingen over de stelling van den Heidelb. Catechismus: wij zijn van nature geneigd God en onze naasten te haten.* Amstel. 1796, p. 27, 29. MÜLLER, l. l. p. 67, 86.

Patet item, eandem perversitatem esse indolem terrenam, ἐπίγειαν φρόνησιν (Belgice *aardschgezindheid*), qua excelsum divinumque ingenium corpori rebusque corporeis et humilibus servit, et excelsiora ipsa detrahuntur, virtus adeo omnis et religio ad externam humilemque speciem pervertuntur, Rom. VIII: 5. Col. III: 2, 5, 8 sq. Phil. III: 19, 20.

Conf. MÜLLER, l. l. p. 107, 155.

Atque ita in hac jam vita homo ineptus plane fit societati, per CHRISTUM fundatae, πνευματικῇ, conf. §. XII, 10. Et vero necessaria hujusce ἁμαρτίας

sequela haec est, ut hominibus, ita vitam modo terrenam viventibus, mors sit vitae interitus sine spe vitae melioris, Rom. V: 12. VI: 21, 23. VIII: 6, 13. Phil. III: 19. Itaque horum conditio describitur merito ut infelicissima et verae Divinaeque vitae fructu atque spe destituta, Joh. V: 24. Eph. II: 1, 5, 12. I Joh. III: 14. XV: 12.

§. XIV.

De eadem judicium, morali ratione faciendum.

Quamvis autem difficultatibus et sollicitationibus, per *τῆς σαρκὸς* vim allatis, plurimis cedens homo ad *τὴν ἁμαρτίαν* prolabatur; vel sic tamen, ipsis etiam JESU et Apostolis id luculenter significantibus, existimandus est semper volens, non nolens aut coactus, *ἁμαρτάνειν.* Hinc igitur per ipsam a Deo formatam ipsius naturam fit, ut, quo magis suae sibi conscius est perversitatis, eo magis et sese judicet, improbet, damnet, et aliorum hominum judicio improbante aut etiam vituperatione vel castigatione se dignum sentiat, et vero omnium maxime se Dei judicio improbandum, Divinam indignationem meritum esse noverit, dignumque, quem Deus perniciosis *τῆς ἁμαρτίας* sequelis tradat. Tantoque magis perversus quisque sese culpandum esse novit, quanto magis ipsius voluntas

difficultatibus et sollicitationibus libera est, quantoque plura et efficaciora sunt, quae mentem animumque ad verum, bonum divinumque sectandum adhortentur, impellant, moveant. Quam ob rem, cum Deus omnibus hominibus opportunitatem facultatemque praebuerit Divinam mentem voluntatemque cognoscendi (S. I.), culpandum est genus humanum totum, quo autem insigniori atque perfectiori patefactione quisque vel populus vel homo beatus est, eo magis, si huic non obsequitur, damnandus est, eoque ipso Divinae societatis communione indignus et sua culpa miserrimus.

1. Postquam vidimus et psychologice de τῆς ἁμαρτίας natura in homine (§. XII) et physice de vi ad eam hominem pelliciente (§. XIII), restat unum disquisitionis genus, in institutione morali gravissimum, ut videamus metaphysice, sive potius morali ratione, qualis sit ipse homo, qui τῇ ἁμαρτίᾳ se tradit, et quodnam igitur morale de homine et humano genere sit faciendum judicium. — Et hominem quidem non physice coactum necessario perversitati esse subjectum, sed libere volentem esse malum, sua quemque conscientia docet, Rom. II: 15, docet etiam aliorum de aliis judicium sensusque humanus, Rom. II: 1, docet autem luculentissime universa JESU CHRISTI institutio, conf. §. VIII imprimis Obs. 11. Funditus si rem explores, voluntatis humanae haec est conditio, ut sint quidem, quae ad Divina eam impellant a

contrariisque retineant, sint item ei obstacula boni incitamentaque mali; neutris autem ipsa cogatur, utrisque libere vel resistere possit vel obsequi, conf. l. l. et §. X, §. XIII, maxime Obs. 4: ita tamen, ut Divinis illis obsequens homo, ingenio suo obtemperet divino, sin contrariis, huic prorsus repugnet, conf. §. VIII, IX. — Quodsi qui perversitatis suae sibi conscii non sunt, hi eo ipso in conditione versantur deteriori, §. XII, 7, 9, estque adeo in his illa conscientia excitanda. Quodsi perversitatis suae conscius sibi est homo, per ipsam naturam suam, a Deo creatam, non potest non sese judicare, uti ipsum Deus judicare debet, culpandum, sive non potest non sibi suam *imputare* malitiam, conf. Rom. I: 32. II: 14 sq.

2. Est ergo homo, quippe volens perversus, per ipsam rerum naturam dignus censendus improbatione, indignatione, cruciatu, condemnatione sui ipsius. Quae quidem uti non semper adsunt, ita neque effugi constanter possunt, et id ipsum terribile jam est, hoc sui cruciatu esse dignum. Hac de re vid. Matth. VIII: 12. XIII: 42, 50. XIV: 2 sqq. XXVII: 3—5. Act. XXIV: 25. Rom. II: 15. Jac. V: 1 sqq. cf. etiam Matth. XXVI: 75. Joh. XXI: 17.

Conf. CICERO, *pro Milone* c. 23, *de Legg.* L. I, c. 14. SENECA, Ep. 43. In POLYBII fragmentis hoc exstat: *οὐδεὶς οὕτως οὔτε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς, οὔτε κατηγόρος δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις ἡ κατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς.* Vid. etiam Gen. XXXXII: 21 sqq. Deut. XXVIII: 65 sqq. II Sam. XII: 1. sqq. et cf. BLAIRII et KISTII Sermones sacri de conscientia.

Idem pariter dignus est improbanti judicio, indignanti sensu, castigatione atque condemnatione omnium aliorum ratione praeditorum sive hominum sive

aliorum totius mundi incolarum. Et hac dignum esse merito formidandum habetur, et licet haec quoque aliorum reprobatio non adsit semper, saepe tamen adest et magis magisque aderit per ipsam, a Deo ordinatam, rerum naturam. Vid. Matth. V: 22. VII: 1, 2. XIII: 41. XVIII: 15—17, 31. Joh. V: 45. Rom. XIII: 2—6. I Cor. V: 5, 11. Hebr. XII: 9 sq. I Petr. II: 14, 20. cf. etiam Col. I: 20.

Conf. Genes. IV: 13 sq. Job. XV: 21—24.

Denique idem pariter improbationem atque indignationem condemnationemque meretur Dei. Quae perversitatis humanae condemnatio uti per Dei naturam necessario semper adest, ita et ejus patefactionem, sive castigationem Dei promeritam non semper sed saepissime tamen homo experitur. Atque nihil terribilius jam esse potest, quam hoc ipsum, Dei optimi indignatione atque condemnatione esse dignum. De hac Dei *κρίσει*, *ὀργῇ*, *παιδείᾳ* et *κατακρίσει* vid. maxime Matth. XXII: 7. coll. Luc. XX: 16 et XXIII: 28—31. Matth. XXV: 31 sqq. Joh. III: 19. XVI: 8—11. Rom. I: 18, 24, 26, 28. II: 5, 15. I Cor. XI: 29—32. cf. I Petr. IV: 5, 17. item I Thess. II: 15 sq. II Thess. I: 5—10. Hebr. X: 27—31. Atque ita simul homo et est dignus et a se aliisque atque ab ipso Deo haberi debet dignus omnibus perniciosis *τῆς ἁμαρτίας* sequelis, §. XII, 7, 9, 10 et §. XIII, 6 descriptis. Vid. Matth. XXI: 40 sq. XXII: 1—8. Rom. I: 18, 24, 26 sqq. 32. II: 5 sqq. II Thess. I: 6 sqq.

3. In mundo igitur morali alia plane est judicii ratio, atque in societate civili: quod etiam ex imaginum in N. T. scriptis de illo adhibitarum cum varietate tum usu liquet, Matth. XXIV, XXV, maxime XXV: 14 sqq. Rom. II: 15. I Cor. IV: 3, 4. Non actiones per

se spectatae in illo judicantur, sed actionum fons, animus ipse, Matth. XII: 36 sq. coll. 33—35. Non unus modo aliquis est judex, sed omnes judicant: unusquisque de se, Rom. II: 15, omnes de omnibus, quos cognorunt, Joh. V: 45. I Cor. VI: 2 sq., unus autem omnium perfectissimus judex Deus est, I Cor. IV: 5[c]. Neque auditur semper aliqua tribunalis cujusdam sententia, sed adest mentis judicium, κρίσις, eique consequens animi sensus, de bonis laetantis, de malis indignantis, isque se patefaciens, vel intus per ipsius cujusque conscientiam, vel foras verbis actionibusque, quibus alii alios aut honorant aut castigant. Neque poenae ex arbitrio constitutae a Deo aut Divinitus ab aliis infliguntur, sed perversitatem sequuntur mala, per ipsam rerum naturam a Deo constitutam ei congruentia, eaque non uno tantum tempore sed constanter. Porro judicium cujusque de se saepissime, aliorum de aliis interdum, Dei vero de hominibus omnibus adest semper, licet et hoc non semper aeque luculenter patefiat, vid. Obs 2. Itaque Dei de perversis, donec indole mutantur, μένει ἡ κρίσις et huic consentanea ὀργὴ pariter manet, Joh. III: 18 sq. 36. Rom. I: 18. Col. III: 6 sq. cf. Eph. II: 3, 10. Saepius autem Dei παρουσία adesse, Deus ἔρχεσθαι dicitur, quippe saepius luculenter suum hoc judicium patefaciens; atque ita in rerum humanarum omnium consummatione erit plenissima ἀποκάλυψις τῆς δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ, Matth. XVI: 27 sq. XXIV: 30 sq. coll. 37. Joh. XIV: 3. Rom. I: 18 sqq. II: 5. Conf. dicta §. XII: 1, 8.

4. Disquirendum restat de culpae magnitudine, ab ipsius perversitatis magnitudine, de qua §. XII, 9 diximus, non separanda quidem, sed rite distinguenda. Uti enim culpae ratio unice in hoc est posita,

quod volens homo est perversus, ita culpae illius magnitudo pendet tota a minori vel majori, qua homo frui potuit, voluntatis libertate: haec libertas si tolli prorsus posset, culpa omnis abforet. Conf. Obs. 1. Igitur in hoc de culpa judicio attendendum est *et* ad incitamenta mali, sive communia omnibus sive nonnullis peculiaria, I Cor. VII: 7. X: 13. Hebr. XII: 4. coll. §. XIII, 4, *et* ad impedimenta boni, speciatim ad ignorantiam ejus, Rom. IV: 15. V: 13. VII: 9. I Tim. I: 13, 15 coll. § XIII, 3, *et* ab altera parte ad impedimenta mali, Luc. XII: 47 sq. Joh. IX: 41. XII: 37 sqq. Jac. IV: 17. II Petr. II: 20 sq. III: 5. cf. Act. XXIV: 15, *et* ad incitamenta boni, Joh. XV: 22, 24. Act. VII: 51—54. Hebr. X: 26, 29. Ex hisce rationibus conjunctis judicandum est de culpa perversae indolis, I Cor. X: 13. Gal. III: 1—4. Externae actiones, ei indoli consentaneae, si causis vel physicis vel certe non moralibus retineantur aut impediantur, homo manet aeque culpandus, Matth. V: 27 sq. I Joh. III: 15.

5. Itaque quo magis aut minus volente animo quisque perversus est, eo etiam vel magis vel minus dignus est improbatione, indignatione, castigatione, condemnatione, coll. Obs. 2. Quare universe sic judicare debet quisque de se, I Tim. I: 13—15. Alii de aliis vel judicio abstinere vel ita judicare debent, Luc. XXIII: 34. Joh. XV: 22, 24. Act. III: 17. XIII: 27. Deus autem non potest non justum ejusmodi facere judicium, Matth. XVIII: 27—35. Rom. II: 12. Et vero ex rerum, a Deo constituta rectaque, natura, quanto quisque perniciosis τῆς ἁμαρτίας sequelis, §. XII, 7, 9. §. XIII, 6 descriptis, dignior est, tanto eas magis revera experitur aut magis magisque experietur, Matth. XII: 31 sq. Hebr. X: 26. — Spe-

ciatim autem patet, singulos, quotquot perversi sunt, homines esse culpandos et ἀναπολογήτους, Rom. I: 20. II: 15, pueros vero minus, adultos magis culpandos esse, Hebr. V: 12—14, et hos tanto magis esse improbandos, quanto excellentiori Deum cognoscendi venerandique opportunitate fuerint usi, Matth. XXIII: 13 sq. Joh. III: 10. In universo autem genere humano minus culpandi fuerunt, qui in ejus pueritia viventes institutionis excelsioris nondum fuere capaces, Matth. XI: 20—24. Gall. IV: 7—9, minus etiam populi, sola patefactione Dei universali gaudentes, Rom. I: 20. II: 12—15. Act. XVII: 30. Gal. IV: 8. I Petr. I: 14, magis vero Israëlitae, Matth. XXI: 33 sqq. Joh. XII: 37 sqq. Act. VII: 51—54. II Cor. III: 14. Gal. IV: 1—3, iique multo etiam magis, cum inter eos versaretur JESUS, Matth. XXI: 37 sqq. XXIII: 32 sqq. Luc. XXIII: 34. Act. III: 17. I Cor. II: 8. Atque ita longe multoque etiam magis culpandi sunt omnes, quos Dei spiritus, post consummatam penitus per JESUM CHRISTUM patefactionem, per Euangelium instituit, Matth. XII: 32. Act. VII: 51. I Cor. IV: 4. I Thess. IV: 3—5. Hebr. II: 1—4. Omniumque minime excusandi sunt, qui Divinae veritatis, per Euangelium patefactae, vim jam persenserunt et vel sic tamen Divino spiritui denuo contrariam vitam degere incipiunt, vid. Gal. III: 1 sqq. IV: 8 sq. Eph. IV: 17 sqq. I Petr. I: 18, maxime Hebr. X: 26 sq. — Tale igitur, cum de singulorum hominum, tum de universae gentis humanae ἁμαρτίᾳ est faciendum judicium morale. Quod quisquis rite facit, is sane videt, Divinae, quam CHRISTUS in his terris condidit, societatis communionem genti universae humanae, utpote ea indignae, tribui, nisi gratiâ Divinâ, non posse, conf. Rom. III: 19—24.

§. XV.

Quid inde ad institutionis Divinae necessitatem concludendum?

Universi igitur homines, non modo per ingenii sui, Divinitus excolendi, rationem (§. X), sed etiam per universam indolem conditionemque suam, Divina indigent institutione; quippe qui cuncti natura σαρκικῇ, ingenium divinum impediente, induti sunt, eaque cuncti facile se pellici patiuntur, ut sibi quisque maxime vivant, humilia, corporea, terrena ante omnia spectent, atque ita cum Deo non conjuncti Deique menti atque voluntati non sint consentanei (§. XI—XIV). Quo ipso in hominibus, qui Divina capere possunt et ad divinam animorum societatem ingenio suo apti sunt (S. I.), nihil potest esse aut insipientius (§. XII), aut vilius (§. XIII), aut turpius (§. XIV); nihilque adeo ipsis ipsorumque generi miserius, nihil magis unicuique φιλανθρώπῳ et Deo φιλανθρωποτάτῳ commiserandum.

1. Non existimandum quidem est, perversitatem humanam solam in causa esse, cur Divina institutione opus sit. Uti corpori Divinae providentiae cura necessaria est, ut increscat, ita ingenio, ut excolatur, Dei institutione opus est, §. X, 1. Excellentis-

simae etiam naturae, ut ad suam pertingant perfectionem, a Deo sunt informandae, conf. Joh. V: 19, XV: 9, 15. Homo autem, utpote in corpore terreno, facile a Divinis avocante, hac in vità degens, imprimis indiget Dei ope, qua impedimenta ista vincat, Matth. IV: 4, 7, 10. Hebr. V: 7. conf. §. XIII, 3. At vero infinite tamen augetur haecce necessitas per *τὴν ἁμαρτίαν*, qua homines menti voluntatique Divinae sunt adversantes, §. XII, 3. coll. §. XI, 2, atque ideo non ingenio tantum excolendi, sed et indole convertendi.

2. Quantopere autem hac re indigeat genus humanum perversum, plane perspiciet is, qui reputaverit, et quam insipiens sit, a Deo aversari illos, qui divino sunt ingenio praediti, et quam vile, servire corpori eos, qui spiritu sunt Deo cognati, et quam turpe, eos, qui ad Dei sunt similitudinem nati, optimo huic Deo volentes resistere. Hanc humani generis per *τὴν ἁμαρτίαν* conditionem esse, liquet ex §. XI—XIV. coll. §. VIII, IX. Cum ergo et mentis nostrae et animi et voluntatis naturae excellenti atque divinae prorsus repugnet haecce conditio perversa, miserrimum ipse sese per eam sentire homo debet, Rom. VII: 24 coll. 21—23, et est omnibus, quibus *φιλανθρωπία* inest, commiserandus, hominibus aeque atque Deo, Matth. IX: 36—38. Luc. XIX: 41. Phil. III: 18. Tit. III: 3 sq.

SECTIO III.

SOLA DEI PER CHRISTUM INSTITUTIONE PERFICI POTEST, UT HOMO HUMANUMQUE GENUS DEI CHRISTIQUE CONSILIO RESPONDEAT.

§. XVI.

Nulla institutio Divina, praeterquam quae in JESU CHRISTO *data est, absolute est perfecta.*

Cum homo humanumque genus ea sit fueritque semper conditione, quae Divina indiget institutione (§. XV), Deus nullo quidem tempore cuiquam omnino defuit (§. X); sed vel sic tamen, quod ad rite aestimandam Christianam institutionem minime est negligendum, una haec Divina per CHRISTUM institutio est, qua hominis et gentis humanae indoles Dei Christique consilio plane reddi consentanea possit. Docet hoc JESU Apostolorumque diserta doctrina. Docet eorumdem universa agendi ratio. Docet etiam rei natura, si quidem ad negotii illius difficultatem, amplitudinem et sublimitatem attendas.

1. Cum patuerit nobis, ea esse conditione genus humanum, ut Divina indigeat institutione, §. XV, sed etiam ab initio inde Divina institutione illud esse gavisum, §. X; jam disquirendum restat, utrum omnibus, quamvis jam excultis, ea nominatim opus sit

institutione, quam per CHRISTUM Deus concessit. Conf. §. XI, 1. Quod si vel non necesse est ut omnes perspiciant, certe iis distincte est intelligendum, qui velint alios informare ipsamque institutionem Christianam, tanquam unicam perfectissimam, rite aestimare.

2. Ut autem homines singuli genusque ipsum humanum Dei Christique consilio plene satisfaciant, sola Divina per CHRISTUM institutione effici potest. Hanc CHRISTI esse mentem ex disertis intelligitur ipsius Apostolorumque effatis, v. c. Joh. XIV: 6. XV: 5. Act. IV: 12. I Joh. V: 12[b]. Neque minus luculenter id cernitur ex JESU agendi ratione cum aequalibus suis, Joh. IV: 14, 21—25, doctis etiam et bonis se moribus distinguentibus, Marc. X: 17 sqq. Joh. I, 48 sqq. III: 3 sqq., et ex JESU mandato, homines omnino omnes spectante, Matth. XXVIII: 19 sq. Marc. XVI: 15 sq. Apostolorum quoque omnis agendi ratio idem illud in clarissima luce ponit, Rom. I: 14—16. I Cor. I: 18 sqq. II: 4 sqq. Gal. III: 28. Col. III: 10 sq.

3. Et vero, dummodo JESU mentem hac in re rite intelligimus, idem illud ex rei ipsius natura facile potest perspici. Quodsi nempe in eorum, qui sine JESU CHRISTI cognitione atque conjunctione vivunt vixeruntque, conditionem inquirere velimus, quod plerumque opus non est, I Cor. V: 12 sq., minime statuendum est, aut his nihil vere boni divinique inesse, Rom. II: 14 sq. Hebr. XI: 4 sqq., aut nullam omnino his esse salutem posse, Rom. II: 6—12. conf. Luc. XX: 37 sq. Sed si ex ipsius JESU mente summam perfectissimamque illam, quam Dei gratia per CHRISTUM largiri hominibus generique humano vult, excellentiam salutemque, §. III, IV descriptam, nobis repraesentemus; non difficulter perspicimus, ad hanc in singulis cunctisque revera efficiendam, non sufficere ullam, praeterquam in

ipso JESU CHRISTO datam, institutionem. Sive enim illius sublimitatem consilii respicias; ad homines Deo simillimos cum eoque plane conspirantes reddendos opus est Dei Filio, Patri perfecte simili, summaque et divina vi mentes animosque flectente. Sive ejusdem insuper negotii amplitudinem cogites; ad homines omnis generis, conditionis cultusque omnino omnes ad summam perfectionem divinamque indolem perducendos, requiritur sane homo humanissimus non tantum, sed et perfectus idemque divinus. Sive denique ad tam sublimis amplique negotii difficultatem attendas, simulque reputes, homines, uno excepto JESU, omnes *τῇ ἁμαρτίᾳ* esse deditos, quae et perfectam cum Deo conjunctionem et summum erga homines cunctos amorem impedit atque tollit; facile videbis, horum omnium neminem, unum vero JESUM, *ἀναμάρτητον* summoque erga Deum hominesque omnes amore perfectum, aptum esse ad supremum Dei in genere humano exsequendum consilium. Conf. §. V, 2—8 et Joh. XIV: 6, 9 sq. XVII: 21, 23. Eph. I: 19—23. Col. I: 19 sq. II: 3, 9. Hebr. II: 17 sq. II Petr. I: 3, 4.

Conf. etiam ULLMANN, *Sündlos.* II *Abschnitt*, et disquisitio de quaestione: *Was setzt die Entstehung des Christenthums durch einen Gekreutzten voraus?*, in Opusc. *Historisch oder Mythisch?* Hamb. 1838.

§. XVII.

Reliquae institutiones Divinae omnes ad Christianam recipiendam praeparatoriae sunt.

Et vero, sive universam, omnibus gentibus datam, Divinam patefactionem consideres, sive singularem, genti Israëliticae concessam, a Deo legem; utramque erudiendo quidem et praeparando generi humano aptam reperies, neutram vero sufficientem ad Divinam in tota gente humana animorum societatem informandam perficiendamque (§. II, V, coll. III, IV). Quod uti optimi quique ante CHRISTUM viri quodammodo senserunt, ita significavit JESUS et docuerunt ejus Apostoli; Deus autem, cum posterioribus temporibus eam in rem Filium suum concesserit, luculenter id ipse declaravit. Quam ob rem ipse Deus dicendus est JESU CHRISTI institutionem commendare, ut unicam genti toti humanae sufficientem atque omnibus partibus absolutam perfectamque.

1. Cum §. XVI viderimus, ex JESU CHRISTI mente solam humano generi prorsus sufficere Divinam per ipsum datam institutionem, unum hoc disquirendum restat, quomodo ergo cum hac junctae sint reliquae, Divinitus hominibus concessae, institutiones. Jam vero hasce omnes, ex nostra quidem sententia, esse προπαιδείας, ad perfectam JESU CHRISTI παίδευσιν, praepa-

rantes, significavimus §. II—V. Et vero ex ipsius JESU mente illis genus humanum erudiri praepararique ad ipsius institutionem debuisse, vidimus §. X, imprimis Obs. 5. Unum ergo hoc superest indicandum, ex JESU mente anteriores illas institutiones generi humano non sufficere potuisse, sed ea fuisse natura, ut opus fuerit institutione perfecta, imperfectorum illorum quasi rudimentorum vim absolvente.

2. Ipse autem JESUS significabat, a generis humani primordiis inde Dei aliquam fuisse institutionem, cui vero cum non obsequerentur multi, literis expressam Deum per MOSEN dedisse legem Israëliticae genti, ad ipsius nominatim indolem comparatam, Matth. XIX: 4—9. Haec Dei jussa, quatenus in hominum omnium Deique naturâ fundata essent, non abroganda quidem censebat, sed perficienda, ibid. V: 17—19. Atque adeo vel minimos suae societatis socios germanos optimis viris antiquis ipsisque prophetis fore perfectiores, ibid. V: 20. XI: 9, 11. Novam fore horum indolem, novis quoque formis foras sese patefacturam, Luc. V: 36—39. Et vero, uti Prophetae praedixerant (Jerem. XXXI: 31—34. Ezech. XXXVI: 26 sq.) foedus aliquando fore novum, non lege nova lapidibus inscripta, sed novo spiritu eoque Divino ita conspicuum, ut sponte sua omnes toto animo essent cum Deo conspiraturi; ita JESUS jam novum per ipsum dicebat foedus homines inter et Deum fore, Luc. XXII: 20, uno novo amoris mandato conspicuum, Joh. XIII: 31; in ipsorum pectore fontem veri, boni divinique fore uberrimum, Joh. VII: 38 sq.; fore in ipsis *πνεῦμα ἀληθείας*, quo ducti non *δοῦλοι* forent amplius sed *φίλοι*, imo *ἀδελφοὶ* ipsius Dei Filii, quippe mente spirituque cum ipso cognati, cum ipso Dei filii, Joh. XIV: 17. XV: 15. XVII: 16. XX: 17;

atque ita non amplius a se invicem externo Dei cultu fore distinctas gentes varias, sed omnes una societate junctas, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ Deum colentes Patrem, Joh. IV: 21, 23. coll. Matth. VIII: 11.

Cf. HESS, *Lehre*, *That. u. Schicks.* II *Hälfte*, N. VIII, 3. ed. p. 50 sqq.

Hanc rem explicatius etiam PAULUS exposuit. Hunc si audiamus, Deus ab initio universae genti humanae sui dedit patefactionem in rerum natura animoque humano expressam, quam intelligere et persentire mens humana posset, Rom. I: 20. II: 14, 15. Aliqui etiam antiquissimo tempore patefactione gavisi sunt peculiari, Rom. V: 14. Gal. III: 16—18. Sed, per σαρκικὴν suam conditionem, plerique homines non nisi imperfecta et in externis haerentia rudimenta capiebant, Rom. I: 21 sqq. Gal. IV: 9. Col. II: 18, 20 sqq. Atque ita, cum gens etiam Israëlitica, τῆς σαρκὸς vi pellecta, vitiis sese traderet, ad haec certe coërcenda ipsi lex Mosaica est data, lapidibus inscripta, jussis cogens, metu maxime poenarum vim suam exserens, Gal. III: 19. Ita et Israëlitae et aliae gentes sua habebant sibi peculiaria δόγματα, quibus a se invicem distincti atque alieni erant variarum gentium homines, Eph. II: 15. Col. II: 14, 20. Haec ergo non nisi imperfecta rudimenta, ϛοιχεῖα, erant, perfectae olim per CHRISTUM institutioni locum cessura, Gal. IV: 9. Col. II: 8, 17, 19 sq. Scilicet in gentis humanae pueritia homines, utpote νήπιοι, erant δούλοις etiamnum simillimi et a severo παιδαγωγῷ coërcendi, Rom. VII: 14. Gal. III: 23 sq. IV: 1—3. 8 sq. Sed, cum ad maturam illa aetatem pervenisset, liberos suos Pater rudimentorum illorum atque legis servitute eximendos censuit plenaque bonorum Divinorum

possessione beandos, quippe perfectiori mente animoque sponte intimeque jam cum paterna mente paternaque voluntate conspiraturos, Gal. III: 24—26. IV: 1, 4 sq. 7. conf. Col. II: 8—10, 17, 20. Idque adeo non fecit Deus, ut, ea lege extrinsecus cogente liberati, eo liberius τῇ σαρκὶ sese homines traderent, sed ut libere atque sponte τῷ πνεύματι suo intus cum Patre consentirent, ipsi JESU CHRISTO, Dei Filio, similes, Gal. IV: 4—7, 9. V: 13. cf. Rom. VIII: 9, 14, 16. Itaque, quod per institutionem praeparatoriam effici non potuerat, id in genere humano, per illum praeparato, Deus effecit per Filium suum, divino Patris spiritu perfectissimum, et ita homines informantem, ut ipsi quoque spiritu cum Patre consentiant et τὴν σάρκα etiam τῷ πνεύματι subjiciant, Rom. VIII: 3—5, 7—10, 13. Gal. IV: 6, 9. Sic non lapidibus insculpta aut literis expressa iis Dei lex est, sed intus vivens atque in ipsis agens Divinus spiritus, II Cor. III: 3, 6. Suntque hi Dei filii supra legem, extrinsecus cogentem, et supra imperfecta illa rudimenta longe elati, quippe sponte sua cogitantes, sentientes volentesque perfectissima et Divina omnia. I Tim. I: 5—10. Gal. III: 23, 25. IV: 3, 5, 7, 9. Atque ita simul omnis generis omniumque gentium homines, non ritibus externis atque δόγμασι variis separati, sed eodem omnes πνεύματι illo conjuncti sunt in unam Divinam generis humani societatem, Eph. II: 14—22.

Conf. *Waarheid in Liefde*, 1837, III, p. 543 sqq. et L. USTERI, *Paulinisches Lehrbegriff*, I *Th.* IV, V *Abschn.* et II *Th.* I *Abschn.* §. 2 et II *Abschn.* §. 3, 4.

3. Ex hisce igitur liquet, e mente JESU CHRISTI, ipsius institutionem non solam esse institutionem Divinam, sed Divinitus et Israëlitis et aliis gentibus fuisse

aliquam *προπαιδείαν*. Quam ob rem neque Mosaica illa aut omnino ulla institutio antecedens Christianae aequiparanda est, coll. maxime Rom. VII. Gal. III, IV. II Cor. III et Epist. ad. Hebr., neque negligenda est, quasi ante CHRISTUM ulla gens Dei curâ aut institutione fuerit destituta, Rom. I: 20.

Conf. CLEMENS ALEX., *Stromat.* VI edit. Potteri, T. II, p. 762. *ὡς κατὰ καιρὸν ἥκει τὸ κήρυγμα νῦν, οὕτως κατὰ καιρὸν ἐδόθη νόμος μὲν καὶ προφῆται βαρβάροις, φιλοσοφία δὲ Ἕλλησι, τὰς ἀκοὰς ἐθίζουσα πρὸς τὸ κήρυγμα.*

Patet item, solam JESU CHRISTI institutionem perfectissimam esse et ita absolutam, ut summis Dei in genere humano consiliis exsequendis plane sufficiat; conf. maxime Gal. IV.

Conf. ORIGENES, *Comment. in Matth.* ed. de la Rue, T. III, p. 452. *πᾶσα ψυχὴ ἐρχομένη εἰς νηπιότητα καὶ ὁδεύουσα ἐπὶ τὴν τελειότητα, δεῖται, μέχρις ἐνστῇ αὐτῇ τὸ πλήρωμα τοῦ χρονοῦ, παιδαγωγοῦ καὶ οἰκονόμων καὶ ἐπιτρόπων.*

Patet denique, hujus absolutae institutionis perfectionem cum aliis multis in rebus cerni, tum praecipue in eo, quod et non legem modo aliquam egregiam extra hominem exhibet, sed *πνεῦμα* in homine eximium excitat atque alit, coll. II Cor. III: 3 sqq., et quod non uni hominum generi aut aetati, sed universae societati humanae adaptata est, coll. Rom. I: 14. I Cor. XII: 13. Gal. III: 28. Eph. III: 3—6. Col. III: 11, et quod spiritus ille, quem haec institutio excitat in omnibus, non modo bonus, sed perfectissimus est planeque Divinus, coll. Joh. XVII: 21, 23. II Petr. I: 4.

Ad faciliorem reddendam rei intelligentiam conf. PLATO, *Rep.* IX, 590 sq. PLUTARCHUS, *De audiendis philosophis*, C. I. VAN HEUSDE, *Brieven over hooger onderwijs*, p. 330, *Init. Plat.* Vol. III, p. 176 seq.

Deus autem cum generi humano, aliis jam institutionibus praeparato, perfectissimum suum dederit Filium, facto ipso ostendit, hunc demum illi informando plene sufficere.

4. Quod ita suo tempore Deus Divina prorsus ratione effecit, hoc optimi quique in antiquitate quodammodo aut optarunt aut vaticinati sunt, fore aliquando perfectam quamdam humanae societatis informationem. Ita in Oriente cum ZOROASTER, tum vero maxime MOSES et Prophetae perfectiorem institutionem fore vaticinati sunt; inter Graecos autem cum PLATO tum Stoici perfectum aliquem hominem eumque reipublicae perfectae principem et effinxerunt et fore aliquando exoptarunt.

Conf. VAN VELZEN, *Comm.* laud. *de hominis cum Deo similitudine*, P. I. *et* L. S. P. MEYBOOM, *Comm. de perfecto sapiente*, Lugd. Bat. 1837.

Horum antiquitatis universae votorum atque vaticiniorum fons communis sane non alibi quaerendus est, nisi in eo, quod optimi quique sese efficere non posse sentiebant perfectum illud, cujus speciem mente susceperant.

Certorum vaticiniorum, inter Hebraeos occurrentium, quis fons fuerit singularis, indicatum est in *Waarheid in Liefde*, 1838, II, p. 374 sqq.

Atque ita apparet, ipsum generis humani sensum, a Deo ingeneratum, expetere illud, quod per Filium suum Deus concessit, sensumque illum humanum, quo magis explicetur, eo majori duci desiderio perfectae institutionis, qualem nemo hominum dare potuit, praeterquam unus homo Divinus, JESUS CHRISTUS.

PARS II.

DE DEO, HOMINEM HUMANUMQUE GENUS PER CHRISTUM INFORMANTE.

SECTIO I.

UT HOMO HUMANUMQUE GENUS PER CHRISTUM INFORMETUR, AUCTOR EST DEUS.

§. XVIII.

A Deo informatio Christiana repetenda est omnis.

Quod homo humanumque genus ea, qua indiget, institutione et gaudet et informatur, hocce a Deo repetendum est auctore. Et JESUS quidem ejusque Apostoli omnem illam informationem a Deo perfici gratamque auctori Deo referendam esse, professi sunt omnibusque modis inculcarunt. Neque mirum sane. Quodsi enim ad naturam conditionemque hominum respicias, dicendi sunt tales esse, ut ad eam, quam CHRISTUS vult, perfectionem pervenire sine divina informatione non possint (P. I. S. II, III.), cum, divina gaudentes institutione, eandem omnino possint attingere (P. I. S. I.). Sin animadvertas ad ea, quae ad informationem

hominum re ipsa efficiendam requiruntur, patet, et institutionem, qua mens illustratur animusque regitur, Christianam auctori esse tribuendam Deo, et mentis ipsius animique facultates viresque, quibus illa institutio suscipitur et adhibetur, eidem deberi Deo auctori. — Ex quo simul intelligitur, jam deinceps esse inquirendum cum in rationem, qua Deus per CHRISTUM homines genusque humanum instituit, tum in modum, quo haec institutio per ipsas, Divinitus datas, mentis animique facultates suscipienda est, ut ea reapse homo informetur.

1. Cum Parte I viderimus de homine et humano genere, Divinitus per CHRISTUM informando, jam hacce Parte II disquirendum est de Deo, hominem humanumque genus per CHRISTUM informante, ut deinde Parte III videamus de homine et gente humana, qualis Divinitus per CHRISTUM informatur (Conf. §. VI.).
Quodsi doctrina aliqua moralis nobis esset explicanda, de ejus auctore brevissime agere liceret, cum doctrinae vis in ipsis effatis horumque conjunctione praecipue sit posita. Cum autem veri nominis institutio nobis explicanda sit (§. III, 4. §. IX.), primarius locus est, qui de institutore ipso agit. Institutionis enim cujusque vis praecipua posita est in ipso vivente atque in alumnos suos agente institutore. Cum autem per CHRISTUM non singuli modo homines, sed et conjunctum genus humanum universum sit informandum (§. III, 5, 8.); quaerendum est, et a quonam informetur homo genusque totum humanum, (Sect. I.)

et quanam ille institutione id agat (Sect. II.), et quomodo haec ab hominibus sit suscipienda (Sect. III.).

2. Itaque dicendi sunt homines a Deo informari, sive institutionem Christianam ipsam sive ejus effectum spectes eximium. Diserte hoc docent JESUS ejusque Apostoli, cum universam informationem humanam Deo tribuentes, Matth. XIX: 26. Joh. III: 3. II Cor. IV: 6. Eph. II: 10. III: 9. Col. III: 10. Jac. I: 17 sq. I Petr. I: 3, 4. I Joh. III: 9. V: 1, tum speciatim et mentis animique praeparationem Deo adscribentes, Joh. VI: 44—47. Act. XXII: 14 sqq. cf. XVI: 14, tum JESUM ipsum Divinitus datum celebrantes, Joh. III: 16. IV: 10, tum divinam dicentes Euangelii vim, Rom. I: 16. II Petr. I: 3, ejusque praeconum *ἱκανότητα* a Deo repetentes, II Cor. III: 5, 6; atque adeo omnia, quibus homines ad sapientiam pietatemque Christianam ducuntur, a Deo derivantes, Luc. XIII. 6. Rom. IX: 11, 16. Pariter et mentis animique facultates viresque, Rom. XII: 3, 6. I Cor. XII: 6, et Euangelii intelligentia, I Cor. III: 6, mentisque adeo illustratio, Eph. I: 17 sq., et animi pietas omnis, Eph. II: 8, 10, sive voluntatis inclinationem sive vim agendi spectes, Phil. II: 12, sive fortitudinem omnia superantem impedimenta, Rom. VIII: 37, atque adeo non modo probitatis Christianae initium sed etiam conservatio atque progessus Deo tribuuntur auctori, Phil. I: 6. I Thess. III: 2. I Petr. I: 4. — Congruit praeterea istiusmodi JESU CHRISTI sententiae et universa dicendi et tota agendi ratio cum ipsius tum Apostolorum, eum imitantium. Filium sese Dei dicebat JESUS et ut Filium in omnibus se gerebat, sapientiam suam omnemque vim suam a Deo acceptam gratus agnoscens, ab eo cuncta expetens, ad ejus, ut Patris, honorem cuncta referens. Vid. maxime Joh. V: 19, 26. X: 36.

XV: 1, 8, 15. XVII. Similiter constanter agebant Apostoli aliisque agendum esse sentiebant. Vid. imprimis Rom. VIII: 28. I Cor. XV: 10. Phil. II. 11. Quare dicebant, *ἐκ Θεοῦ, καὶ δἰ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας*, Rom. XI: 36.

3. Et est quidem haecce Dei vis homines informans, ad morem eorum qui religiose loquuntur, ita saepe verbis proposita, quasi nullo intercedente medio Deus in homines agat. Neque tamen ejusmodi immediatam actionem cogitari, vel effici potest ex ipsis istiusmodi locis, Joh. III: 3, 7. coll. 13—18. Joh. VI: 44, 65. coll. 45 sqq. Phil. II: 13. coll. 12. Act. XVI: 14[b]. coll. 14[a]. Caeterum non modo negatur interdum Deus in homines immediate agere, Joh. V: 22. VI: 46; sed et Patri proximus Dei Filius proponitur, ut solus immediata gaudens ipsius consuetudine, Joh. I: 18. V: 37. VI: 46. I Tim. VI: 16 I Joh. IV: 12. Homines autem et Deum inter *μεσίτης* a Deo constitutus est idem ille Filius, I Tim. II: 5; atque hic ipse, uti post videbimus, et Euangelii et legatorum suorum et ecclesiae suae universae et rerum humanarum moderationis utitur medio. Celebratur ergo Deus informationis humanae omnis auctor, non quod alii ejusdem effectores sint nulli, aut nullae, per quas Deus agat, res intermediae, sed quia ille solus auctor est moderatorque supremus, cui et Filius et reliqui effectores omnes et res intermediae omnes vim suam debent divinam. Eadem vero illa Dei actio nullis omnino est circumscripta limitibus, atque per universam rerum naturam Deus in homines, ut eos informet, agere existimandus est, Rom. VIII: 28, 38 sq. I Cor. III: 22 sq. Quo ipso fit, ut splendidissimum adsit Divinae in gente humana informanda sapientiae benignitatisque theatrum, Eph. III: 10.

4. Quod ita et ipse JESUS et ex hujus mente Apostoli docuerunt, id ex natura humana ipsi quoque nos luculenter perspicere possumus, homines posse, non nisi auctore Deo, fieri perfectissimos. Est enim homini a Deo inditum ingenium divinum, quo divina percipere, persentire atque velle potest, coll. §. VIII, IX. Sed et ingenium hocce excolendum, col. §. X, et vero *τῆς σαρκὸς* vis periculosa superanda perniciosusque perversitatis effectus vincendus est, coll. §. XII, XIII. Atque ideo opus est, ut et mentem suam voluntatemque homini Deus patefaciat, et a rebus illi contrariis eum revocet, et ad illam sequendam eum impellat. Est ergo homo in rebus moralibus divinisque ingenio quidem potens, sed idem per naturam suam indolemque minime sibi sufficiens. Ut corpore, ita animo potest quidem, sed unice Deo auctore potest, invalescere atque fieri perfectus. Neque sane, aliter se rem habere, quisquam existimabit, qui reputet hominem, non Deum, se esse, atque ideo non *αὐτάρκην*, ut Deus, sed, Dei vi potentem, ut filium a Patre informandum. — Idem ex ipsius, quae per CHRISTUM nobis contingit, informationis natura perspicitur, quippe oriuntis ex institutione, in animum agente et ex conspirante cum ea animi ipsius vi. Institutio enim illa Christiana tota quanta a Deo et profecta est et vim suam divinam habet. Homo autem resistere quidem ei potest, quippe qui non physice cogatur, sed morali ratione informetur, libereque adeo ipse obsequi ei debeat. Quod autem institutionis Christianae vi divina, cui obsequitur libere, ad optima quaeque informatur, et quod tam praestanti divinoque est ingenio, quo possit libere atque *αὐθαίρετος* ad optima quaeque escendere, utrumque sane homo Christianus gratum Deo referet auctori.

SECTIO II.

DE RATIONE, QUA DEUS PER CHRISTUM HOMINES HUMANUMQUE GENUS INSTITUIT.

CAPUT I.

DE MODO, QUO AGIT PER CHRISTUM DEUS IN MENTES ANIMOSQUE HOMINUM.

§. XIX.

Divina veritatis patefactio.

Inquirentibus nobis in modum, quo generis humani institutor Deus in hominum mentes animosque per CHRISTUM agit, liquet, ante omnia hanc Dei vim actionemque cerni in divina veritate iis patefacienda.

Et primum quidem hominibus per CHRISTUM patefit Dei, qualis vere est, natura Divinaque erga homines mens atque voluntas sapientissima, sancta, hominum amantissima et consiliis optimis benignissimisque cuncta subjiciens. Etenim, quomodo de Deo cogitandum sit, non verbis tantum divinitus docetur; imo in indole, quam Dei Filius per omnem suam agendi rationem manifestavit, tamquam in per-

fectissima imagine, Divinam suam indolem Pater praebuit conspiciendam: atque in universo negotio dati in gentis humanae salutem JESU CHRISTI, tanquam in maximo theatro, re factoque Deus omnium oculis exposuit suam mentem et erga homines voluntatem. Quamobrem luculentissime in JESU CHRISTO patefacta conspicitur ipsa, qualis est, Dei veneranda atque summe amabilis natura.

Deinde pariter Deus, non modo per JESU doctrinam indicavit, quaenam vera sit judicanda hominis felicitas; sed veram felicitatem ipsam in Filii sui persona spectandam praebuit, qua optimus quisque maxime ad ejusdem communionem expetendam excitetur. Sive enim illum JESUM CHRISTUM hominem contempleris, humanissime in his terris viventem, sive eundem Dei Filium, in coelesti etiam vita ratione divina agentem; unam vides ei esse summam felicitatem, non ex rebus externis et voluptatum, honorum dominationisve oblectamentis redundantem, sed ex summo, quod in sapientia, sanctitate saluteque apud omnes provehenda situm est, gaudio, honore, principatu. Quare hancce ipsam verissimam esse summamque terrigenis aeque et coelicolis, humanis aeque atque Divinis mentibus propositam feli-

citatem, patefecit Deus, et, tanquam in perfecta specie, in illo divino hominum omnium duce expressit.

Denique Deus verbis non modo praecepit, quae vera virtus perfectioque hominis sit habenda; sed virtutem ipsam perfectionemque omnium adspectui in JESU CHRISTO manifestavit, humanam illam eandemque Divinam. Namque in illo υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου perfectissimo eodemque unico τοῦ Θεοῦ υἱῷ Deus patefecit et contemplandam praebuit omnibusque diligendam veram mentis animique praestantiam, sitam illam in sapientia, sanctitate atque amore, optimis consiliis cuncta subjicere studente, Divinae sapientiae, sanctitatis amorisque similitudinem referente, et cum mente adeo atque voluntate ipsius Dei penitus conspirante.

Hujusmodi est patefactio, qua Deus per CHRISTUM in mentes hominum agit, reliquam patefactionem omnem, uti egregie confirmans, ita vi sua longissime superans.

1. Ut perspiciamus, quomodo Deus homines ab indole, verae Divinitati contraria (coll. §. XII, 2.), avocet et ad id, quod vere Divinum est, mente animoque sectandum instituat per CHRISTUM, primo loco indagandum videtur, quo modo per CHRISTUM Deus Divinam patefaciat veritatem. Et Divina quidem eaque

moralis cum sit haec institutio, incipiendum videtur ab ipsius Dei natura per illum patefacta, hinc progrediendum ad verae felicitatis, denique procedendum ad verae virtutis patefactionem contemplandam.

2. Jesus igitur eumque secuti Apostoli saepe verbis docuerunt aequalibusque suis indicarunt, qualis esset Dei natura, jam patefacta. Ita in rerum universitate patefactam Dei sapientiam, Matth. VI: 26. I Cor. XII: 18, bona sanctaque consilia, Luc. XIII: 4. coll. 6—9. Hebr. XII: 9—11, amorem praesertim, Matth. V: 45. Act. XIV: 17, XVII: 24—27, quasi digito monstrarunt. Pariter, ut in theatro altero, patefactam jam in historia generis humani cum sapientiam Divinam, Matth. XXI: 33 sqq. Gal. IV: 1—3, tum sanctitatem, Matth. XXIV: 38 sq. Rom. I: 18 col. 24 sqq. I Cor. X: 5 sqq., tum vero Divinum amorem indicarunt, Rom. I: 19 sq. II: 4. cf. Luc. XIII: 6—9. Denique pariter in natura ipsa humana interiori, tanquam in imagine, Dei naturam cum spiritualem, Act. XVII: 28 sq. tum sanctam, Rom II: 15, tum bonitate atque amore insignem, Matth. VII: 9—11. XVIII: 34 sq. Luc. XV: 3—24, commonstrarunt. Conf. §. VIII, 2, 5.

3. Verum non modo aequalibus suis JESUS Apostolique Dei naturam verbis declararunt, prouti jam erat patefacta; sed, quod longe gravissimum est, in ipso JESU CHRISTO perfectissima Divinae naturae et illustrissima patefectio data est generi humano.

4. Et ipsa quidem JESU CHRISTI persona Divinae naturae perfectissima est imago. Dei enim, *τοῦ ἀοράτου*, mentem voluntatemque et naturam omnem, a Patre acceptam, refert adspectabilem unigenitus Dei Filius, qui est *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως τοῦ Θεοῦ.* Eamque imaginem ille, cor-

pore humano indutus, dictis, factis omnique vivendi ratione auribus oculisque revera percipiendam praebuit.

Nempe hujus Filii mentem quidem si respicias, hanc plenam semper ἀληθείας sive φωτὸς ostendit; animum si consideres, purum semper sanctumque manifestavit; voluntatem si attendas vitamque omnem, hanc amori penitus consecravit et vi summa praeditam ostendit, universam rerum naturam consiliis optimis subjiciente. Atque in eo perfecta cernebatur harmonia, cum animo mens semper praeluceret, animus ἐν ἀληθείᾳ ἅγιος totus secum ipso consentiret, amor autem et verus et sanctus esset, et eum constanter impelleret, ut vi potentissima eademque sapientissima, sanctissima et benignissima ageret. Est igitur ille vita sua, his in terris acta, Dei sapientissimi, sanctissimi, amantissimi et omnipotentiam suam prae amore ad sanctitatem salutemque humanam inservire volentis, imago perfecta.

Hoc autem, qui talem se in terris conspiciendum praebuit, Filio si reputes Deum et usum esse μεσίτῃ in mundo physico creando, et uti μεσίτῃ in mundo spirituali regundo atque reformando, videbis sane in illo illustrissime patefactam esse Dei creatoris, summi moderatoris rerumque omnium rectoris, veram perfectamque naturam.

Haec singula latius exponere, aut documentis ex historia petitis comprobare, non hujus est loci, pertinet id ad Dogmaticam Christianam.

5. Quam ita in persona sua adspectabilem hominibus patefecit JESUS CHRISTUS Dei veram naturam, hanc quoque et ipse et ipsius Apostoli in ejus persona patefactam verbis docuerunt aequalibusque suis indicarunt. Vid. maxime Joh. I: 3, 14, 18. III: 34.

XII: 44 sq. XIV: 9, 10. Col. I: 15—19. Hebr. I: 2, 3.

Conf. J. HINLOPEN, *Vervolg van overdenkingen*, Utr. 1799, p. 283 sqq. *Waarheid in Liefde*, 1838, II. p. 227 sqq. 1839, IV. p. 752.

6. Uti JESU CHRISTI persona Dei est imago, ita totum, quod, auctore Deo, inter homines egit agitque, negotium theatrum est perfectissimum illustrissimumque, in quo Deus paterna erga homines mente atque voluntate agens conspicitur. Misit eum Pater, ut Divina ipsius exsequeretur consilia. Consilia autem haec quae sint, ostendit historia illius, qui unice vixit, ut homines ad coelestem divinamque sapientiam, sanctitatem, virtutem, amorem informaret. — Misit eum Pater, ut Divinum ipsius erga homines animum declararet. Animus autem hicce Patris quis sit, manifestat historia Filii, qui leni, condonanti, miseranti, impensissimeque amanti animo in generis humani salutem et vixit et vero etiam mortem obiit. — Pater eum e morte in vitam reducem supra omnia erexit, ut Divinae providentiae omnipotentiaeque consilia exsequeretur. Providentiae autem Divinae haecce consilia quaenam sint, in historia Ecclesiae, quam CHRISTUS fundavit, conservat, perficit ad omnis sexus, aetatis, conditionis, gentis, homines veritate, sanctitate atque amore conjungendos beandosque, tanquam in amplissimo splendidoque theatro demonstrat.

Conf. quae dicta sunt ad Obs. 4 in annot.

7. Quam ita in JESU CHRISTI, negotium a Patre ipsi datum peragentis, historia homines omnes cernere possunt patefactam Dei mentem voluntatemque, hanc et in ea patefactam docuerunt aequalibusque suis

indicarunt JESUS ejusque Apostoli. Vid. praesertim, Joh. XVII: 1, 2, 21 sqq. Rom. V: 6-8. VIII: 32. Eph. I: 6—10, 19-23. III: 10, I Petr. I: 12, 14—22. I Joh. IV: 9, 10, 14.

8. Haec, quae in JESU CHRISTO concessa est, non sola quidem est Divinae naturae patefactio. Vid. Obs. 2. Quare et ante JESUM, cum ex rerum universitate, tum ex gentis humanae historia, tum ex interiori natura hominis, complura jam egregia de Divina natura derivarunt poëtae maxime et prophetae Hebraei atque philosophi antiqui, Socrates imprimis, Plato et Seneca.

Conf. v. c. Ps. 104. I Sam. XII: 6 sqq. XENOPHON, *Memorab. Socrat.* L. I, c. 4. L. IV, c. 3. SENECA, *Ep.* 25, *de Benef.* IV, 26. De PLATONE vid. VAN HEUSDE, *Socratische School*, II. p. 151 sqq. Alia etiam laudat DE GROOT, *Inst. Th. Nat.* 1839, p. 118 sq.

At vero sive cum mundi physici aut reliquae historiae theatro historiam CHRISTI Ecclesiaeque Christianae, sive cum reliquorum hominum natura perfectam JESU CHRISTI personam compares; videbis unam hanc, in JESU CHRISTO datam, Divinae naturae patefactionem et certissimam esse et illustrissimam atque ideo omnino perfectam. Conf. §. XVI, 3.

Neque mirandum adeo, JESUM ipsum Christianosque, hac perfecta patefactione illustratos, in reliquis etiam Divinae naturae patefactionibus facilius meliusque Deum cernere potuisse. Quod uti in nonnullis N. F. locis, v. c Matth. V: 45. Luc. XV: 20 sqq. Act. XVII: 28 sq. Rom. II: 14 sq. Gal. IV: 1 sqq., observari meretur, ita et in philosophorum Christianorum quorumdam de Deo disquisitionibus et historiae humanitatis descriptionibus patet.

Conf. I. S. P. MEYBOOM, *de F. Hemsterhusii meritis in philosophiae loco de Deo hominisque cum Deo conjunctione explicando*, Gron. 1840. VAN HEUSDE, *De School van Polybius of geschiedkunde voor de negentiende eeuw*, Amsterd. 1841.

9. Veram felicitatis quoque naturam JESUS eumque secuti Apostoli saepe quidem verbis docuerunt aequalibusque suis indicarunt jam patefactam. Sic et ex ipsa rerum natura conspicuam, Matth. XVI: 26. XXII: 4 sqq. XXV: 20 sqq. Luc. XVI: 10. Gal. VI: 7, 8. coll. II Cor. IX: 6. Jac. III: 18. I Joh. II: 16 sq., et in gentis humanae historia patentem, Matth. XXIV: 38. Rom. I: 24 sqq. I Cor. X: 6 sqq., et in cujusque hominis experientia facile cernendam, Matth. V: 3 sqq. VII: 24 sqq., indicarunt felicitatis atque infelicitatis naturam, a Deo hominibus jam patefactam, licet ab ipsis non satis agnitam. Conf. §. XII, 7, 8.

10. Sed, quod multo majus graviusque est, in ipso JESU CHRISTO Deus veram felicitatis naturam ita patefecit generi humano, ut omnes in illo et cernere luculentissime possint, quae vera summaque sit felicitas, et, quo melius animati sunt, eo magis sponte adducantur ad hanc veram felicitatem expetendam.

11. Est enim JESUS ille a Deo constitutus datusque hominum omnium Messias, sive princeps societatis suae, sociis omnibus ejusdem, qua ipse summopere gaudet, beatitatis auctor. Atque adeo ille est τύπος et perfectum exemplar felicitatis, hominibus expetendae.

In illo autem luculentissime patefit, veram felicitatem non esse σαρκικὴν, in voluptatum externarum, libertatis excellentiaeve adspectabilis, aut gloriae honorumve externorum fructu positam. Hujusmodi

prosperitate JESUS ut omnino caruit, sic aliam prorsus, per dolores etiam, infamiam, vincula ipsamque crucem, sibi existimavit semper expetendam veram summamque felicitatem.

Cum enim in illo non ἡ σάρξ sed τὸ πνεῦμα dominaretur, veram summamque felicitatem habebat πνευματικὴν illam, qua excelsae ipsius naturae satisfieret, positam in eo, ut nosceret se sentiretque veritate perfecte ductum, sanctissimum, hominibusque quam plurimis salutis excellentissimae auctorem. Hanc ille uti in se gerebat beatitatem, ita eandem se et veram et summam felicitatem sibi existimare non verbis modo effatus est, sed et vita omni atque morte patefecit.

Quodsi iam reputemus, eundem illum Dei Filium et coelestem, qua antea fruebatur, gloriam liquisse, ut humili in terris vita atque morte illam sibi χαρὰν compararet, et, postquam e terris in coelum rediit, hac una in re beatitatem suam ponere, ut ex Patris voluntate omnes reddat sanctitate atque amore beatos; cernemus profecto, in JESU CHRISTO nobis patefactam veram, qualis in coelo terraque omnibus habenda est, felicitatis naturam.

De hac Obs. etiam valet, quod dictum est Obs. 4. in annot.

12. Quod ita in JESU CHRISTO Divinitus humano generi est patefactum, quaenam sit vera summaque felicitas expetenda, id JESUS quoque ejusque Apostoli aequalibus suis indicarunt in ipso patefactum. Docuerunt, JESUM CHRISTUM exemplar esse atque τύπον ejus excellentiae summaeque beatitatis, quae omnibus est sectanda, Matth. XVI: 24. XX: 25—28. Joh. XII: 25 sq. XIV: 2, 6. II Cor. III: 18. Hebr. II: 5—10. VI: 19 sq. Ipsum proposuerunt non σαρκικῇ aliqua felicitate gavisum, Matth. IV: 1—10. XII:

46—50. XVI: 16—19. Luc. XI: 37 sqq. Joh. II: 1 sqq. XVII: 1, 2. Hebr. XII: 2, sed in mediis adversitatibus πνευματικῇ felicitate beatum, Matth. XX: 25—28. Luc. X: 21. Joh. IV: 34, 36. V: 41. coll. 44. Joh. XV: 8—11. XVII: 13. coll. 19, 24. Hebr. ll. Et qualem se in terrestri vita manifestavit, talem quoque in coelesti vita cum antea fuisse, tum postea semper eum esse, docuerunt, Joh. XVII: 1—3. coll. 4 sq. II Cor. VIII: 9. Phil. II: 6—11. Hebr. l. l.

13. Est etiam haec verae felicitatis patefactio, in JESU CHRISTO data, non sola, qua Deus hominibus, quae vera salus sit, manifestavit. Vid. Obs. 9. Itaque et ante JESUM fuere, qui, cum sua tum aliorum experientia, atque ipsius rei natura edocti, prosperitatem adversitatemque a vera felicitate atque infelicitate ita distinguerent, ut veram hominum gentisque humanae salutem in beatitate πνευματικῇ quaerendam existimarent. Inter Hebraeos hunc sensum maxime enuntiarunt Prophetae, de felicitate summa πνεύματος ἁγίου olim futura, vaticinantes: inter Graecos Romanosque imprimis Socrates, Plato, Stoici.

Vid. v. c. Jes. XI: 1 sqq. Joël II: 28 sqq. XENOPH. *Memor. Socratis* L. II, c. 1. PLATONIS *de Rep.* libri, eo consilio scripti, ut pateret, τῇ δικαιοσύνῃ veram contineri hominis civitatisque beatitatem; Stoicorum *Paradoxa*, a CICERONE explicita.

Sed est illa, in JESU CHRISTO data, verae felicitatis patefactio luculentissima omninoque unice perfecta. Aderat haec beatitas πνευματικὴ perfecta in solo perfecto illo JESU CHRISTO. In ipso, prosperitate externa penitus destituto, tam certo tamque luculenter patuit, unam illam veram esse atque in mediis etiam adversitatibus sufficientem felicitatem, ut ne fingi quidem certior aut luculentior patefactio possit. Et

in JESU CHRISTO, Divino illo simul et humano, qui in coelis aeque atque in terra semper ea felicitate πνευματικῇ beatus est, manifeste apparet, eam beatitatem absolute summam esse coelicolis Deoque pariter ac terrigenis hominibus.

Quo magis sentiatur, ne fingi quidem patefactionem luculentiorem felicitatis verae posse, conferri meretur locus CICERONIS, *de Rep.* L. III, c. 13.

Haec igitur perfectissima verae, quae omnibus expetenda est, felicitatis patefactio ut inter Christianos profligavit antiquitatis opinionem regnantem, in adversitate Divinam iram, in prosperitate Divinam benignitatem esse conspicuam; ita effecit, ut philosophi aliqui Christiani ex ipsa quoque rerum natura admodum egregie de vera beatitatis natura statuerent.

Vid. imprimis FR. HEMSTERHUIS, *Aristée*, Op. II, p. 70 sq.

14. Denique, quae sit virtutis vera natura, JESUS eumque secuti Apostoli saepe ita aequales docuerunt, ut id derivarent ex natura Dei et ex hominum cum Deo atque secum invicem conjunctione, qualis omnibus ex universali patefactione esse nota poterat. Ita ipse JESUS docebat, non ritibus verum Dei cultum contineri, sed πνεύματι, Joh. IV: 21—24; non e factis, sed ex animo aestimandam esse bonitatem, Matth. V: 27 sq. VI: 3, 4. Marc. VII: 18 sqq.; ut socios diligendos esse homines omnes, Matth. VII: 18. Luc. VI: 31 sqq. X: 29 sqq.; Divino amore complectendos esse errantes miserosque, Matth. 18: 10, 12 sqq. 22 sqq. Luc. XV: 2 sqq.; omninoque Deum esse exemplum hominibus imitandum perfectissimum, Matth. V: 44—48. Conf. alia, etiam Apostolorum, dicta laud. §. VIII, 2—5.

15. Sed, quod hac quoque in causa multo gravius existimandum est, Deus in JESU CHRISTO, tanquam perfecto exemplo atque τύπῳ, veram virtutem ipsam toti generi humano patefecit atque conspiciendam praebuit.

16. Erat JESUS CHRISTUS mente, animo, voluntate perfectus idemque harmonice semper compositus. Conf. Obs. 4. Ostendit igitur sese veritate adeo illustratum, ut lux totius mundi fieret. Divinae veritati convenienter adeo compositus erat animus, ut quam aliis commendabat sanctitatem ipse tota vita manifestaret. Regnabat in eo amor verus, sanctus, maximus, misericordia erga perversissimos etiam, juncta cum summo perversitatis odio, studiumque omnes ad veram salutem adducendi perpetuum. Et haec vis mentis animique ut maxima erat, ita in corpus dominabatur prorsus, et cum prosperae fortunae sollicitationes tum adversae impedimenta superabat. Fontem autem virtutis bonitatisque omnis si quaeras, in una eum invenis JESU CHRISTI cum Patre, quem penitus noscebat impenseque amabat, consensione, qua sponte uniceque cum illo conspirabat.

Quam autem ille in terris ita patefecit virtutem, haec eadem est, quae ipsum Dei Filium adduxit, ut coelitus in terras descenderet, eadem etiam, quae ipsi in coelis Ecclesiae suae moderatori perpetuo est propria.

17. Quod de JESU praestantia interna diximus, depictum videas, v. c. Marc. III, 5. cf. Matth. XXIII: 34—37. Luc. XIX: 41; quod de animi vi in corpus dominatrice, Matth. IV: 2 sqq. XXVI: 39 sqq. Fontem suae indolis in consensione cum Patre quaerendum esse, ipse indicavit, Joh. XIV: 10, 31. XV: 10, 15. XVI: 13—15. XVII: 17—19, 21, 25. De ipsius in coelis viventis indole eadem, atque in

terris manifestata, conf. Rom. VI: 10 sq. II Cor. VIII: 9. Phil. II: 5 sqq. Coll. III: 1, 12 sq. I Joh. III: 2 sq.

Caeterum conferatur dictum Obs. 4 in annot.

18. Qui autem tam perfectus ipse est JESUS CHRISTUS, perfectum etiam est virtutis exemplum.

Et personam quidem eam gerit, ut habendus sit ab hominibus summum virtutis exemplar, omnibus imitandum. Est enim societatis inter homines Divinae Princeps, ecclesiae suae Caput, Dux, Divinitus omnibus, quem sequantur, datus.

Idemque natura sua vitaque omni talis est, ut aptissimum aeque atque summum sit hominibus exemplum. Qui ipse *κατὰ πνεῦμα* prorsus Divinus Deoque similis, *κατὰ σάρκα* humanus hominibusque simillimus erat (Joh. I: 14. Rom. I: 3, 4. I Petr. III: 18), optimum est perfectionis, imo divinitatis exemplum hominibus, ingenio Deo cognatis. Quod in terris habebat peragendum negotium, peregit unice spiritu veritatis, sanctitatis, amoris Divino in omnium salutem patefaciendo; idemque ille spiritus ab omnibus est similiter patefaciendus. Sanctus qui erat, et tamen humano more sensim in perfectione progrediens atque peccati illecebris expositus, (coll. Matth. IV: 1 sqq. XVI: 23. Luc. II: 52. XII: 50. Joh. XII: 27. Matt. XXVI: 38 sqq. Hebr. II: 14 sqq. et §. XIII, 2, 3.) nobis hominibus, *ἐν σαρκὶ* viventibus, et aptum est et simul summum, quod sequamur, exemplum.

19. Uti in CHRISTO omnes verae virtutis exemplar cernere possunt, ita JESUS etiam ejusque Apostoli constanter aequales suos docuerunt, indolem CHRISTI, ipsius e coelis in terram adventu, omni

vita terrestri, morte, coelestique vita patefactam, exemplum esse, omnibus imitandum, perfectum. Vid. Matth. X: 24 sq. 37 sq. XVI: 24 sqq. XVIII: 10 sqq. XX: 27 sq. Luc. IX: 54—56. Joh. XIII: 15 sq. 34. XV: 12 sq. XVII: 21. II Cor. VIII: 9. Phil. II: 5 sqq. Col. III: 1. I Petr. II: 21 sqq. I Joh. II: 6. III: 3, 16.

20. Non est in solo JESU CHRISTO vera virtutis natura Divinitus patefacta. Vid. Obs. 14. Quare et ante JESUM fuerunt, qui eam quodammodo cognovissent. Hebraei maxime Prophetae Dei spiritu agendum esse hominem videbant, cumque talem indolem nondum genti inesse dolerent, vaticinabantur, hanc olim fore perfectionem. Socratici philosophi, et Plato maxime, virtutem ponebant in *τῇ ὁμοιώσει τῷ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.* Cumque talem, qualem sibi mente informabant, neminem invenirent, perfectum ejusmodi *φιλόσοφον* sive sapientem sibi finxerunt Plato maxime et Stoici.

Vid. Jes. XI: 1 sqq. Ezech. XXXVI: 26 sq. PLATO, *Theaetet.* p. 176. Caeterum conf. §. XVII, 4.

Sed verae virtutis patefactio perfecta in uno nobis adest JESU CHRISTO. Quod optabat fingebatque antiquitas, sentiens virtutem, si oculis conspici posset, mirabiles sui excitaturam esse amores, id in CHRISTO Deus concessit, imo tam perfectum dedit virtutis exemplar, quam nemo aut optare aut sibi fingere potuerat. Ut unus ille est summe perfectus sanctusque, ita in difficultatibus maximis maximam virtutem patefecit. Et ut ille Divinitus omnibus datus est Dux, ita ille idem solus et perfecta est Dei imago

et perfectum hominis exemplum, in quo ἡ τοῦ ἀνθρώπου ὁμοίωσις τῷ Θεῷ absoluta adest.

Neque mirandum adeo inter Christianos, perfecta hac patefactione beatos, excelsissimas prolatas esse de virtute sententias, et philosophos quoque exstitisse, qui ex rerum natura gentisque humanae historia sublimem Divinae in homine virtutis indolem explicarent.

Vid. imprimis HEMSTERHUIS, *Aristée*, p. 69 sqq. 116 sqq.

§. XX.

Divina amoris demonstratio.

Uti divina veritate patefacienda in mentes hominum, ita Deus per CHRISTUM in eorum animos agit maxime summo iis demonstrando amore. Idque dupliciter.

Et altero quidem loco, Deo auctore, summum suum hominibus amorem demonstrat JESUS CHRISTUS. Namque non modo hic per suam Apostolorumque suorum doctrinam id egit, ut ad varia, quibus in hac terra gauderent, caritatum humanarum documenta rite attenderent homines; sed et summum ac plane unicum ipse homo perfectissimus idemque Dei Filius iis ostendit amorem suum. Etenim conditionem suae praestantiae congruentem excelsissimam coelestemque linquens, ad homines indignos humilique in conditione versantes se demisit sponte tantoque amore, ut vel atrocissimam

et ignominiosissimam subiret mortem; quo posset summa gaudere felicitate, quam amantissimus ille in eo ponit, ut omnes sui similes, praestantissimos eoque ipso felicissimos reddat.

Altero autem loco per CHRISTUM ipse suum in homines amorem ostendit Deus. Etenim non tantum divinitus JESUS et Apostoli verbis monebant, ut bene animadverterent homines ad amoris, a Deo iis demonstrati, specimina plurima; sed et incomparabilem planeque infinitum Deus amorem demonstrat Filio suo hominum Conservatore praebendo. Qui enim suprema sua majestate immense supra mortales elatus est, summoque jure praeterea indignationem suam puniendique severitatem iis utpote perversis manifestare possit; excelsissimus ille Deus ad homines *ἁμαρτωλοὺς* eosque omnes sese demittit tantoque hos amore amplectitur, ut excellentissimum adeo dilectissimumque Filium suum iis concedat: atque ita majestatem suam atque beatitatem in hoc ponit, ut mortales hosce terrenosque omnes erigat, reddat coelestes, Filio suo similes, et quam maxime participes ipsius naturae atque beatitatis Divinae.

Hujusmodi est amor, quo per CHRISTUM Deus in hominum animos agit, reliqui amoris omnis vim et longissime superans et admirabiliter augens.

1. Eo ipso, quod veritatem hominibus adspiciendam praebet, simul Deus in eorum animos agit, ut hos flectat ad ipsum diligendum et ipsius mentem voluntatemque, qualis vere est, sequendam. Idque maxime, quia ejus est naturae illa veritas, ut animum sponte moveat volutatemque flectat. Illa enim veritate patefacta ante oculos versatur et JESUS CHRISTUS, qui homines per summam praestantiam ad summam ducit beatitatem, et Deus ipse, qui sapienti, sancto potentissimoque amore eos Divinae sanctitatis beatitatisque reddit participes. Cum ergo illius patefactionis summa eo redeat, CHRISTUM perfectae auctorem beatitatis et Deum amorem ipsum esse, hoc sane nihil ad animos movendos flectendosque aptius esse potest. Talem autem et CHRISTUM et Deum esse, cum jam patuerit §. XIX; nunc tantum videndum est, qualis quantusque sit ille CHRISTI Deique amor, ut a nobis persentiatur praecipua institutionis per CHRISTUM Divinae vis movens.

2. Et JESUS quidem eumque secuti Apostoli non raro suos aequales verbis attentos reddiderunt ad amoris caritatisque documenta, a parentibus, amicis aliisque hominibus, speciatim a doctoribus legatisque Divinis edita, Matth. V: 46 sq. VII: 9 sqq. XVIII, 27 sqq. XXIII: 29—35. Luc. X: 33 sqq. XI: 5—8. XV: 20 sqq. Rom. V: 7. Horumque amoris documentorum interdum etiam monuerunt effectum naturalem in homines esse debere, ut ad probitatem et speciatim ad amorem ipsi adducerentur. Vid. maxime Matth. XVIII: 27 sqq. XXIII: 29 sqq. Luc. XV: 20 sqq.

3. Sed, quod multo majus est, ipse CHRISTUS prae aliis omnibus eminenti homines amore complexus est. Hujus, quo CHRISTUS genus humanum

complexus est, amoris magnitudinem ut aestimemus, complura conjunctim sunt spectanda. Fontem si respicias; non sunt amantes, quos redamat, sed immerentes, aversos adeo inimicosque solo coelestis animi impetu amat. Vim amoris si reputes; vivit iis totus et generosissime omnia pro iis sacrificavit. Consilium si queras; hoc ad veram eamque summam iis salutem afferendam spectat. Sive denique ad intimam amoris caritatem attendas; vult intimam suorum secum animi conjunctionem, quo mens una, spiritus idem, una sit iis cum ipso beatitas.

4. Ad varias hasce rationes, ob quas CHRISTI amor maximus est, aequales quoque suos attendere voluere JESUS ejusque Apostoli. Quod ad fontem, videantur prae caeteris loca Joh. XV: 16[a]. Rom. V: 6—8. cf. Matth. V: 43—47; quod ad vim, Matth. XX: 28. Luc. X: 21. Joh. XV: 11, 13. Rom. l. l. II Cor. VIII: 9. Eph. V: 2. Phil. II: 4—8. Hebr. XII: 2; quod ad consilium, Joh. XVII, 1—3. coll. Matth. VI: 31—33. VII: 24—27 atque I Cor. I: 30; quod ad intimam caritatem, Joh. XV: 1—7, 15. XVI: 13 sq. XVII: 16, 21—26. Rom. VIII: 10, 17, 29. I Cor. VI: 17.

5. Est autem non solus quidem CHRISTUS, qui vero, veramque salutem humanam spectante, amore homines complexus est. Vid. Obs. 2. Imo cum aliorum amore ipsius amor comparari potest, conf. Matth. XXI: 34—39. XXIII: 30—35. Joh. XV: 13. Rom. V: 7, 8. Hebr. I: 1. Et fuerunt etiam ante JESUM parentes, institutores, legislatores, prophetae, philosophi, qui simili suos gentemve suam amplecterentur amore: item fuerunt, qui aut vaticinarentur aut optarent, fore aliquando perfectum aliquem, qui summam salutem amore summo demonstrando efficeret.

Vid. v. c. Jes. LIII. Plaeo, *Rep.* L. VII, p. 516 sq. 519 sq.

Sed prae illis, amore conspicuis, hominibus omnibus eminuit, imo vaticiniis his votisque effictam speciem longe superavit CHRISTUS, estque hujus amor praestantia sua plane unicus. Est enim et vi sua tantus et indole tam divinus (coll. Obs. 3) et ambitu suo tam omnes complectens, ut hominum aliorum amorem longe post se relinquat, ad Dei *φιλανθρωπίαν* quam proxime accedat.

Neque mirandum adeo, hunc summum CHRISTI amorem amores simillimos in compluribus variarum aetatum Christianis excitasse, et ipsum parentum, amicorum, doctorum aliorumque hominum amorem sanctiorem excelsioremque reddidisse.

6. Ad ipsius Dei amorem, documentis multis jam probatum, JESUS ejusque Apostoli suos aequales saepissime attendere jubebant. Sic et per rerum naturam iis data beneficia Divinamque patefactionem, ut amoris Divini specimina laudabant, Matth. V: 45. VI: 26 sqq. Act. 14: 17. XVIII: 24 sqq. cf. §. XIX, 2; et in omnibus, quae per homines ad gentium cultum perfectionemque fierent, agnoscendum docebant Dei amorem, Matth. XXI: 33 sqq. Luc. XIII: 7 sqq. Hebr. I: 1; quo ipso scilicet ad Deum amandum colendumque aequales suos impellerent.

7. Sed amoris documentis, antea humano generi a Deo datis, omnibus longe excellentius luculentiusque est in Filii sui hominum Conservatoris dono. Quum enim antecedentibus temporibus, quibus illius doni capaces nondum erant homines, nemo vel cogitando fingere plane ejusmodi quid potuisset, reapse illud summum amoris documentum Deus suo tempore praebuit. Et ut, quam ingens sit hicce Dei amor,

quodammodo intelligamus, omnes paene nos destituunt comparationes, nisi Patris Dei amorem ipso etiam Filii amore superiorem esse, instituta comparatione perspiciamus. Et fontem quidem si spectes; Filii amor est a Patre in ipso excitatus, Deus vero prorsus *αὐτοκίνητος* et primus amoris omnis fons ipse est. Ad vim Divini amoris si attendas; summus ille rerum omnium Princeps Filium sibi proximum adoranda generositate mortalibus iisque perversis concessit. Consilium si respicias; omnes omnino infinita, Divina perfectione et beatitate plenissimos reddere vult. Et est tam intima caritas in summo illo rerum omnium Principe, ut mortales, amicorum filiorumque instar, sui spiritus, suae beatitatis, suae naturae omnis participes reddat.

8. Hanc igitur amoris, a Deo in JESU CHRISTO demonstrati, magnitudinem JESUS Apostolique constanter aequalibus suis indicabant, cum universe, v. c. Joh. III: 16. II Tim. I: 9 sq. coll. I Cor. II: 7—9. I Joh. IV: 9, tum et ex Deo ipso, ut fonte, omnem amorem repetentes, Luc. IV: 18. Joh. XV: 1, 8. XVII: 1, 2. Rom. XI: 34—36. I Cor. VIII: 6. Eph. I: 5, 6, 11 sq. II: 8—10. I Joh. IV: 7 (quibuscum conferantur, quae JESUS de sui amoris fonte in Patre quaerendo dixit, Joh. V: 17, 19 sq. 30. VIII: 26, 28, 36. XIV: 10. XV: 10, 15. XVII: 8.), tum porro Divini illius amoris vim celebrantes infinitam, Eph. III: 19—21 coll. Rom. XI: 32 sq. conf. II Cor. III: 18. Joh. XVII: 21, 23. Eph. I: 9, 10, tum denique caritatem ejus intimam laudantes, Joh. XIV: 17. XVI: 26 sq. XVII: 21. I Cor. VIII: 3. Gal. IV: 9, coll. 1 Cor. XIII: 12. item Rom. VIII: 14—16. Gal. IV: 4—6. I Joh. IV: 12 sq. II Petr. 1: 4.

9. Est autem minime quidem solum hocce amoris documentum, quod generi humano Deus dedit. Vid. Obs. 6. Quare et Hebraei in naturae bonis Dei beneficia, et in legatis Divinis Dei benignitatem celebrare solebant; similiterque aliae gentes tum a Divinae naturae bonitate bona omnia repetebant, tum viros magnos non sine aliquo afflatu Divino exstitisse agnoscebant, philosophiamque laudabant maximum munus Deorum. Conf. §. XIX, 8.

Sed summus Dei amor est, qui in CHRISTO est hominum generi demonstratus. Sive enim vim excelsitatemque, sive effectum ambitumque ejus spectes; sive doni ipsius, in Filio dati, magnitudinem (coll. Obs. 7); tantus est hac in re demonstratus amor, ut mirandum non sit, fuisse, qui propter ipsam rei magnitudinem de ipsius veritate dubitarent. Est autem fatendum, hunc amorem adeo captum omnem humanum superare, ut dicendus sit hicce Dei infiniti amor prorsus adorandus, tanquam ipse infinitus.

Conf. TH. CHALMERS, *Leerredenen over de Christelijke Openbaring, in verband met de hedendaagsche Starrekunde*, Haarl 1819.

Hic autem summus, et solis luci lumina omnia superanti similis, Dei amor reliquorum Divini amoris speciminum, vim admirabiliter auget. In bonis enim reliquis omnibus amoris Divini, ea dantis, consilium summum agnoscendum praebet, conf. I Cor. VI: 20. I Petr. IV: 10 sq., et quae ceteroquin facile mala videantur, jam apparent esse bona, ex Divini amoris voluntate in summam salutem conspirantia, Rom. VIII: sq. 32, 35—39.

§. XXI.

Per Ecclesiam efficiunt Deus CHRISTUS*que, ut Divina veritatis patefactio et amoris demonstratio ad hominum intelligentiam et sensum admoveatur.*

Neque tamen illa veritate patefacienda (§. XIX.) et hoc amore demonstrando (§. XX.) rite dici posset Deus in omnium temporum homines agere, nisi institutum quoddam addidisset, per quod ejus veritatis atque amoris cognitionem sensumque in singulorum mentibus animisque efficeret. Id autem egit Deus, Filium suum constituendo coelestem auctorem, principem et consummatorem Ecclesiae suae, sive societatis inter homines divinae: in qua non adspectabilis quidem neque corpore indutus conspicitur agens Dei Filius, sed divinum ejus *πνεῦμα* perpetuo manet agens. Itaque Dei CHRISTIque spiritus in hacce Ecclesia et per eandem facit, ut patefacta Divina veritas atque demonstratus Divinus amor et mentium intelligentiae et animorum sensui admoveatur.

Facit hocce Divinus CHRISTI spiritus efficiendo, ut cognoscatur, intelligatur et suscipiatur Euangelium, Divinae veritatis Divinique amoris illius nuntius.

Huic autem ipsi Euangelio mentibus animisque hominum inferendo inservit Ecclesia. Deus enim per CHRISTUM hacce Ecclesia plurimos conjungit homines, varios variis mentis animique facultatibus distinctos, sortem omnium moderatur, efficitque, ut, continuata inde a JESU temporibus serie, alii in aliorum mentes animosque agant cum Euangelio conservando et privatim publiceve communicando, tum universa Dei patefactione explicanda, tum sacra lavatione, sacra coena omnique Dei CHRISTIque cultu communi sese consociando, tum pueris incultisque gentibus erudiendis, tum denique sese ipsis invicem doctrina, exemplo, consuetudine vitaque omni illustrandis perficiendisque. Ita a Deo et auctore et fautore, per Ecclesiae socios, Divino CHRISTI spiritu animatos, totum magis magisque genus humanum praeparatur, informatur perficiturque ad Divinam veritatem Divinumque amorem mente animoque complectendum.

1. Divini amoris demonstratio omnisque in CHRISTO data veritatis patefactio sufficere nullo modo genti humanae potuisset, nisi inde ab initio fuissent aliqui ita informati, ut veritatem illam illumque amorem rite perciperent, persentirent, intelligerent ipsi, atque ideo alios quoscumque ad sensum eundem eandem-

quo intelligentiam pariter informarent. Scriptus etiam de JESU CHRISTO liber ab hominibus, ad id non institutis, minime lectus nedum intellectus fuisset, atque adeo nihil profuisset. Nisi per omnes generis humani aetates accederet institutum, per quod Deus veritatis illius cognitionem, amoris illius sensum ad quorumcumque mentes animosque perferret; perinde fuisset, ac si veritatem illam non patefecisset, amorem illum non demonstrasset.

2. Tales vero Deus primum informavit, per ipsum JESUM CHRISTUM, Apostolos primosque ipsius amicos. Ille enim Divino animatus spiritu, corpore terrestri indutus, ita sensim suos excoluit et instituit, ut ipsius mentem voluntatemque sive spiritum, quo agebatur, Divinum caperent, persentirent, atque tandem penitus ipsi animo susciperent, et a coelesti Domino, non amplius corpore adspectabili, sese regi paterentur. Atque ita hi, Dei Christique spiritu ipsi quoque animati alios denuo ad CHRISTUM Deumque cognoscendum diligendumque adduxerunt. Vid. §. IV. Conf. Matth. XI: 5. Luc. IV: 18, 21. Joh. VIII: 44, 46 sq. maxime Joh. XIV: 17, 21—23. XV: 3. Similiter deinceps corpore quidem non adspectabilis, sed spiritu suo Ecclesiam regens, curans et perficiens CHRISTUS, per sectatores suos, sic in mentes animosque hominum egit, ut ad cognitionem sensumque Euangelii perducerentur fierentque sensim Divino ipsius spiritu animati. Sic per Apostolos primum, tum per Apostolorum discipulos, deinceps per discipulorum discipulos, perpetua et non interrupta serie, homines quoscunque ad veritatem caritatemque Divinam cognoscendam sentiendamque adduxit. Ergo quod Divinum CHRISTI πνεῦμα, corpore terrestri indutum, primum agere incepit, id deinceps idem ille CHRISTUS

per Ecclesiae suae quasi corpus, ipsius spiritu animatum, agere perpetuo perrexit. Hujus enim Ecclesiae socii, CHRISTI spiritu acti, semper fuerunt, per quorum probitatem, vitae integritatem, consuetudinem, doctrinam institutionemque homines informati sunt ad τὴν ἀλήθειαν in CHRISTO patefactam et τὴν χάριν in CHRISTO demonstratam mente percipiendam animoque persentiendam. Conf. maxime I Cor. XII. Eph. IV: 4—16. item I Cor. II, et II Cor. III: 17. V: 16.

3. Ut ad hanc Divinae veritatis caritatisque cognitionem atque aestimationem homines adducat, CHRISTI spiritus semper, tanquam medio, utitur τῷ εὐαγγελίῳ, laeto de ipso JESU CHRISTO nuntio. Hujus Euangelii cognitionem, intelligentiam, persuasionem in mentibus, hujus sensum aestimationemque in animis excitare studet, ut ita, quod sine hoc fieri nequit, per hoc adducantur homines ad Divinam ἀλήθειαν atque χάριν in CHRISTO cognoscendam et amplectendam. Eam Euangelii esse vim, uti JESUS ipse et primi ejus praecones semper significarunt, Matth. XIII: 19. Joh. VI: 63. XV: 3. Rom. I: 16. X: 14, 17. Eph. I: 13. I Cor. IV: 15. Hebr. V: 12—14. Jac. I: 18. I Petr. I: 23. II: 2, ita docet societatis Christianae historia, quae non modo JESUM, Apostolos et optimos quosque sectatores nobis exhibet, Euangelium constanter praedicantes; sed et docet, eo aut minus aut magis floruisse Divinae veritatis caritatisque et sensum et intelligentiam, quo aut minus aut magis ipsum illud cum omnibus communicaretur Euangelium. Et vero quae caeterum vel rerum naturae vel sorti humanae vel sapientium piorumque hominum monitis exemplisque insunt proficua, haec ad sapientiam virtutemque vere Christianam perducere non, nisi intercedente Euangelio, possunt. Quantopere au-

tem ad id natura sua aptum sit Euangelium, sponte perspicitur, dummodo teneatur, esse hoc Euangelium nuntium de ipso illo JESU CHRISTO, in quo Divina veritas perfectissime patefacta, Divinusque amor efficacissime est demonstratus. De hac Euangelii natura vid. Luc. XXIV: 48. Joh. XV: 27. Act. I: 8. cf. I: 21 sq. I Joh. I: 1, 2. II Cor. III: 18—IV: 6. coll. etiam Gal. III: 1.

Conf. *Waarheid in Liefde*, 1837, II. p. 351 sqq. M. VAN STAVEREN, *Disquisitio de Euangelii natura.* Gron. 1839.

4. Sed ut ipsum hoc Euangelium mentibus animisque hominum suscipiatur, conspirare multa debent. Quod et ex Euangelii et ex hominum, quibus traditur, natura intelligitur. Est illud enim nuntius; qui ergo et conservandus est et tradendus a praeconibus, conf. Rom. X: 14 sq.: et nuntius quidem est gravissimus argumentoque divinus; qui igitur interpretibus indiget, lucem afferentibus, qua omnis illius excellentia cerni ab hominibus possit, conf. II Cor. IV: 2, 6. Homines autem hi, ad quos illud perfertur, ingenio quidem divino sunt, quo id capere queunt; sed, coll. §. XV, et hujus ingenii facultates explicandae et perversa hominum, a divinis aversorum, studia vincenda sunt, et eorum mentis oculi ad divina sunt convertendi a Christianis, CHRISTI spiritu jam animatis; ut ita magis magisque ab omnibus Euangelii praestantia atque vis divina persentiatur atque perspiciatur. Conf. Act. XXVI: 17 sq. Eph. III: 8 sq. IV: 11 sqq. Coll. I: 28 sq.

5. Jam vero ad hanc rem gravissimam in toto genere humano perficiendam, auctore Deo et moderatore CHRISTO, conspirat universa omnium temporum Ecclesia Christiana. Haec veluti corpus est, CHRISTI

spiritu divino animatum, cujus membra omnia ad id conspirant, ut ad CHRISTUM ducatur genus humanum totum, cf. Eph. IV: 4, 16.

Et Deus quidem per CHRISTUM hac Ecclesia plurimos conjunxit homines, qui, ut unius corporis membra, omnes conjunctim agant, cf. Eph. IV: 16. Varios illos Ecclesiae socios variis mentis animique facultatibus et donis distinguit, qua ipsa varietate felicius in omnium salutem conspirent, I Cor. XII: 4 sqq. Eph. IV: 6 sqq. Sortem eorum sociorum ita moderatur, ut perficiendae eorum indoli cuncta inserviant, Matth. XVI: 27 sq. XXVI: 64. XXVIII: 18, 20. Joh. XIV: 3. I Thess. III: 11, imprimis I Cor. III: 22. conf. omnino Rom. VIII: 29—39. Itaque Deus per CHRISTUM effecit, ut inde a JESU in terra viventis tempore, continuata et non interrupta serie, fuerint Christiani, CHRISTI spiritu acti, non infallibiles quidem illi, sed mente animoque apti ad alios identidem homines Euangelii ope ad CHRISTUM Deumque adducendos. Conf. Joh. XIV: 16. Matth. XIV: 18. Act. II: 38 sq. Eph. IV: 11—13. II Tim. II: 19 sq.

Atque ita hi Ecclesiae socii, divino CHRISTI spiritu acti, ad id conspirant, ut variis modis et in se invicem et in alios homines agant. Et primum quidem Euangelium conservant et privatim publiceque communicant et interpretantur: cui sane rei plurimum tribuendum est, Joh. XVII: 19 sq. Act. XIII: 47. XXVI: 18. I Cor. III: 5. IV: 14 sq. Gal. IV: 19. Col. I: 28 sq. Eph. IV: 11 sq. Deinde universam Dei patefactionem, in rerum natura generisque humani historia conspicuam, cum Euangelio jungunt atque sic explicant, cf. Matth. XVI: 3. Joh. V: 39, 46. Luc. XXIV: 26 sq. Phil. IV: 8 sq. II Tim. III: 15 sq. II Petr. I: 19. coll. I Petr. I:

10—12. Porro ad sacram lavationem, sacram coenam et ad omnem cultum sacrum sese consociando alii in aliorum animos mentesque agunt, Vid. I Cor. X: 16 sq. XII: 13. XIV: 26. Eph. IV: 4 sq. V: 19 sq. Col. III: 16 sq. Hebr. X: 22—25. Deinceps Ecclesiae socii in mentem animumque agunt puerorum et populorum hominumque incultorum, ut hi erudiantur et ad Euangelium suscipiendum adducantur, cf. Matth. XXVIII: 19ª. Act. XXVI: 17 sqq. Eph. V: 11 sqq. VI: 4. Col. IV: 5. Denique huic Ecclesiae, tanquam corpori, insitus spiritus Divinus ut foras vim suam exserit, ita per membra omnia sibi invicem inservientia sic agit, ut haec membra ipsa adolescant corpusque adeo totum perficiatur; agunt autem in se invicem socii omnibus modis, vita sua Christiana omni, cf. Rom. XII: 3 sqq. I Cor. XII. Eph. IV. I Petr. IV: 10 sq.

6. Uti sine hoc Ecclesiae instituto frustra Deus per CHRISTUM veritatem Divinam patefecisset amoremque suum frustra manifestasset, coll. Obs. 1; ita et institutum illud omnino convenit illi Dei consilio, ut veritatis Divinae Divinique amoris cognitio atque sensus ad omnium mentes animosque admoveatur. Et historia quidem ipsa docet, licet multi semper restiterint et non nisi pedetentim res Christiana progressa sit, quod fieri aliter non potuit, coll. Matth. XIII: 3 sqq. 24 sqq, 31 sq. 33, tamen Ecclesiae ope magis magisque commendatum esse et hodie commendari Euangelium toti generi humano, ut omnes per CHRISTUM ad Deum cognoscendum amandumque ducantur homines. Rei autem ipsius contemplatio docet, ad perfectam veritatis patefactionem summamque amoris Divini demonstrationem omnibus commendandam nihil aut esse aut cogitari posse aptius,

quam Ecclesiam illam, quae CHRISTI spiritu animata est cuique inserviunt moderante CHRISTO omnia, quae latissime patet seque magis continuo extendit, quae apta est ad cunctos Euangelii cognitione sensuque imbuendos, et quae hujus ipsius Euangelii ope ad perfectam speciem JESU CHRISTI penitus percipiendam persentiendamque omnes evehere potest.

CAPUT II.

HIS, QUAE PER CHRISTUM DEUS AGIT, CONTINETUR HOMINIS ET GENERIS HUMANI INSTITUTIO DIVINA.

§. XXII.

Est haec verissime dicenda generis humani institutio eaque Divina.

Haec Dei vis et actio, qua per CHRISTUM et veritatem Divinam patefacit et amorem Divinum demonstrat et, ope Christianae societatis, veritatis atque amoris illius cognitionem sensumque in singulorum hominum mentibus et animis efficit (Cap. I.), dicenda est Divina humani generis institutio. Etenim non est legislatio, legibus cum fundamentalibus tum reliquis constans, et extrinsecus imperando ad agendum cogens. Neque doctrina est, ex certis principiis derivans certoque ordine disponens sin-

gula morum praecepta, et accurate ratiocinando ad subtilem cognitionem ducens. Sed institutio est, ipsas hominibus insitas mentis animique vires ita et excolens et dirigens, ut in singulis quibusque rebus sua unumquemque doceat mens, suus cuique sponte imperet animus et impetu interno cogat ad eum, quo agitur, spiritum patefaciendum. Cumque hac institutione ipse Deus hominem ad divinam mentis voluntatisque indolem informet, eâdemque unâ omnis generis et gentis omnis et omnium temporum homines ad divinam conjungat societatem; merito dicitur Divina generis humani institutio (cf. §. III, IV.).

Hujus igitur institutionis naturam praestantiamque si interius perspicere velimus, non tam inquirendum videtur in legem aliquam supremam aut in quaedam doctrinae principia. Sed inquirendae et aestimandae sunt praecipuae illae vires actionesque, quibus institutor Deus (coll. §. XIX—XXI) genus humanum excolit, dirigit, informat.

1. Initio disquisitionis nostrae vidimus, JESU CHRISTI consilium fuisse, non ut doctrinam novam aut novam legislationem praeberet, sed ut novam mentem novumque animum instituendo informaret in hominibus, et hac mentis animique innovatione ad divinam conjungeret societatem genus humanum totum.

Vid. §. III, IV. Itaque cum nunc (Cap. I.) perspexerimus, quaenam per CHRISTUM agantur atque praestentur, disquirendum est, an revera, illi convenienter consilio, his contineatur ejusmodi institutio, et sic quidem, ut haec omnino mereatur dici Divina atque haberi indole sua prorsus universalis.

2. Jam vero Divinitus per CHRISTUM non docentur modo homines, sed instituuntur ut ipsi se docere possint.

Scilicet ratione habita mentis, ad veri cognitionem adducendae, diversa est institutionis methodus a via simplicis doctrinae, ut prae caeteris egregie PLATO indicare solebat. In fingenda perfecta republica ille monebat, plerosque solere quam absolutissimam tradere civibus praeceptorum singulorum de minimis aeque ac maximis rebus doctrinam; se vero velle, ut inde a pueris cives bene instituerentur atque intus informarentur. Quodsi enim, inquit, non bene instituti ad virtutem sunt, frustra singula eos doceas et minutissima quaeque iis praecipias; sin, institutione recta, animo atque mente bene sunt compositi, non opus est singula eos docere, ipsi ea invenient, ipsi se docebunt, quomodo sit in singulis versandum. Quod placitum, quomodocunque caeterum de eo judicetur, dilucide certe indicat doctrinae alicujus et institutionis discrimen: illa quasi portat homines in unum aliquem certum locum; haec facit, ut suis ipsi utantur pedibus, quibus sponte vadant in omnia loca. Paucis ut comprehendam: doctrina docet alios singula, etiam minutissima quaeque; institutio efficit, ut se quisque ipse in singulis docere possit.

Vid. PLATO, *Rep.* L. IV, pag. 424—427.

CHRISTUS autem uti non docere modo homines vole-

bat, sed eos informare ita, ut novo ipsi spiritu acti sponte sua optima quaeque proferrent, coll. §. III, 3, 4: ita docet historia, neque a JESU neque ab ipsius Apostolis novam aliquam et absolutam doctrinam moralem esse relictam; sed per CHRISTUM animos hominum sic excultos esse et informatos, ut ipsi Ecclesiae socii optimi sensim plura de moribus regundis placita proferrent, donec recentiori tempore absoluta etiam systemata moralia prodierint. Itaque a JESU non data est doctrina, in singulis, minutissimis etiam, cuncta definiens; sed a CHRISTO profecta est institutio, qua informati homines sponte ipsi ex sese protulerunt placita atque praecepta, quae singulis rebus, maximis aeque ac minimis, sufficerent. Conf. omnino I Joh. II: 20, 27.

Quaerisne, quanam re id maxime efficiat Deus, ut per CHRISTUM vere sic instituantur homines? Cum alia ad id conferunt, de quibus mox videbimus, tum praecipue Deus id efficit eo, quod non doctrinam modo, sed patetefactionem perfectam in CHRISTO dedit. Ita se rem habere, vidimus §. XIX; sed quam vim haec res habeat, intelligemus, si teneamus, quomodo a doctrina differat patefactio. Patefactio autem universe est factum, actio, qua res ipsa patet et oculis omnium conspici potest. Doctrina verbis continetur, quibus doctor indicat et quasi digito commonstrat, quid de re illa videat patefactum. Patefactione res ipsae, quales sunt, omnibus patent; doctrina tantummodo patefactionis aliqua est interpretatio. Doctrina autem omnis certo aliquo continetur placitorum notionumque numero, a docente prolato discentiumque memoria suscepto; patefactio vero ita est comparata, ut quisque eam rite contemplans atque intelligens,

ipse plura semper et nova placita novasque de re patefacta notiones ex ea haurire queat. Quare uti homo satis excultus, ad Deum ex universa mundi natura rite cognoscendum, non in Theologiae alicujus naturalis doctrina discenda subsistit, sed, universalem illam Dei patefactionem ipse contemplans, nova inde semper petit, se ipse plura continuo docet, aut etiam novam ipse Theologiam naturalem parit; sic etiam in re Christiana fit. Quotquot rite exculti informatique sunt, ut Divinam, in CHRISTI persona tanquam in imagine atque in toto CHRISTI negotio tanquam in theatro conspicuam, patefactionem persentire atque perspicere possint, his dicendum est: *οὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς*, hi cernere ipsi magis magisque egregie Divinam naturam, virtutemque et felicitatem veram, in CHRISTO plenissime patentem, queunt, et ipsi se aliosque possunt *διδάσκειν περὶ πάντων.* Conf. Joh. l. l. Hebr. V: 12. coll. etiam Joh. IV: 42.

De hac et sequenti Obs. conferatur *Waarheid in Liefde*, 1838, II, p. 367—374.

3. Pariter a Deo per CHRISTUM non extrinsecus coguntur lege homines, sed instituuntur, ut ipsi se sponte sua cogant.

Etenim ratione habita animi, ad bona omnia dirigendi, propriam suam institutio naturam habet, longe a legis latione diversam. Leges ferre civitatis Princeps solet de rebus, quas cives aut nolunt aut certe non sua ipsi sponte agunt, ideoque et praemiis et poenis propositis eos adigere, ut agant, quod ille bonum esse videt atque propterea jubet, licet ipsi id non videant invitique voluntati illius obsequantur. Haec actionum est legalitas, ab animi moralitate atque vera bonitate plurimum diversa. Quare idem ille in

perfecta republica fingenda versans PLATO: si reipublicae Princeps, ait, cives suos reddere bonos vult, mittat leges omnes, et unum modo in civitate curet, *τὴν παιδείαν*, hac enim bene intus informati omnes quod bonum est ipsi volunt, ipsique leges in singulis rebus optimas sibi scribunt. Itaque legis latione efficitur, ut extrinsecus, rationibus aliunde desumtis, homo alterius voluntati se subjiciat, licet forte invitus; institutione vero hoc attingitur, ut alterius voluntatem homo faciat suam, ipse velit, quod institutor vult, bonum rectumque, atque ita internis rationibus, ex ipsa honestate depromtis, impellatur, sua ipse mente et voluntate, bonum quidque perspiciente atque appetente, agatur, neque adeo alio, quam semet ipso, impulsore atque custode indigeat.

Vid. PLATO, l. l. et *Rep.* L. VIII, p. 549, ubi: *ὁ ἄριϛος φύλαξ*, inquit, est *ὁ λόγος* bene informatus, *ὃς μόνος ἐγγενόμενος σωτὴρ ἀρετῆς διὰ βίου ἐνοικεῖ τῷ ἔχοντι.* Conferri de legalitatis et moralitatis natura meretur SCHLEIERMACHER, *Predigten in Bezug auf die Feyer der Uebergabe der augsburgischen Confession*, edit. 1. p. 43 sq.

Uti autem CHRISTUS non legem novam ferre, sed intus ad novum spiritum informare homines voluit, coll. §. III, 2, 4; ita docet historia, illi convenienter consilio, ipsum non, MOSIS instar, legislatorem fuisse, sed sectatorum suorum, imprimis Apostolorum institutorem, quibus ut ipse primum aderat adjutor, ita deinceps *παράκλητος* inerat ipsius *πνεῦμα*, conf. Joh. XIV: 16 sq. Et qualem hi CHRISTUM experti sunt institutorem, talem eum experiuntur quotquot rite ei se tradunt. Hi enim non pueris, indole *σαρκικοῖς*, manent similes, quorum pravae cupiditates extrinsecus coërcendae sunt; sed intus *τῷ πνεύματι* Dei Christique aguntur, Dei CHRISTIque mentem volunta-

temque ut suam sequuntur, αὐθαίρετοι, non ἀνάγκῃ, sed ἑκόντες agunt omnia. Quare et his non opus est νομοδιδασκάλοις, cum lex feratur τοῖς ἀνόμοις καὶ ἀνυποτάκτοις, non vero τῷ δικαίῳ, quippe per se bono bonaque omnia sponte agenti. Conf. Joh. I: 16, 17. Rom VIII: 13. I Cor. III: 1—3. IX: 16 sq. Gal. V: 23. I Tim. I: 5—10.

Quodsi disquiratur, quanam re id attingat Deus in Christiana institutione; hoc praecipue in eo quaerendum est, quod Deus per CHRISTUM non legis suae lationem praebuit, sed amoris sui summi demonstrationem. De re ipsa vid. §. XX. Sed rei vis persentietur, si teneamus, quomodo differat a legis latione amoris demonstratio. Quamquam enim utraque consilii bonitate conveniant, legislatio nihil efficere per se aliud potest, quam mores regere externos; amoris vis intus perficere hominem valet. Legislatio facit, ut alienae voluntati se homines subjiciant, licet inviti, externis ad id adacti rationibus. Amoris vero proprium est, ut intimam efficiat animorum conjunctionem, qua amatus nil magis ipse expetit, quam ut amantis instar sentiat, cum ejusque voluntate conspiret. Amatus amantis voluntati non, tanquam alienae, se subjicit invitus, sed eam lubens sequitur ut suam ipsius voluntatem supremam, cui cupiditates omnes sponte subjicit. Itaque quod lex efficere nulla potest, id efficit Dei Christique amor, hominibus demonstratus, nempe ut hi Dei Christique voluntate spirituque regantur, eique suas cupiditates ipsi sponte subjiciant. Conf. Rom. VIII: 3, 9, 13. II Cor. V: 14 sq.

4. Porro Divinitus per CHRISTUM homines non extemplo nanciscuntur absolutum quoddam perfectumve doctrinae corpus extra se positum, sed paulatim insti-

tuuntur, ut sensim magis excultam perfectamque intus habeant mentem.

Est hoc institutionis negotio proprium, ut ipsius mentis ipsiusque animi vires sibi proponat excolendas perficiendasque, atque ut hoc sensim et per gradus agat. Qua in causa plurimum a doctrinae aliquo systemate condendo diversa est institutionis opera. Qui condere doctrinae σύςημα vult, principia primum ponit, unde cuncta pendeant, atque deinceps omnia certo ordine disponit, ut alia ab aliis illustrentur confirmenturque, et hoc opus suum quam perfectissimum statim et absolutum edere studet. Sed, quod optimus ille institutionis magister PLATO scite admodum exposuit, institutio non chartae inscriptam brevi tempore praebet extra hominem doctrinam pulcre propositam omnibusque partibus absolutam; imo intra homines mentem ipsam petit, animum ipsum adit, et hujus studia viresque, diuturno saepe tempore usa, sensim et per gradus ita suscitat, excolit, regit, perficit, ut denique suis ipsi viribus homines sentiant, intelligant, velint agantque optima quaeque, et sua vice possint etiam alios instituere.

Vid. PLATO, *Phaedro*, p. 274 sqq. Locum exposuit v. HEUSDE, *Init.* Vol. II, P. I, p. 122 sqq.

JESUS autem uti systematis moralis condendi consilium nullo modo habuit, coll. §. III, 3; ita et docet historia, tantum eum abfuisse ab eo, ut certum doctrinae systema aut aliis aut ipsis Apostolis suis traderet, ut in his sensim instituendis ad finem usque per gradus processerit, Joh. XVI: 12. cf. §. IV. Atque ita, qui eum optime imitati sunt, non chartae lapidibusve inscribere doctrinae systema, sed animis ita inscribere studuerunt, ut sensim adolesce-

ret et ad maturitatem procederet indoles in hominibus divina, cf. I Cor. III: 2. II Cor. III: 3, 6. Hebr. V: 13—14. Docetque universe Ecclesiae historia, generis ipsius humani ingenium per CHRISTUM sensim excultum et ad majorem perfectionem esse adductum, cf. Eph. IV: 12 sq.

Efficit hoc Deus per CHRISTUM omnium maxime intercedente societate Christiana. Quod ut vidimus §. XXI, ita hujus vis perspicietur optime, si teneamus, quantum differat a doctrina aliqua systematica Christianae Ecclesiae societas. Est enim et haec Ecclesia aliquod bene ordinatum *σύςημα*. Sed doctrina ejusmodi est *σύςημα*, quod verbis constat inanimatis, pendentibus e principio quodam, quod et ipsum scripto non animato continetur; et bene ordinati systematis, in quo alterum enuntiatum altero juvatur, effectus naturalis eo continetur, ut accurata exsistat dictorum cognitio. Societas vero Ecclesiae Christianae est *σύςημα* viventibus constans hominibus, pendentibus rectisque a Principe vivente eoque Divino, JESU CHRISTO, cujus spiritu animati alii alios verissime juvant et vita omni se invicem aliosque excolunt et perficiunt. Atque adeo dum doctrina systematica extemplo quidem prodit absoluta, sed paucis, eam intelligentibus, ad solam cognitionem aliquamdiu prodest, a plerisque vero seponitur et fere brevi in oblivionem cedit atque perit; *σύςημα* Ecclesiae Christianae sensim quidem et paulatim modo excolit homines, sed et sensim perficitur ipsa et informat viventes homines, divino animatos spiritu, qui et ipsi alios atque denuo alios excolunt perficiuntque, atque ita vivit vigetque immortalis. Cf. Eph. IV: 10—16. coll. I Cor. XV: 25.

5. Itaque (Obs. 2—4), quod per CHRISTUM Deus

humano generi concessit, non legislatio est, non doctrina modo aliqua, non Ethices aliquod systema; sed verissime dicenda institutio, mentem excolens, ut ipsa videre et invenire verum bonumque possit, animumque sic dirigens et informans, ut sibi ipsi imperet et velit et agere studeat divina omnia, atque ita intus hominem eumque totum in omnibus, quibus gaudet, facultatibus sensim et per gradus magis magisque perficiens. — Est autem ea omnino Divina, quippe auctore Deo orta et ita informans homines, ut Divino acti spiritu vivant atque conjungantur. — Est denique eadem prorsus universalis totumque genus humanum complectens. Legislatio omnibus gentibus una esse nullo modo possit. Doctrina una ne variis quidem unius ejusdemque hominis aetatibus congruit, nedum diversis hominibus, gentibus, temporibus totius generis humani. Sed institutio una potest esse toti genti humanae, quandoquidem hoc verae institutioni omni et perfectissimae cuique maxime proprium est, ut singulorum, qui instituendi sunt, ingeniis sese accommodet et singulos pro singulari sua conditione atque indole excolat, dirigat, informet. Divina autem per CHRISTUM institutio naturâ suâ est universalis. Una est patefactio, e qua omnes unum videant cognoscantque omnium patrem Deum, et ad veram virtutem felicitatemque nanciscendam cernant unum sequendum esse omnium ducem conservatoremque JESUM CHRISTUM. Unus est Dei CHRISTIque amor, omnibus demonstratus, ut omnes CHRISTO Deoque devinciat. Una est societas Christianorum, uno acta spiritu, eademque magis magisque per omnem terrarum orbem dispersa, non ut unam omnibus legem imponat, neque ut unam definitam doctrinam omnibus profitendam injungat, sed

ut pro sua singulos conditione atque natura excolat et informet ad unum CHRISTUM Deumque agnoscendum, amandum, unoque ergo spiritu veritatem amoremque patefaciendum provehendumque. Sic ipsa haec societas magis magisque fiet veluti unus aliquis homo, uno animatus spiritu et sensim adolescens ad majorem maturitatem perfectionemque. Conf. I Cor. IX: 20—22. Eph. II: 15. coll. IV: 4—6, 13—16. Col. II: 14—19.

6. De doctrinae moralis principio aliquo summo et lege quadam suprema omni aevo minus magisve philosophatum et diverse admodum judicatum est; recentioribus autem temporibus maxime celebris evasit haec quaestio.

Vid. CHRISTIAN GARVE, *Uebersicht der vornehmsten Principien der Sittenlehre*, quod opus Belgice versum est hoc titulo: *Oordeelkundige beschouwing van de Stelsels van zedekunde van Aristoteles tot op Kant*, Leid. 1807. Conf. H. C. CRAS, Disputatio in *Verhandelingen der Hollandsche Maatschappij der Wetenschappen te Haarlem Dl.* XXX, P. II, C. III, IV et J. C. F. MEISTER, *über die Gründe der Verschiedenheit im Ursatze der Sittenlehre bey der Einstimmigkeit in Einzellehren*, Zullichau, 1812.

Et possit sane aliqua praeceptorum moralium doctrina, JESU menti consentanea, exstrui, ex uno praecepto summo derivata, vid. Matth. XXII: 35 sqq. Marc. XII: 28 sqq. Luc. X: 25 sqq. coll. etiam Joh. XIII: 34, 35, eademque uno fundamento omnis honesti, in natura humana quaerendo, superstructa, coll. §. VIII, 10.

Vid. P. J. C. VOGEL, *über das Philosophische und das Christliche in der christlichen Moral*, *Vorles.* VIII-XIII.

Nobis vero, de ipso, quod per CHRISTUM Deus agit, negotio morali integro disquirentibus, cum patuerit,

hocce non doctrinam aliquam aut legis lationem esse moralem, sed vere dicendum esse, Deum homines per CHRISTUM instituere; potius inquirendum est in principia, quibus in hac institutione sua ducitur ipse Deus, sive distinctius indagandum, quibus viribus praecipuis Deus utatur in illustrandis formandisque per JESUM CHRISTUM hominibus, et qua maxime methodo procedat.

Etenim universe institutionis cujusque natura esse solet diversa pro diversitate principiorum, quibus institutores ducuntur. Et in mente quidem illustranda alii res quasque alumnis adspiciendas praebent potissimum, ut hi ipsi inde cognitionem hauriant; alii memoria praecipue ediscendas notiones exhibent; alii ex rationis principiis ratiocinando cuncta eliciunt. Ad animum movendum flectendumque poenarum alii metu imprimis, alii magis philanthropice honoris maxime studio, alii denique amoris unice vi utendum censent. Methodum pariter, qua singulis beneficium institutionis afferatur, si spectes, alii praeferendam ducunt institutionem communem et publicam, alii domesticam et privatam: alii singulos ab ipso unice institutore docendos formandosque, alii conjunctos etiam per se invicem, duce institutore, excolendos esse existimant.

De his aliisque in institutionis historia occurrentibus diversitatibus conf. F. H. C. SCHWARZ, *Erziehungslehre*, I. B. *Geschichte der Erziehung.* Leipz. 1819.

Videndum ergo, qualia in Divina per CHRISTUM data institutione regnent principia, quo distinctius hujus Divini operis natura atque praestantia nobis appareat.

§. XXIII.

Natura hujus institutionis atque ejus praestantia distinctius indicatur.

Quodsi ergo in Divinae per CHRISTUM institutionis principia inquiramus, primum quidem dicendus est Deus humani generis naturae divinoque suo proposito admirabiliter consuluisse, cum in sua hac institutione praecipuam vim mentes illustrantem posuerit in patefactione (§. XIX.). Ejusmodi enim patefactio et efficacissime mentem humanam excitat, cum res in facto positae omnium soleant in se oculos convertere; et universe omnium hominum captui congruit, cum simpliciores in ea satis clare videre, perspicaciores penitus indagare gravissima quaeque possint; et optime inservit mentibus tum sensim perficiendis tum perfectissime illustrandis, cum fons sit, unde suis quisque hauriat viribus, isque uberrimus, quem nemo unquam funditus exhauriat.

Deinde, eadem illa patefactio (§. XIX.) insuper est efficacissima ad movendos animos. Namque illa vim exercet et late patentem, quippe felicitatis, honoris excellentiaeque cupiditates naturales atque innata pulcri, veri

bonique studia omnia ad hominis perfectionem convertens; et magnam eandem, quippe rebus in facto positis vividissime omnia proponens et oculos sensusque feriens; et bonum denique, quippe non modo excitans studia illa cupiditatesque, sed et rite dirigens perficiensque.

Praecipua vero Divinae illius institutionis vis, voluntatem flectens, cum posita sit in demonstrato hominibus amore (§. XX.); haec summo jure omnium dicitur praestantissima. Haec enim vis uti alia nulla, idonea est, quae omnes flectat; unus enim amor homines non plane inhumanos omnes, optimos autem quosque maxime, permovet. Haec eadem una est, quae bona omnino omnia efficiat; uno enim amore incitati homines non modo desinunt esse sui studiosi, sed et pro amante arduum censent nihil, pro amante et volunt et possunt omnia. Haec etiam una est, quae optimos reddat vereque divinos; uno enim amore fit, ut homo et sponte sese intimeque cum amante jungat, et nunquam sibi satisfaciens infinitam spectet divinamque perfectionem.

Denique si respicias rationem viamque, qua singulos suae institutionis participes reddit Deus; haec etiam egregie posita est in conspiratione

totius divinae inter hominis societatis (§. XXI.). Nam haec una cum latissime patet, quippe omnes magis magisque complectens homines; tum vim exercet maximam, omnium nempe vires facultatesque conjungendo mutuaque actione provehendo; tum vero etiam praestantissima est, quippe quae hominem humanumque genus sensim atque per gradus erudit, perpetuo magis perficit, et ad unam consociat mentem voluntatemque divinam.

1. Institutio optima quaeque maxime rebus in facto positis mentes excitat et illustrat.

Et pueros quidem parum saepe verbis monitisque docentium moveri, rebus vero ipsis aut rerum imaginibus contemplandis et virtutis exemplis, cum adspiciendis tum ex historia percipiendis, mentis eorum attentionem excitari, aciem acui, cognoscendique studium incendi, communis docet experientia. In adultos vero etiam longe plerosque plus, quam ratiocinia verbaque, valent historia atque exempla honestatis. Philosophi autem rerum physicarum indagatores optimi quique minime contenti sunt systematicis de earum scientia libris ediscendis, sed naturam ipsi perscrutari amant. Philosophus moralis SOCRATES suos reddere bonos studebat eo maxime, quod ipse bonus esset bonumque se iis ostenderet.

De hoc vid. XENOPHONTIS *Memor.* L. I, c. 2, §. 3, 18, 64. L. IV, c. 1, §. 1, c. 5, §. 1. c. 8, §. 7, 11, et SENECA, *Epist.* 6. versus finem.

Neque id mirabimur, si duo haec teneamus: alte-

rum, pueros hominesque natura sic comparatos esse, ut rebus adspectabilibus moveantur maxime; alterum, homines, qui cognitionis verae, a se ipsis comparandae semperque augendae, studio ducuntur, adigi ad ipsam rerum naturam perscrutandam, utpote optimae, certissimae et ditissimae cognitionis fontem uberrimum.

Prius illud de pueris dictum eleganter PLATO proposuit, *Rep.* L. III, p. 401.

Ita vero simul intelligitur, quam gravis res sit, ut rebus in facto positis homines instituantur. Namque cum non liceat menti, tanquam vasi cuidam, quaecunque velis infundere, sed homo debeat mentis suae oculo, unico illo quo verum cerni potest organo, ad bona omnia perspicienda converti; gravissimum est idemque difficillimum omnis institutionis negotium, ut mentis attentio excitetur aciesque tota convertatur ad investigandum, judicandum perspiciendumque verum. Atque pariter cum homo natura sua ad cognitionem infinitam et magis magisque perfectam tendat; et necesse est et gravissimum, ut divino huic naturae humanae studio satisfiat.

De priori dicto conf. PLATO, *Rep.* L. VII, p. 518, de posteriori KRUG, *Briefe über Perfectibilität der geoffenbarten Religion*, 3er *Brief* in ejus *Theol. Schriften*, T. I.

2. Est ergo insignis praestantia Christianae institutionis in hoc conspicua, quod vis ejus mentes illustrans praecipue posita est in patefactione, factis actionibusque Divinam veritatem manifestante; vid. §. XIX coll. §. XXII, 2.

Et primum quidem patefactioni huic vis inest ad mentes illustrandas efficacissima. Est enim humani generis ea conditio, ut non modo rebus ἐν σαρκὶ

gestis et τῆς σαρκὸς oculo adspectabilibus maxime moveatur, sed et ut mentis acies tota paene ad τὰ σαρκικὰ sit conversa, coll. §. XIII. Atque adeo doctrina vel lex etiam perfectissima parum efficere potest, quia ἀσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, coll. Rom. VII: 14. VIII: 3. I Cor. II: 14. Opus est, ut ad humilem, in qua homines versantur, conditionem se institutor demittat, quo eos alliciat et inde extollat sensim et ad summa quaeque educat. Id autem perfectissime Deus sua fecit in CHRISTO data patefactione. Hac enim et vera virtus et felicitas vera et ipsa, qualis vere est, Dei natura ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ Joh. I: 14. I Tim. III: 16. coll. Joh. XIV: 9. Sic rebus, in corpore gestis corporisque oculis adspiciendis, Deus efficit, ut mens humana ad Divina et spiritualia, per eas patefacta, alliciatur, ea capiat, iis spectandis magis magisque acuatur, donec tandem eo penitus conversa acutissime cernat τὰ πνευματικά. Namque ubi semel in hominis animo veri amor exarserit, haecce flamma se ipsa per totam deinceps vitam sustentat et alit.

Ultima haec PLATONIS sunt verba, *Epist.* VII, p. 341.

Deinde patefactionis haecce vis latissime se exserit. Haec enim non paucis modo doctis aut prophetis sacerdotibusque et initiatis convenit, sed et simplicioribus, vulgo, imo puerulis ipsis, Marc. X: 14. Et eadem haecce unice apta ést ad cultissimos quosque et maxime philosophos homines perpetuo excolendos, quippe quae eos minime cogit in certo aliquo doctrinae systemate acquiescere, sed excitat eos, ut sui quisque ingenii viribus omnibus id, quod re factoque Divinitus patefactum est, perpetuo magis investiget atque perspiciat.

Denique patefactionis illius haec virtus est, quod vim in mentes hominum exserit optimam, quippe quae hasce et ipsas sensim excolit et harum summae etiam consulit perfectioni. Neque enim placita nobis Divinitus traduntur, coeca fide amplectanda, neque doctrina aliqua in omne aevum jam absoluta, quae, si vel non excludat, certe minime requirat ulteriorem identidem disquisitionem. Imo patefactio in JESU CHRISTO data est, rebus in facto positis puerorum jam mentes excitans et excolens, ut plura ipsi semper inquirant. Eaque perfectisima est, quippe fontem constituens, ipsa rerum natura reliqua omni longe excellentiorem et uberiorem; adeo quidem, ut, si haec rerum natura philosophis jam fons sit perpetuo fluens, illa in CHRISTO data patefactio multo magis inexhaustus fons dicendus sit, ex quo, ut Patres Alexandrini dicebant, ἡ μεγίϛη φιλοσοφία perpetuo hauriat, et quem ne cultissimi quidem funditus exhaurire queant, conf. Eph. III: 10, 18 sq. I Petr. I: 12.

3. Institutio etiam optima quaeque maxime studia hominis naturalia omnia adhibet ad movendos animos eosque virtuti conciliandos.

Et experientiam quidem communem si consulas, videbis, alia aetate aliis agi studiis hominem. Infantes et pueruli jucunditatis et injucunditatis sensu aut spe atque metu unice reguntur. In adolescentibus pulcri studium et pudor nascitur. Deinde sensim justi et injusti sensus se manifestat. Denique honesti, generosi et ejus, quod homine dignum est, nascitur amor. Alii etiam homines commodi et incommodi, alii honoris magis et dedecoris, alii dignitatis et humilitatis sensu maxime moventur. Quare SOCRATES virtutem ut καλοκἀγαθίαν juvenibus commendabat. PLATO αἰσχύνην et φιλοτιμίαν dicebat

virtutis custodes optimas, et virtute sola felices esse et homines et respublicas, ostendebat. Stoici ipsi divitem dicebant sapientem solum, et KANTIUS postulatum docebat esse naturae humanae, ut cum virtute jungatur felicitas.

De PLATONE vid. *Sympos.* ipsius p. 178 et libri *de Rep.*; de *Stoicis* CICERONIS *Paradoxa*; de aetatum humanarum progressu illo v. HEUSDE, in *Oratione de pulcri amore*, Traj. ad Rhen. 1819.

Quodsi interius rem perspicere velis, invenies hominem, Divino praeditum ingenio, posse quidem id quod honestum est bonumque propter se diligere et in hoc ipso honorem excellentiamque et felicitatem suam ponere, coll. §. VIII, maxime Obs. 10; sed eundem, in corpore et rebus externis viventem, fere animo conversum esse ad externam felicitatem, honores externos, externam libertatem excellentiamve expetendam, coll. §. XIII, 5. Itaque institutionis officium sane non est, ut aut studia illa naturalia non excolat, aut perversam eorum directionem non curet, aut etiam ea ipsa ex hominis evellere naturâ velit; sed contra excitanda sunt illa et sic dirigenda, ut omnibus suis studiis viribusque homo totum se virtuti consecret. Haec vera institutio est, qua animus, ut est, viribus suis studiisque omnibus instructus, excolatur et a vanis humilibusque, ad quae conversus est, circumvertatur atque convertatur totus ad id, quod vere bonum est divinumque.

De postremo hoc conf. PLATO, *Rep.* L. VII, p. 518 seq. 521, coll. v. HEUSDE, *Init.* Vol. I, p. 57. Vol. II, P. III, p. 127 seqq. De primo illo conf. *Memorab. Socratis*, L. II, c. 1. §. 31. c. 6. §. 5. L. IV, c. 8. §. 6. PINDARUS, *Pyth. Od.* 1. versus finem.

Itaque minime quidem ipsa virtutis natura et praestantia in felicitatis, honoris excellentiaeque studiis naturalibus ponenda est; imo in institutione cavendum, ne felicitatis aut gloriae causa virtus expetatur. Sed naturae hominum conveniens est, ideoque utile et necessarium, ut sic institutione regantur studia illa, ut virtutis causae ne obsint sed prosint. Itaque uti ingenerato boni malique sensu virtutis causa est commendanda, ita etiam miseriae, dedecoris et humilitatis metu a vitio magis, quam caeteroquin fieri queat, deterreantur, atque felicitatis, honoris excellentiaeque spe ad virtutem magis alliciantur homines; ut omnibus studiis ad virtutem ducantur animoque toto se ei tradant: donec sensim eo perveniant, ut in ipso illo, quod bonum, honestum divinumque est, felicitatem, honorem, excellentiam omnem ponant. Quodsi eo homo pervenerit, ut in ipso illo, quod sanctum est, diligendo et patefaciendo veram suam et unicam ponat felicitatem gloriamque, tum sane in eo omnia in unum coaluerunt et uno totius animi studio ad divina trahitur.

4. Christianae igitur institutionis praestantia in hoc quoque conspicua est, quod studia hominis naturalia omnia optime adhibet ad ipsius animum movendum et virtuti conciliandum.

Et primum quidem late sese extendit hujus institutionis vis, quippe quae nihil, quod humanum est, non in virtutis causam adhibet et dirigit. Ipsi JESUS ejusque Apostoli saepe ad id quod bonum est alliciunt cum felicitatis studio, v. c. Matth. V: 3 sqq. Rom. I: 16, tum honoris excellentiaeque spe, Matth. XIX: 28. XX: 25 seqq. I Cor. IX: 24. Phil. III: 14. II Tim. IV: 8; et ab eo quod malum est contrario infelicitatis, dedecoris et humilitatis metu de-

terrent, v. c. Matth. V: 19. VII: 24—27. Rom. II: 7—10; aeque ac saepissime iidem ad ipsius boni honestique sensum, naturâ homini ingeneratum, provocant, coll. §. VIII, 3—7. Et uti hoc illi egerunt, ita tota, per quam Deus, coll. §. XIX, genus humanum universum instituit, patefactio, in CHRISTO data, eodem tendit. Ipse enim ille, qui omnium exemplum et τύπος est, JESUS CHRISTUS in ea cernitur, ut qui virtute sua et χαρὰν summam et δόξαν maximam et κυριότητα supremam fuerit nactus. Quare et JESUS ejusque Apostoli hoc τύπῳ adspiciendo volunt omnes excitari ad CHRISTUM illum imitandum, Matth. XX: 25 sqq. Phil. II: 5 sqq. Hebr. XII: 2. II Tim. II: 11 sq. Conf. etiam I Cor. II: 1. II Cor. VIII: 9. Eph. V: 2. I Thess. I: 6. I Petr. II: 21.

Deinde haec vis in institutione Christiana ideo etiam est magna, quia rebus in facto positis vivide omnia menti proponit animumque adeo vehementer ferit. Etenim beatitatem gloriamque et principatum virtute acquiri, non verbis modo enuntiatur, sed in CHRISTO re factoque adspicitur. Et quod multo etiam gravius est, ipsa virtutis praestantia oculis in illo patet. Etenim Antiqui illi, qui perfectam viri sapientis bonique speciem sibi lubenter fingebant, verissime dixerunt, virtutem, si cerni oculis posset, mirabiles sui excitaturam esse amores. Quod vero antiquitas desideravit, id perfectissime in CHRISTO nobis Deus exhibuit, coll. § XIX, 20.

Conf. PLATO, *Phaedr.* p. 250. CICERO, *de Fin.* L. II. c. 16. *de Offic.* L. I. c. 5. ULLMANN, *Sündl.* ed. 3. p. 67 seq.

Denique eadem illa institutionis Christianae vis est etiam bona, quippe quae hominis studia omnia na-

turalia non excitat modo, sed etiam optime dirigit atque perficit. JESUS ipse sedulo hoc agebat, ut ab externae prosperitatis studio ad verae felicitatis amorem homines duceret, suosque doceret, non felicitatis causâ bona omnia esse agenda, Matth. VI: 19 sq. XIX: 27—XX: 16. Luc. XVII: 7—10; sedulo item laborabat, ut ne ambitione se efferrent alii prae aliis, sed in virtute omnibus serviente honorem excellentiamque ponerent, Matth. XVIII: 1 seqq. XX: 25 seqq. Id ipsum autem omnium maxime Deus in humano genere universo agit per ipsam in CHRISTO datam patefactionem. Est enim felicitas, gloria et excellentia, in CHRISTO conspicua, ad quam omnes pariter nanciscendam incitantur, nulla alia, nisi *πνευματικὴ* vereque Divina. Haec CHRISTO contigit *χαρὰ*, ut alios quam beatissimos reddendi facultate gaudeat, haec *δόξα*, ut ipsi sit omnes perficiendi honor, haec *κυριότης*, ut summa gaudeat vi ad conservandos homines omnes, coll. §. XIX, 11. Cujusmodi sane *χαρὰν*, *δόξαν* et *κυριότητα* qui unice expetit, eo ipso nihil, nisi quod optimum vereque Divinum est, sectatur. Qui hanc solam expetit beatitatem, qua et ipse gaudet Deus, hic sane toto animo est ad Divina compositus.

5. Quicquid vero in institutione ad movendos animos adhiberi et possit et debeat; imprimis tenendum est, optimam quamque institutionem flectere voluntatem maxime amore.

Et experientia quidem luculenter docet, ab infantia inde ad vitae finem usque hominem maxime excoli informarique parentum, fratrum, amicorum, conjugum aliorumque amoribus et erga liberos nepotesque caritate. Historia autem probat, eximia quaeque et generosa facinora ex uno fluxisse amoris

fonte. Quare et ii, qui diligentissimi naturae humanae scrutatores fuerunt, philosophi amore maxime et juvenes excolendos, et respublicas servandas perficiendasque, et humanum genus ad perfectionem ducendum esse, statuerunt.

De vita communi conf. *Waarheid in Liefde* 1837, I. p. 28 seqq.; de philosophis vero *Memor. Socr.* L. III, c. 11. PLATO, *de Rep.* L. V, p. 462 sq. HEMSTERHUIS, in *Lettre sur les désirs*, et in Dialogo *Aristée:* quibus addatur etiam KANTII locus memorabilis in opusculo: *Das Ende aller Dinge*, quod exstat in *Sämmtliche kleine Schrifte* B. III, Königsb. u. Leipz. 1797, p. 512 seq.

Quodsi ulterius in rem inquiras, apparet, hominem ingenio quidem suo natum factumque ad amorem esse, coll. §. VIII maxime Obs. 2; sed *τῆς σαρκὸς* vi plerumque fieri sui studiosum, *φίλαυτον*, coll. §. XIII, 6. Atque adeo ut bene homo informetur, a *φιλαυτίᾳ* convertendus est ad *τὴν τῶν ἄλλων φιλίαν*, *ἀγάπην*. Amor autem in animis humanis nulla re alia incenditur magis, quam amore. Quare in flectendis voluntatibus convertendisque a *φιλαυτίᾳ* ad amorem hominibus principatus sine dubio concedendus est amori. — Amoris autem, si in homine excitatus est, ea ipsa est natura, ut eum reddat optimum. Quodsi enim ab altero sui simili attrahitur eique conjungitur homo, eo prae amore tendit, ut idem cum illo sentiat, cogitet, velit, et, quam maxime fieri possit, in unum cum eo coalescat. Amore igitur ipse sentit, quod sentit alter ille, vult quod ille vult, agit pro illo, ut pro semet ipso, et de se judicat seseque perficit, quo melius pro illo agere queat et amore se felicem sentiat. Quapropter et si quem judicat semet ipso praestantiorem, hujus

mentem voluntatemque facit suam; et si quorum salutem existimat commodo suo potiorem, pro illis commoda sua vitamque sacrificat. Ex amore igitur et intimum animorum consortium, et irrequietum perfectionis studium, et facinora omnia generosa oriuntur.

Vid. PLATO, *Sympos.* p. 189 sqq. HEMSTERHUIS, *Lettre sur les désirs*, Opp. T. I, p. 77. *Aristée* T. II, p. 62, 69 sqq. et *Waarheid in Liefde*, l. l. p. 30 seq. Conf. I Sam. XVIII: 1, 4. Ruth. I: 16, 17. HORATIUS, *Carm.* L. II, *Od.* 17. vs. 1—9. CICERO, *de Off.* L. I, c. 17. *Lael.* c. 6, 7, 14, 21, 25.

6. Itaque institutionis Christianae praestantia summa haec est, quod illa, coll. §. XX, voluntatem unice flectit amore.

Haec vis, primo quidem, tam late se exserit, ut omnes omnino homines moveat. Etenim reliqua studia naturalia in aliis fere alia vigent, coll. Obs. 3; sed nullus est homo, quin in vita tota amore identidem flectatur: humanissimus autem quisque amore maxime regitur, coll. Obs. 5. Quamobrem Christiana institutio hac maxime amoris vi prorsus est universalis. Conf. Gal. II: 28. coll. V: 6. VI: 14 seq.

Deinde, eadem haec vis est quoque maxima. Quod enim neque felicitatis spes, neque honoris excellentiaeve cupiditas, neque ipsum honesti bonique propter se expetendi studium efficere potest, id efficit amor, ut homo cesset prorsus esse φίλαυτος et omnia omnino, etiam sui studio quam maxime opposita, lubentissime agat, coll. Obs. 5. Vid. Joh. XI: 16. XIII: 37. Act. V: 41. Rom. VIII: 37.

Conf. KANT, l. l. et HEMSTERHUIS, *Aristée*, p. 62.

Denique, haec una vis est in flectendis animis op-

tima. Haec enim homines reddit vere bonos, non felicitatis causa virtuti studentes, sed propter id ipsum, quod Divina sunt, optima quaeque sectantes. Qui enim Deum amat, bona omnia propter id ipsum agit, quod sunt divina, et felicitatem, honorem excellentiamque unice in hoc ponit, ut Deo placeat Deoque fiat quam simillimus. — Haec eadem vis sponte bonos facit. Nam quod amor unus potest, reddit homines Divinae quidem voluntati obsequentes, sed *αὐθαιρέτους*, coll. II Cor. VIII: 3, 17. — Neque bonos tantum facit haec vis, sed etiam in infinitum bonitate progredientes, cum nunquam sibi amor sufficiat sed ad majorem semper perfectionem nos adigat, coll. Phil. III: 14. — Imo haec vis homines reddit quam maxime naturae participes Divinae. Amor enim facit, ut in unum cum amato jun amur ipsiusque mens et voluntas nostra quoque ipsorum voluntas et mens fiat, conf. Joh. XVII: 21—23. I Cor. VI: 17. II Cor. V: 14 seq. Gal. III: 20. I Joh. IV: 13. II Petr. I: 4. Atque ita cum Deo conspirans homo magis magisque eo procedit, ut mali nihil velle, bona omnia facillime agere possit, I Joh. III: 9. V: 2, 3.

PLATO, *Rep.* L. VI, p. 500: *ἀδύνατον ἐςι, ὅτῳ τις ὁμιλεῖ ἀγάμενος, μὴ μιμεῖσθαι ἐκεῖνο· θείῳ δὴ καὶ κοσμίῳ ὁμιλῶν, κόσμιός τε καὶ θεῖος ἐς τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ γίγνεται.* De facilitate in bono agendo conf. HEMSTERHUIS, *Aristée*, p. 116 seqq.

Jam vero cum verissime dicatur amor neque lege imponi, neque dictis jussisve inferri in hominum animos posse; est haec in re Christianâ praestantia summa, quod amorem in gente humana excitat alitque ipse Dei CHRISTIque amor, coll. §. XX. Etenim *ἔρως ἔρωτα τίκτει.*

7. Institutionis cujusque pretium non minus cernitur in methodo, qua in singulos alumnos institutor agit, quam in ipsis, quae cum iis communicat beneficiis. Optimam autem methodum habendam esse hanc, ut communi quadam societate et conjunctione institutores cum alumnis et alumni inter se devinciantur, cum re factoque probarunt civitatum conditores et philosophi PYTHAGORAS atque SOCRATES, scriptisque PLATO maxime exposuit, tum vero ipse ostendit Deus, homines universe in familia atque civitate secum invicem jungens eoque ipso eos excolens. Conf. §. II, 7—9. §. X, 3.

8. Itaque vel ex eo jam liquet, praestantiam Christianae institutionis imprimis etiam cerni in methodo, qua Deus sua per CHRISTUM beneficia cum hominibus omnibus communicat. Est enim methodus haecce in eo posita, quod Deus singulos excolit condita divina in humano genere Ecclesiae societate, coll. §. XXI.

Et vero hujus methodi praestantia in hoc jam primum cernitur, quod ita longe lateque illa institutio propagatur. Cum enim inde a JESU tempore per saecula omnia sensim magis extendatur illa Ecclesia, eo ipso CHRISTI institutio magis magisque ad omnis generis, gentis aevique homines perfertur, donec tandem genus humanum totum sit complexura, conf. §. XXI. 6.

Deinde, haec methodus vim habet maximam. Quodsi institutor aliquis solus ipse in singulos alumnos agere vult, vires tantum suas adhibere potest; sin per discipulos etiam agit, horum quoque ei praesto sunt vires. Quodsi JESUS ipse unus modo singulos instituere voluisset, docente ipsius hac in terra historia, paucos tantum in una gente docere, paucissimos instituere potuisset. Nunc, auctore et moderatore CHRIS-

TO, omnium genuinorum Christianorum vires cum ipso conspirant. — Si in singulos solus institutor paterve agit, habent alumni unum modo virtutis exemplum. Sed CHRISTUS cum per societatem Christianam excolat homines, praeterquam quod perfectum Dei suumque exemplum iis praebet, ab omnibus eos partibus exemplis cingit. Sic e malis exemplis videant, quod e CHRISTO cernere nequeunt, perversitatis turpitudinem et vim perniciosam. In bonis vero Christianis et vident imagines vivas Dei CHRISTIque, et, quod non minus grave est, sic ubique experiuntur amores, Dei CHRISTIque amori similes, animum moventes flectentesque. — Quando institutor in singulos ipse solus agit, praecipuum, quod facere potest, hoc est, ut promittat discipulis, fore ipsos virtute felices, honoratos excellentesque, prouti ipse est. In condiscipulorum vero communitate, atque ita etiam in asseclarum CHRISTI societate alii etiam alios revera cernunt virtute beatos, honoratos, excellentes, et simul contra vitii poenam luentes, pudefactos et in humiliorem locum detrusos. — Quando institutor solus ipse singulos informat, solus ille ad id, quod perfectissimum est, magis magisque sectandum incitatur ipso instituendi informandique negotio. CHRISTUS vero cum non sibi soli servet instituendi negotium, non solus hac felicitate et hoc perfectionis constanter sectandae incitamento gaudet. Imo hanc felicitatem cum Ecclesiae sociis communicans, eo ipso efficit, ut hi alios instituendo ipsi perficiantur et perfectionem semper majorem expetant. Conf. II Cor. XII: 10, 15. coll. V: 20. VI: 1—10.

Denique eadem methodus praeterea etiam optima est, quippe qua et per gradus instituitur genus humanum, et in aeternum magis perficitur, et ad unam

mentem voluntatemque arctissime conjungitur. Sensim atque per gradus instituitur per Ecclesiam genus humanum; namque pueris adolescentibusque *παιδαγωγοὶ* sunt parentes et institutores, populis rudibus excolendis prosunt gentes excultae, aetas praesens futurae praelucet. — Atque ita simul in aeternum magis perficitur genus humanum. Namque praesens aetas cum futurae praeluceat, haec magis fit capax, ut Euangelii ope perfectior evadat, perfectiusque adeo etiam instituat aetatem instantem. — Simul vero ita totum genus humanum arctissime in unum conjungitur. Quodsi enim singuli separatim ab institutore informentur alumni, hi mente animoque a se invicem manent separati. Sin communi eos institutione informes et magis etiam si ipsos per se invicem excolas, haec ipsa institutionis communitas et mutua actio intime animos conjungit. Sic ergo in societate Christiana parentes cum liberis, cum alumnis magistri, amici cum amicis, socii cum sociis omnibus, imo cum aetatibus antecedentibus aetas praesens conjunguntur et nunc viventes Christiani progeniem orientem atque posteritatem ipsam diligunt: atque ita maxima adest *κοινωνία τῶν ἁγίων.* Sic igitur assequitur hocce Deus, ut societas Christiana sit corpus unum, cujus membra omnia in se invicem agant, unoque acta spiritu sibi invicem prosint, quodque ad perfectionem semper majorem adolescat, veluti unus aliquis homo. Conf. I Cor. XII. Eph. IV.

Ad id, quod de aetatum semper progrediente perfectione dictum est, conf. PLATO, *Rep.* L. IV, p. 424; ad id quod de vi, quam institutionis communitas habet, conf. *Memor. Socr.* L. II, c. 3. § 4, et PLATO, l. l. L. V, p. 462.

SECTIO III.

MENTE ANIMOQUE HUMANO SUSCIPIENDA EST DIVINA INSTITUTIO, UT EA HOMO HUMANUMQUE GENUS REAPSE INFORMETUR.

§. XXIV.

Hominum mente animoque suscipiendam esse Divinam institutionem, ostenditur.

Ut homo humanumque genus ea, quae Divinitus per CHRISTUM praebetur, institutione revera informetur, est haec ipsorum cum mente tum animo suscipienda. Requirunt JESUS ejusque Apostoli, ut ei mente animove ne resistant homines, sed totos se instituenti Deo confidant. Et sane institutore, mentem illustrante animumque regente (S. II, C. I.), si quis uti pertinaciter nolit, is neque illustrari neque regi ab eo potest. Sed et veritate et amabilitate adeo praestans est illa institutio (§. XIX, XX), ut sese commendet unicuique sanae mentis homini, perspicacissimo autem et optimo cuique maxime. Eademque homini et universae genti humanae tam admirabiliter apta est (§. XXIII), ut fieri non possit, quin, si ei sese confidat, magis magisque una mente atque voluntate divina animetur, rega-

tur atque in unum conspiret totum genus humanum.

1. Cum patuerit, et Deum esse omnis informationis Christianae auctorem (Sect. I.), et qua id ratione Deus agat (Sect. II); superest, ut etiam exploremus modum, quo illa Dei actio in hominibus effectum nanciscitur, conf. §. XVIII *in fine*. Ita tandem quoque apparebit, non physice creare, sed naturae humanae spirituali convenienter informare Deum novam per CHRISTUM in hominibus indolem.

Jam vero JESUS ejusque Apostoli constanter requirunt, ut homines *τὴν πίςιν* habeant sive *πιςεύωσι τῷ Θεῷ, τῷ Χριςῷ.* Quo dicto neque solam mentis volunt persuasionem, vid. Matth. VII: 21 seqq. Gal. V: 6. coll. VI: 15. Jac. II: 17 seqq., neque solam animi fiduciam, vid. Matth. XXVIII: 19, 20 coll. Marc. XVI: 20. II Thess. II: 10, 12 et ll. ll., neque ipsam vitae morumque bonitatem, imo hujus potius fontem et vim, quae hanc efficit, vid. Joh. XII: 35 sqq. Eph. II: 8—10 et Gal. atque Jac. ll. ll. Volunt totum hominem Deo instituenti sese confidentem; sive requirunt mentem, animum voluntatemque institutioni Divinae non resistentem, sed ei obsequentem, non repugnantem, quia nolit informari, sed volentem atque adeo ei se tradentem, non rejicientem institutores Deum CHRISTUMque, sed sponte eos excipientem, vid. Joh. I: 11 seq. V: 38, 40. VI: 44—47. Rom. II: 8. II Thess. II: 12. conf. Matth. X: 40. Apoc. III: 20. Quodsi ita naturali institutionis Divinae efficacitati non resistit homo, sed obsequitur; patefactioni quidem Divinae mens ipsius fidem habet, coll. I Joh. V: 9, 10, in amore Divino

fiduciam ponit ipsius animus, coll. Marc. XI: 22 seq., et patefactionis gratiaeque Divinae vi voluntas ipsius flectitur, totumque adeo sese homo Deo CHRISTOque confidit et tradit informandum, coll. Joh. III: 16, 36. Rom. I: 16. Attendatur etiam ad Joh. XIV: 1, 10, 11, 12 coll. XV: 4—8. — Sic JESUM Apostolosque constanter existimasse, homines, non quidem ex semet ipsis sanctitatem haurire posse, sed omnino ipsos debere Divinam institutionem humanis suis facultatibus studiisque volentes excipere, universe etiam ex omni eorum vita liquet, et ex toto eorum ratiocinandi modo, v. c. Marc. XVI: 16. Joh. I: 16. XIV: 12. Rom. I: 16. Gal. II: 20. V: 6. I Tim. 1: 5.

2. Ipsa vero etiam rei indoles docet, et necesse esse, et humanae naturae congruens, et ad omnem informationem sufficiens, ut Divinae per CHRISTUM institutioni homines sese confidant.

Uti in mundo physico viribus corpora attrahentibus respondere debet corporum conditio, qua se attrahi patiantur; ita in mundo etiam spirituali singulis actionibus, ut effectum habeant, respondere singulae conditiones debent eorum, in quos agitur. In hoc autem spirituali mundo conditiones hae nunquam solummodo passivae sunt, sed cum actione semper conjunctae, propter id ipsum quod spirituum natura ipsa in agendo est posita. Itaque docendi actioni, a magistro proficiscenti, respondere debet in discipulis discendi diligentia; legis lationi, a principe profectae, respondeat necesse est in civibus obedientia legi praestanda. Atque ita, quod in re Christiana unice est tenendum, instituendi actioni ab institutore profectae, respondeant alumni opus est, institutori sese confidendo. Illa in scholis et civitatibus

observari possunt; hoc in domo maxime paterna cernitur.

Conf. de hoc DE WETTE, *Vorlesungen über die Sittenlehre* I Th. II B. p. 279 seq.

Jam vero, ut necessarium prorsus requirendum est, ut Deo se confidant informandos ipsi homines. Namque per voluntatis suae libertatem possunt omnino resistere, coll. §. VIII, 11: quod si fiat, nolenti neque patefactio Divina neque amor Dei prodesse potest; imo sua sibi culpa inanem, quin et perniciosam reddit Dei institutionem, coll. §. XII, 7.

Naturae vero etiam humanae congruens est, ut Divinae per CHRISTUM institutioni se homo confidat. Homini propter id ipsum, quod homo est, a Deo pendens, congruere, ut a Deo informetur, vidimus §. XVIII, 4. Homini quoque divinum esse, quo bona Divinaque omnia capere possit, ingénium, patuit §. VIII, IX. Jam vero institutione per CHRISTUM et veritas Divina clarissime patefit, et amor Dei perfectissime demonstratur, et utriusque sensus atque cognitio egregie ad singulorum animum mentemque perfertur, coll. §. XIX—XXI, XXIII; estque ideo naturae humanae congruens, ut huic perfectissimae institutioni totum se homo tradat atque confidat.

Id ipsum autem si fiat, omnino sufficit ad hominem genusque humanum penitus informandum. Quodsi enim homines institutioni Divinae non pertinaciter resistunt, sed ei se confidunt informandos, vim illius naturalem reapse experiuntur. Institutionis autem Christianae vis naturalis haec est, ut hominem genusque humanum universum prorsus perficiat perfecteque conjungat, coll. §. XXIII.

PARS III.

DE HOMINE ET GENTE HUMANA, QUALIS DIVINITUS PER CHRISTUM INFORMATUR.

SECTIO I.

DE HOMINIS GENTISQUE HUMANAE, QUALIS DIVINITUS PER CHRISTUM INFORMATUR, INDOLE UNIVERSA.

CAPUT I.

DE UNIVERSAE INDOLIS CHRISTIANAE NATURA.

§. XXV.

Hujus disquisitionis ratio.

Cum ex JESU mente perspexerimus, hominem quidem humanamque gentem et capacem esse et indigentem divinae per CHRISTUM institutionis (P. I.), Deum vero etiam per CHRISTUM optima ratione homines instituere (P. II.); jamnunc disquirendum est de ipsa illa,

quae Divinitus per CHRISTUM informatur, indole. Itaque non singula quaedam officiorum praecepta, extrinsecus homini praescripta atque imposita, sunt nobis enumeranda. Sed potius in eorum, qui CHRISTI institutionem susceperunt, mentem ipsam ipsumque animum introspiciendum est, ut intus in ipsis videamus naturam omnem illius indolis, ad quam non modo oportet eos informari, sed et ipsum eorum ingenium per propriam divinae illius institutionis vim revera informatur.

1. Cum Parte I disquisiverimus de homine et genere humano, a Deo per CHRISTUM informando, item Parte II de Deo hominem genusque humanum per CHRISTUM informante; jam superest, ut hac Parte III videamus de ipso homine ipsaque gente humana, qualis per CHRISTUM divinitus informatur (conf. §. VI.). Qua in re enuntianda, ideo dicimus *informari*, non autem *informatum esse* hominem genusque humanum, quia et Dei informantis actio nunquam desinit, et singulorum hominum totiusque gentis humanae indoles perpetuo ulterius per CHRISTUM cum informanda est tum informatur.

2. Quodsi vel legislatio aliqua, vel doctrina moralis nobis esset explicanda, de singulis jam legibus aut officiorum praeceptis foret agendum. Nunc cum nobis interpretanda sit vere sic dicta institutio per JESUM CHRISTUM moralis (§. III, 4. §. IV.), qua intus in homine indoles tota informatur; de hujus ipsius indolis Christianae universae natura, ut et de ejus conservatione atque fructibus, quos ferat, viden-

dum est praecipue. Et ille quidem Christiani hominis characterismus ita erit describendus, ut et illius indolis lineamenta praecipua conspiciantur, et non modo ostendatur, coll. §. VIII, 10, 11 atque § XIX, talem esse oportere hominem, qui Divinitus per CHRISTUM instituitur, sed et appareat, eum, si Deo CHRISTOque sese confidat, cum, coll. §. VIII, IX, per ingenii sui vim posse fieri, tum, coll. §. XXIII, per institutionis Christianae praestantiam revera fieri tali indole praeditum.

§. XXVI.

De hominis Christiani per se spectati indole; sive descriptio hujus anthropologico-moralis.

Quodsi igitur ad homines, qui Divinitus per CHRISTUM informantur, singulos attendas; non peculiares quasdam aut cognitiones aut actiones in iis respicias oportet, sed ipsius mentis ipsiusque animi conditionem totam et universam cum corpore conjunctionem.

Et mens quidem eorum neque adversans Deo neque ab eo aversa est, sed contra penitus ad veritatem Divinam adspiciendam conversa, Divinae veritatis et capax et cupida et tenax, Divinaeque veritati convenienter animum vitamque omnem dirigens: atque adeo Divino veritatis spiritu ducitur, cum CHRISTI ipsiusque Dei mente conspirat.

Animus autem non ita compositus est, ut, externarum rerum cupiditatibus indulgens, sui sit studiosus aut Deo hominibusque inimicus; sed excelsae mentis regimini obsequens, totus in Divino amore persentiendo, diligendo sequendoque versatur. Itaque Deum CHRISTUMque, hominum amantissimos, amat, eoque ipso cum CHRISTO Deoque intime conjunctus, divina ratione amat homines: ut adeo Divino amoris spiritu agatur, unaque cum CHRISTO Deoque voluntate in amore unice vivat vigeatque.

Talis autem mens animusque corporis vi non regitur; sed et vim habet, ut possit, et indolem, ut velit corporis rerumque corporearum cogitationes, affectiones cupiditatesque regere, et corporis vires membraque divinis suis consiliis atque voluntatibus reddere servientia. Quo fit, ut non internae modo mentis animique vires, sed et externae corporis facultates Divino regantur spiritu, atque adeo homo foras etiam Divinam veritatem Divinumque amorem verbis, factis omnique vita patefaciat.

Ejusmodi est ex JESU mente genuinorum Christianorum indoles. Et vero uti ex Dei mente atque voluntate tales fieri homines oportet (§. XIX.); ita etiam potest ingenium humanum ad talem indolem excoli informarique (§. VIII.),

et, si divina CHRISTI institutione rite utitur, revera informatur (§. XXIV.).

Eximia autem est hominis, tali indole praediti praestantia, sive speciatim aut ad mentem in veritate, aut ad animum in amore versantem, aut ad vim sanctam corpore vitaque omni patefactam respicias; sive universe animadvertas, quam sit et intima in ipso animo regnans haec virtus, et una totius hominis naturam complectens, et excellentissima vereque sancta dicenda.

1. Vulgo de virtute et pietate statui sic solet, ut pius habeatur, qui solet *agere convenienter legi Divinae*, ut pietas sit *complexus actionum Divinae legi consentanearum*, et virtus *studium perpetuum et efficax legi Divinae convenienter agendi.* Neque male, vid. Matth. V: 17 seqq. I Cor. VII. 19. Jac. I: 25. II: 8, 10, 12; dummodo teneatur, haec improprie dici ex mente JESU, qui non legem aliquam ferre, sed novum in hominibus spiritum informare voluit. Vid. I Tim. I: 8 seqq. et conf. §. III, 2—4, 6, 7. §. XVII, 2. §. XXII, 2, 3. — Ad JESU hac in causa mentem propius accedit philosophorum quorumdam, praesertim antiquorum, speciatim Socraticorum, sententia, qui virtutem in totius animi pulcra bonaque et recte composita conditione ejusque quasi sanitate ponebant, coll. §. XII, 4. JESUS, quod ex ipsius universo consilio sponte effici potest, diserte etiam effatus est, se velle animum ipsum totum intus bonum, ideoque actiones bonas,

tanquam fructus, naturâ suâ proferentem, Matth. VII: 17 seqq. XII: 33 seqq., hominemque indole tota novum fieri debere, novo Divinoque spiritu animatum, qui spiritus intus agens fons esset, unde sponte sua optima quaeque perpetuo profluerent, Joh. III: 5, 6. VII: 38 seq. XIV: 17. Exposuit hoc clarius etiam Paulus, *τὸν ἔσω ἄνθρωπον* volens, *πνεύματι Θεοῦ* actum, ut *νοῦς* in eo *καινὸς*, *καινὸν πνεῦμα* inesset, ipseque totus esset *καινὸς ἄνθωπος*, Rom. VIII: 5, 13, 14. II Cor. IV: 16. V: 17. Eph. III: 16. IV: 23 seq. Atque ita JOHANNES, homines Christianos esse dicebat, quibus revera *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας* et *τῆς ἀγάπης* inesset, I Joh. IV: 6, 13. — Oportet igitur nos universam hominis Christiani conditionem internam investigare, id est, directionem indolemque et mentis et animi, atque conjunctionem, quae corpori cum mente animoque in eo intercedit.

2. Et mentis quidem directio in hominibus, perversitati deditis, ad res externas humilioresque unico conversa, a Divina autem veritate est aversa, ejusque facultas illas paene solas, hanc vix aut ne vix quidem capit; atque sic eorum mens in *ἀγνοίᾳ* fere et *πλάνῃ* versatur ipsa, et animum hisce convenienter componit et regit, coll. §. XII, 2, 7, 9. §. XIII, 2, 5, 6. Contraria plane est indoles mentis in Christiano homine. — Est hicce mentis oculis studioque *ἐπιςρεφόμενος ἀπὸ σκότους εἰς φῶς καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεὸν*, Act. XXVI: 18. Directione igitur studioque conversa est ipsius mens ad Deum et ad Divina omnia cum universe, tum maxime qualia in CHRISTO patefacta sunt, cognoscenda, cogitanda, aestimanda. Constanter expetit Divinam illam *ἀλήθειαν*, de qua vidimus §. XIX. Atque adeo ei non mens errori ignorantiaeque dedita inest, sed

πνεῦμα ἀληθείας, Joh. XIV: 17. I Joh. IV: 6, et hoc quidem Divinae veritatis studio ducta mens perpetuo ipsi est propria, Joh. XIV: 16 seq. — Directioni respondet ejusdem mentis facultas. In quo enim mens studiosissime se exercet, id ipsa optime capere solet. Et genuinus Christianus liber est iis impedimentis veri videndi, quibus retinentur perversi, divina, qualia vere sunt, videre nolentes. Is igitur etiam potest Deum Divinaque omnia et rite dignoscere et certo credere et constanter ob oculos tenere, Joh. XIV: 14, 17. I Cor. II: 14, 15. conf. Matth. VI: 22 seq. Joh. VII: 17. Jac. I: 5—8. IV: 3. — Hujus cum studii tum facultatis effectus sane est naturalis hicce, ut mens omnem veritatem Divinam magis magisque perspiciat et simul in eam perpetuo studiosius et melius inquirere pergat. Uti enim studio rectaque facultate acquiritur veritatis cognitio, ita haec cognitionis progressio vicissim et studium et facultatem veri videndi auget. Ita ergo, mente innovatus eoque veri spiritu ductus, homo et semper in Divinam mentem voluntatemque inquirit, ut ad perfectiorem scientiam sapientiamque progrediatur, et sic ad plenam veritatem perspiciendam ducitur, Joh. XVI: 13. Rom. XII: 2. Eph. I: 18. IV: 11—15. I Joh. II: 27. — Denique, propter arctissimam mentis cum animo sentiente atque volente conjunctionem, fieri aliter nequit, quin mens ita composita vim habeat hancce, ut animum illi luci convenienter componat, illi veritati consentaneum reddat, Matth. VI: 22 seq. Joh. III: 21. VIII: 12. XII: 35 seq. 46. Rom. XII: 2. Eph. IV: 21—24. Col. III: 9—12. I Thess. IV: 5. I Petr. I: 14. Conf. omnino I Joh. I: 5—7. II: 8—11. II Joh. 4. III Joh. 4. Illa autem lux cum Divina sit et Dei virtutisque atque

felicitatis veram ostendat naturam, fit sane ita, ut Christiani, ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ, per suam ἐπίγνωσιν sint θείας κοινωνοὶ φύσεως, Joh. XVII: 19. II Petr. I: 3, 4.

3. Animi igitur etiam in homine Christiano indoles contraria est indoli hominis peccato dediti. In hoc enim sensus occupatur unice et viget affectus atque ira in humilibus terrenisque; superioribus et divinis vix afficitur animus, obdurescit iis et quasi mortuus est. Voluntasque adeo istius externam felicitatem, gloriam, libertatem unice expetit. Φίλαυτος est, et quoties ἡ φιλαυτία id requirit, Deo hominibusque est adversans. Atque adeo in humilibus rebus et suis potentissimus quidem est ejusmodi homo, sed in Divinis ineptus et paene impotens. Conf. §. XII, 2, 7, 9. §. XIII, 2, 5, 6. Contra se habet animi indoles vere Christiana. — Per mentis enim ad veritatem conversae vim hicce animus sensu quidem suo atque θύμῳ occupatur unice Deo rebusque divinis, quales vere per CHRISTUM sunt patefactae. Cum ergo haec patefactio tota fere eo redeat, ut homo Deum videat experiaturque generis humani amantissimum, coll. §. XX, 1; ἐκκέχυται ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, Rom. V: 5 seqq. Cumque eam, quam in Deo CHRISTOque vident et admirantur libertatem, praestantiam beatitatemque sibi quoque propositam esse Christiani norint, coll. §. XIX, 9 seqq.; in hoc quoque ipsi libertatem excellentiamque et felicitatem suam ponunt, ut liberrime alios diligant, vincere alios studeant prae amore iis serviendo, aliisque beandis ipsi sint beatissimi, Matth. XX: 25—28. I Cor. IX: 19. I Thess. II: 19, 20. In his viget, laetatur, uno verbo, vivit animus, Joh. XVII: 3. I Thess. III: 8. I Joh. III: 14. — Id igi-

tur, quod Divinum est, cum penitus persentiat, et in eo, quod Deo CHRISTOque est proprium, cum vitam omnem beatitatemque ponat animus; hicce sane voluntatem efficacissime impellit, ut id unum, quod Divinum est, velit, Divinum unice expetat amorem. Dei igitur CHRISTIque amore agitur, ut Deum illum CHRISTUMque redamet, II Cor. V: 14 seq. I Joh. IV: 19. Et Deum illum amans, ei placere, ejus voluntati obsequi, eodem, quo ille, spiritu agi ducique vult, Rom. VIII: 9 seqq. I Joh. III: 24. Deum autem amans, homo Christianus, amat *τὴν ἀγάπην* atque *φιλανθρωπίαν*, quae ipsa est indoles tota totusque spiritus Dei CHRISTIque; itaque ipsius indoles tota amore continetur, et ut Deus *ἀγάπη* est, ita ipsi unice inest *τὸ πνεῦμα τῆς ἀγάπης*, Eph. IV: 32 — V: 2. Col. III: 10, 12—14. I Joh. IV: 3, 12 seq. Itaque, quae per *φιλαυτίαν* aderat contra Deum hominesque inimicitia, tollitur, et talis adest reconciliatio, quali Christiani homines et Deo et hominibus sunt amici, Eph. III: 16. Col. I: 21. coll. Rom. V: 5—10. II Cor. V: 18—20, et per suam cum Deo CHRISTOque conjunctionem inter se quoque sunt amore conjunctissimi, Joh. XVIII: 21, 23, coll. XIII: 34 seq. — Eo ipso denique, quod ita in Divinis unice vivit et haec totus velit animus; vis quoque ipsi est in Divinis hisce potentissima. Vires enim a Deo natura inditae ingenio humano non ad alia convertuntur, sed unice in Divinis exercentur, ut his inserviant totae. Impedimenta boni frangit superatque firma voluntas. Et impensissimum amoris studium, omnia vincens perpetuoque in Divinis sese exercens, facit, ut et, quae deceat, possit omnino omnia homo vere Christianus, et sentiat sese *πάντα ἰσχύειν*, Rom. VIII: 37. Phil. IV: 13. I Joh. IV: 4. V: 5.

4. Ex his magnam partem jam facile liquet, qualis in homine Divinitus per CHRISTUM informato mentis animique sit cum corpore conjunctio. In homine perversitati sese tradente mens animusque affectiones, cogitationes, cupiditates e corpore rebusque externis ortas non regit: corpori servit animus et rebus externis subjacet, tentationibus quippe indulgens, et vires cum suas tum corporis sui reddens inservientes cupiditatibus istis. Cujus rei effectus naturalis hic est, ut corpus fiat instrumentum, *τῇ ἁμαρτίᾳ* penitus serviens, et ut prava haec indoles per corpus sese manifestet, atque verbis, gestibus, factis vivendique genere omni patefiat. Conf. §. XII, 2, 7. §. XIII, 2, 5, 6. Contraria est in homine Christiano ratio conjunctionis animum inter et corpus. — Regit in hocce non *ἡ σὰρξ*, sed *τὸ πνεῦμα*. In rerum corporearum externarumque affectiones, cupiditates, cogitationes dominatur animus, Divinitus illustratus informatusque, ut illas sibi subjectas dirigat. Eas non delet, aut exterminare conatur, quod neque fieri potest, neque opus est, coll. §. XIII: 2, 3; sed eas, ut inferiores sic subjicit et regit, ut divinis consiliis non obsint, imo prosint exsequendis. Haec enim illius animi est et indoles, ut velit, et vis, ut possit ita dominari, coll. Obs. 3. conf. Rom. VII: 23—25. VIII: 13. I Cor. IX: 27. Gal. V: 16 seqq. — Atque ita *τῷ πνεύματι* in homine Christiano servit corpus, divinisque illius consiliis voluntatibusque, tanquam instrumentum, inservit. Animus enim Divinitus informatus ut suas ipsius, ita etiam corporis sui, vires facultatesque omnes adhibet vero, bono divinoque patefaciendo et, quantum per res externas, ab ipso non pendentes, licet, efficiendo atque provehendo, conf. Rom. VI: 12, 13, 19. coll. etiam II Tim. II: 9. —

Effectus igitur hujusce conjunctionis animum inter et corpus sane egregius hic est, ut et corpus ipsum quasi habitaculum sit sancti divinique spiritus, et tota hominis Christiani vita sit patefactio divinae indolis. Vid. de illo I Cor. VI: 15—19, 20. Eph. V: 19. Col. IV: 6. Jac. II: 12 seqq. I Joh. III: 17 seq., de hac Rom. VIII: 4. Gal. V: 25. Eph. IV: 1. Conf. Matth. VII: 17 seqq. Gal. V: 22. Jac. II: 18. I Joh. II: 4. Atque adeo in Christianorum, Dei spiritum patefacientium, vita tota ipse Deus, qualis est lucis atque amoris omnis auctor, patefit, Matth. V: 16. Joh. XV: 8. coll. 9—12. I Petr. II: 9.

5. Ita, uti Obs. 2—4 descripsimus, ex ipsius JESU CHRISTI mente, genuinam Christianorum indolem atque vitam revera esse describendam, non modo ex ipsius JESU dictis, per Apostolorum quoque effata illustratis, ibique laudatis, intelligi potest, sed et ex totius institutionis Christianae vi in hominem, ea rite utentem, conspicietur Obs. 7. Imo non potest non ejusmodi esse JESU CHRISTI mens atque voluntas. Etenim optimorum quorumque haec esse solet natura, haec amoris vis atque voluntas, ut, quales ipsi sunt, tales quoque alios reddere velint, animi mentisque bonitate sibi quam simillimos. Quod uti in probis quibusque parentibus et institutoribus cernitur, ita et a summis viris non raro verbis est expressum. Cum igitur JESUS ipse mente ad Divinam veritatem, animo toto ad amorem Divinum compositus esset, corpore autem uteretur menti huic animoque penitus serviente; hicce omnium optimus sane non potuit non velle simillimam in sectatoribus suis omnibus indolem, atque hos vere suos judicare et agnoscere, qui tales sunt.

Conf. Numer. XI: 29. Act. XXVI: 29. XENOPH. *Mem.* L. I. c. 2. §. 3.

6. Tales igitur fieri oportet homines omnes, qui Divinitus per CHRISTUM instituuntur.

Hoc dicto, *oportere*, sive *decere*, sive *obligatum esse*, sive *naturae moralis vinculis obstrictum teneri* continetur idea necessitatis, sed non physicae ejusque absolutae, cui resisti nequit, verum moralis ejusque hypotheticae, cui, si velit, resistere quidem homo potest, cui vero, nisi naturae ipse suae rationali atque spirituali repugnare velit, obsequi debet; conf. omnino §. VIII, 10, 11.

Tales autem fieri eos omnes oportet variis de causis.

Et primum quidem hominem, ratione praeditum veraeque felicitatis perfecta patefactione donatum, oportet, ratione illa rite utentem, veram expetere felicitatem, in eo ipso positam, ut talis fiat. Ratione, qua veram felicitatem discernere queat, praeditum esse hominem, vidimus §. VIII, spec. Obs. 9. Veram felicitatem per CHRISTUM perfecte patefactam esse, apparuit §. XIX, 9—13. Hanc igitur sectari veram felicitatem oportet hominem, ea ratione praeditum; quod si non agat, suae ipse naturae rationali repugnat. — Est ergo minime quidem dicendum, oportere virtutem sectari hominem, ut fiat felix; quale studium recte a Stoicis praesertim et a KANTIO dictum est non honestatis sed calliditatis esse. Conf. omnino Matth. VI: 1—6. Neque ideo tamen omnis cogitatio felicitatis ab officio est removenda. Etenim, ne nunc de ejus rei in institutione utilitate dicamus, de qua vid. §. XXIII, 3, tenendum est, et homines esse aliquos, qui ne felicitatis quidem stu-

dio, per naturae instinctum, satis vigenti ducuntur, et praesertim, verae expetentes felicitatis non instinctu physico esse homines ullos, sed institutionis bonae hoc ipsum esse fastigium, ut tales reddat omnes, coll. §. XXIII, 3, 4. — Veram autem felicitatem hominis in hoc positam esse, ut indole sit vitaque omnino Christiana, cernitur ex ipsa JESU CHRISTI persona, verae felicitatis τύπῳ, omnibus proposito, eoque non externae salutis, sed unice πνευματικῆς beatitatis exemplo, vid. §. XIX, 11. Intelligi vero etiam id facile potest ex ipsa mentis animique natura, ad veritatem amoremque facta, et ex naturali conjunctione animi cum corpore, ut superioris cum inferiori et ad serviendum nato. Naturae autem hominum quo plenius satisfit, eo sunt vere feliciores. — Quae cum ita sint, JESUS etiam ejusque Apostoli ab infelicitate, dedecore et humilitate, impietatis comite, Matth. VII: 26. XXV: 38—30. Eph. V: 5, 6, et a felicitate, honore, excellentia, cum virtute juncta, Matth. VII: 24. XXV: 21, 23. I Cor. IX: 24 seq. I Tim. IV: 8. Tit. III: 8, monita sua desumserunt, et docuerunt, CHRISTI, veram gloriam, excellentiam felicitatemque expetentis, sapientiam omnes oportere imitari, Matth. XX: 25 seqq. II Tim. II: 10—12. Hebr. XII: 2, conf. §. XXIII, 4.

Deinde hominem, boni malique sensu praeditum et boni divinique patefactione excellentissima donatum, oportet bonum hoc divinumque propter se sectari, atque adeo talem fieri, qualis est genuinus Christianus. Sensu praeditum esse hominem eo, quo diligere et appetere, quod bonum est, propter id ipsum, quia est bonum, possit, dubio omni caret, coll. §. VIII, spec. Obs. 10. Quod bonum est, perfectissime in CHRISTO patefieri, apparuit §. XIX, 14—20.

Hocce igitur qui non sectatur, eo ipso naturam humanam aspernatur. — Hominis veram virtutem praestantiamque unice in tali indole positam esse, abunde ex ipso CHRISTO, talis indolis exemplo, conspicuum est, §. XIX, 16. Sentiet vero etiam id unusquisque, qui reputet, mentis animique et corporis, cum animo juncti, praestantiam in eo ipso esse quaerendam, ut naturae suae obsequatur homo, ingenioque cum sit divino, Deum indole sua referat. — Saepe itaque JESUS atque Apostoli et impietatem propter ipsam ejus perversitatem turpitudinemque damnarunt, Luc. XII: 54 seqq. XIII: 15 seqq. Joh. IX: 41. Rom. VI: 21. II Petr. II: 12, pietatemque Christianam oportere omnes sectari docuerunt propter ipsius bonitatem honestatemque, Matth. V: 44—48. Joh. XII: 44—46. Act. XVII: 28—30. Rom. VI: 22. Phil. IV: 8, Dei etiam CHRISTIque exemplum esse imitandum, utpote optimum et excellentissimum, Eph. V: 2.

Conferri meretur CICERONIS locus *de Rep.* L. III, c. 17.

Denique hominem, humanis universe sensibus studiisque praeditum, et Divina institutione, in sensus humanissimos quosque maxime agente, donatum, oportet huic obsequi institutioni, nisi omnem exuere velit humanitatem. Ingenio humano sensus ejusmodi studiaque praeclara inesse, antea nobis patuit, §. VIII. spec. Obs. 10. §. XXIII, 3, 5. In hosce sensus et haec studia humaniora maximopere agere institutionem Christianam, pariter vidimus, §. XXIII, 4, 6. Itaque propter id ipsum oportet omnes huic Divinae per CHRISTUM institutioni obsequi, nisi toti suae velint resistere humanitati. Et sane, universe hoc jam officii vim auget, quod institutione nos Deus beavit; ita quidem, ut non modo in ignorantia et rudi-

tate vivere nos non sinat, sed et verum egregie patefaciat amoremque suum demonstret per CHRISTUM, et veri cognitionem amorisque sensum ad mentes animosque perferat, coll. P. II, S. II, C. I. Ejusmodi vim benignissimam repellere, turpissimum, ejusmodi Divinam vim rejicere, vere impium est. Vid. Matth. XI: 21 sqq. Joh. XV: 22, 24. Act. VII: 51. Gal. IV: 8. Hebr. II: 1—4. X: 26; conf. §. XIV, 5. Est vero haec officii vis tanta, quanta maxima cogitari potest, ideo, quod Christiana institutio in studia humana agit omnino omnia, et in humanissimos quosque sensus agit maxime. Quodsi enim, verbi causa, vel poenarum metu solo vel solo honoris studio impellat institutio aliqua; excusationi etiamnum locus remanet. Cum vero Divina per CHRISTUM institutio et studia humana adhibeat omnia, et sensum humanissimum vimque amoris omnium maxime; sane dicendus est sensus humanos omnes, hoc est ipsam humanitatem, prorsus exuere, qui huic non obsequatur. Vid. Joh. III: 16, 18. XV: 13 seq. Rom. XII: 1. II Cor. V: 15, 20. XVI: 1. I Joh. IV: 7 seqq. 19, et conf. §. XXIII, 4, 6.

7. Talis vero etiam indolis excellentissimae homines, uti per ingenium suum capaces sunt, ita, Christiana institutione rite utentes, revera fiunt participes.

Et capaces quidem illius indolis esse homines, dubitari facile possit, cum propter communem humani generis perversitatem, illi indoli adversantem, coll. §. XII, 10. §. XIII, 6, tum propter illius ipsius indolis excellentiam divinitatemque, Obs. 2—4. Et sane ingenio homines nascuntur non eo, quo aut per se boni jam sint, aut necessario fieri debeant; sed hocce quasi semine boni atque facultate prae-

diti sunt, quae si rite excolatur atque dirigatur, optimae indolis quasi fructum proferre queat. — Hoc autem ingenio homines revera gaudere, ex JESU mente antea ostendimus §. VIII, maxime Obs. 7. Et si infantis recens nati ruditatem imbecillitatemque cum summorum philosophorum eruditissima mente optimorumque hominum animi excellentia compares; facile ipse intelliges, infinitae progressionis et ὁμοιώσεως τῷ Θεῷ capacem esse hominis naturam; coll. §. IX, maxime Obs. 5.

Revera autem talis indolis participes unice fiunt homines, rite utentes Christiana institutione. Hac enim, quae non physica vis est, sed spiritualis institutio, libere utendum homini est; quod ut oportet, ita et homine dignissimum est, et plane necessarium, coll. §. XXIV. — Homines vero etiam, ea rite utentes, revera tales fieri, dubitari nequit. Est haec enim institutionis illius interna natura atque praestantia, ut et ingenium homini innatum efficacissime atque per gradus excolat, et indolem perversam emendet studiaque omnia ad virtutem convertat, et ad summam sensim homines evehat perfectionem, in eo positam, ut Divina veritate Divinoque amore fovendo et patefaciendo cum Deo CHRISTOque et secum invicem conspirent, coll. §. XXIII, 2, 4, 6, 7. Atque insuper in historia ipsa cernitur, a Deo per CHRISTUM ortam informatamque esse societatem Christianam, cujus socii genuini omnes magis minusve, prouti magis aut minus bene CHRISTI institutione usi sunt, a perversitate abstinent, mente ad Divinam veritatem, animo ad amorem Divinum conversi sunt, indolemque suam Divinitus informatam vita sua patefaciunt, et communi veri studio communique amore generis humani salutem prove-

hunt. Qui autem ea institutione optime utuntur, maxime eam indolem referunt. Vid. Rom. VIII: 9, 10, 14, 15, 23, 29. Phil. III: 7—14, Tit. III: 3—5. I Joh. II: 27. III: 1—3. IV: 6, 12 seq.

8. Cum ad institutionis Christianae naturam in plenissima luce ponendam, coll. §. V, 9, conducat, praestantiam quoque ejus indicasse; disquirendum restat de indolis vere Christianae excellentia.

Et cernitur haecce jam in singulis ejus proprietatibus. Mentem quidem si spectas; praestantia summa in hoc est posita, quod, quo quisque magis est Christianus, eo magis veritatem et expetit et sectatur. Quodsi enim non veritatem, sed opinionem sequantur homines, in devia omnia abripiuntur. Quod non modo in polytheismo, ad lasciviam crudelitatemque non raro pelliciente, cernitur, sed etiam in Judaismo, prae ritibus externis veram religionem negligente. Neque minus id conspicitur in Judaeis aeque ac Romanis, CHRISTI causam Ecclesiamque propterea vexantibus, quod in errore ipsi vivebant; et in Mohammede, fanatico furore pro religione arma sumente; et in Christianis, Mohammedanos primum, deinde haereticos, bello aggressis, tandemque purioris reformataeque religionis Christianae sectatores carceribus et rogis exterminare studentibus. Et ingenio saepe excellentes viri tanto magis et nocuerunt humano generi et in devia omnia sunt abrepti, quanto praestantiori erant animo, si veritatem non tenerent atque sequerentur. Conf. omnino Joh. XV: 20 seq. XVI: 2, 3. Rom. X: 2. I Cor. II: 8. Sola veritate sequenda a perversis omnibus liberari homo potest. Sine hac ingenio, non satis exculto, quid bonum sit malumque non videt, aut men-

tem, pravitate animi offuscatam, sequitur. coll. §. XII, 7, 9. §. XIII, 6. Hac sola sequenda, non quod videtur, sed quod est bonum divinumque, diligit et provehit. Ad perfectionem autem duci unice Christiani homines possunt veritate Divina sequenda, quae in CHRISTO perfectissime est patefacta. Vid. Joh. VIII: 32, 36. — Hanc sectandae veritatis vim philosophi nonnulli egregie perspexerunt. SOCRATES a Sophistarum fraudibus suos ad naturae humanae veritatem observandam ducebat. A SOCRATE informatus, PLATO ignorantiae errorumque perniciosam vim, veritatis sapientiaeque in omni institutione atque virtute principatum ubique inculcabat. Et aevo etiam recentiori Socratici atque Platonici in virtutis causa veritatem ante omnia laudarunt. Cum hisce autem mirum in modum consentiunt JESU Apostolorumque dicta, Act. XXVI: 18. I Cor. I: 30. Eph. V: 9, 14. IV: 24. Nemo simplicius simul et gravius rem enuntiavit, quam JESUS, Joh. XVII: 19.

Conf. PLATO, *Rep.* L. VI, p. 485 seq. 490, 506. L. VIII, p. 514 seqq. 521, 535. *Theaet.* p. 176. HEMSTERHUIS, in Dial. *Simon*, Opp. T. II, p. 286. VAN HEUSDE, *Brieven over hooger onderwijs*, p. 223, 328 seqq. *Socrat. School*, T. II, p. 151 seqq. *Initia Plat.* Vol. II. P. II, p. 40. P. III, p. 235. Conf. *Waarheid in Liefde*, 1837, I. p. 39 seqq.

Animum si respicis hominis vere Christiani, praestantia ejus in hoc est, quod totus in amore viget. Hoc vero quam eximium sit, antea satis exposuimus §. XXIII, 5, 6. — Esse autem praestantiam etiam maximam in hoc sitam, quod mente animoque indoles Christiana non concludatur, sed corpore vitaque tota sese patefaciat, facile quisque videt.

Sed ut in singulis proprietatibus, ita non minus certe in universa natura indolis Christianae posita est praestantia magna, idque triplici de causa. — Primum enim haecce virtus Christiana non certis quibusdam actionibus constat, sed intima ipsius mentis animique conditione. Psychologice sic demum vere de charactere Christiani hominis existimatur. Morali ratione si rem consideras; haec demum vera virtus est, quae in indole ipsa est posita, non quae in actionibus, licet excellentissimis, quaeritur; conf. I Cor. XIII: 3. Haec etiam tota moralis est virtus, dum actiones saepe ab ipso homine non pendent; conf. Marc. XII: 41 seqq. Atque adeo a Deo, non judicum humanorum instar facta per se respiciente, sed ad animum, factorum fontem, attendente, haec sola haberi judicarique virtus potest; conf. Matth, XXV: 20 seqq. Vid. omnino dicta §. XII: 4, 5.

De eo, quod virtus non actionibus contineatur, conferri meretur SCHLEIERMACHER, *Predigten*, 1. edit. III *Samml.* p. 249.

Deinde, quod huic proximum est, non multae quaedam homini Christiano sunt virtutes, sed una est virtus, totam ejus mentem animumque totum complectens. Quae vulgo appellantur virtutes variae, sunt proprietates agendive rationes utiles societatique convenientes, neque tamen ortae semper ex mente animoque penitus ad bona divinaque converso. Illae ergo, ut castitas, benignitas, fortitudo, vel ingenii naturales effectus, vel studii cujusdam dominantis saepe fructus sunt; haec una totius animi ad divina directio sola est vera virtus moralis. Haec nisi insit homini, pro opportunitate nata variis se vitiis tradet, ipsius dominanti studio non adversanti-

bus ingenioque et temperamento congruis; conf. Jac. II: 10, 11. Contra si cujus mens tota totusque animus versus bona, honesta, divina directus est, in singulis rebus plerumque sponte sua bonum eximiumque sese praestabit; conf. Matth. XII: 33 seqq. item X: 19, 20. Vid. de his etiam §. XII, 4, 5.

Conf. HEMSTERHUIS, *Simon*, Opp. T. II, p. 276, 279. *Aristée*, p. 116 seq. J. CLARISSE, *de Brief van Jacobus in Vertoogen*. Amstel. 1802, p. 117 seq. SCHLEIERMACHER, l. l. p. 184.

Denique indolis Christianae universae haec est praestantia, quod ejus virtus est excellentissima vereque sanctitas dicenda. Non modo prae virtute, quae vulgo appellatur, civili et prae virtutibus, e felicitatis studio aut ambitione ortis, longissime praestat; cum hae, morali quidem sensu, virtutis nomen non mereantur. Sed et praestat longe prae mentis animique bonitate, qualis in hominibus gentibusque minus excultis esse potest, quaeque non quidem splendentium vitiorum nomine spernenda, sed imperfectioris virtutis appellatione est insignienda. In pueris gentibusque in pueritia versantibus virtus est patriarchalis, familiam et gentis Deum complectens. Ab adolescentibus et populis paulo cultioribus communis respublica, ut φρατρία, diligitur religioque huic est indivulso nexu adjuncta. Sed ubi ad virilem cultum homo aut populus aliquis pervenerit, humani nihil a se alienum putare eum decet; neque hanc humanitatem sive, ut a nonnullis dicta est, virtutem moralem a religione secernere licet, sed hominem rite excultum, oportet mente animoque et genus humanum omne et Deum generis illius totius patrem complecti. Talis autem virtus religiosa, quae humanitas aeque atque divini-

tas appellari potest, aut etiam sanctitatis nomine insigniri, est vera virtus Christiana.

Conferri merentur CICERO, *de Fin.* L. V. c. 23. GARVE, *Anmerkungen* ad Cic. de Off. L. II, p 35. VOGEL *über das Philos. und Christl. in der christl. Mor. II. und III Vorles.*

§. XXVII.

De eadem hominis Christiani, cum aliis conjuncti, indole; sive descriptio hujus ecclesiastico-religiosa.

Quodsi vero praeterea in ea indole universa contemplanda speciatim attendas ad Christianos homines, cum Deo, CHRISTO aliisve et secum invicem conjunctos; ejusdem cum natura luculentius etiam perspicietur, tum praestantia clarius elucescet.

Et Dei quidem ratione habita, eorum mens atque voluntas dici meretur spiritus sanctus sive divinus, ipsique digni sunt nomine filiorum Dei, paterna indole conspicuorum. A Deo enim informati sunt ad Divinae naturae similitudinem. Unde oritur in iis et excelsa divinae praestantiae conscientia, et modestissimus humanae summissionis sensus.

Per suam autem cum Dei Filio conjunctionem merito dicuntur ipsius CHRISTI, utpote principis et quasi capitis sui, spiritu agi, ejus-

que, veluti primogeniti Filii, esse fratres. Per CHRISTUM enim insigni cum amore informantur, ut ipsi sint indole propinqui, ipsius mentem voluntatemque referentes. Quare hujus divinae necessitudinis sensu alte sese efferunt, nihil tamen sibi arrogantes, quippe qui omnia CHRISTI tribuant χάριτι.

Iidem porro Christiani, secum invicem conjuncti, mente sua communi sacrum quasi corpus, uno spiritu actum, efficiunt, et sunt familiae instar divinae, in qua omnes fratres sunt, patrem unum habentes Deum. Indolem enim eandem divinam in se invicem agnoscentes, communi sensu atque voluntate ad communes suos divinosque conspirant fines. Itaque invictos sese sentiunt, utpote divina animorum societate potentissimos, neque tamen superbe sese existimant sibi sufficientes, utpote omnia debentes amori.

Denique si universae rerum naturae rationem habeas, indoles haecce non σαρκικὴ, sed πνευματικὴ, non terrena est, sed coelestis. Etenim in ea non vis aliqua humilior corporis, sed divina mentis vis dominatur; non humilia et huic unice terrae congruentia, sed sublimia, in coelo etiam vigentia, regnant consilia. Sin in hac ipsa rerum natura universam gentem humanam

potissimum respicis; facile videbis mentem voluntatemque in Christianis et societate Christiana regnantem, esse spiritum Divinitus quoscunque illustrantem, perficientem, meritoque igitur dici divinum spiritum, humani generis conservatorem. Haecce ergo indoles et admirabilis est, quippe in mortalibus divina, et amabilis, quippe longe omnium humanissima.

1. Prouti hominis cujusque character a variis partibus spectari, et vel per se, vel in sua cum institutoribus, aut cum populo, aut cum aevo, quo vivit, conjunctione delineari potest; ita et Christiani hominis indoles universa describi potest vel qualis per se spectata est, ut fecimus §. XXVI, vel etiam qualis est in sua cum Deo, cum CHRISTO, cum sociis, cum tota gente humana rerumque natura consociatione. Et hoc necessarium videtur in explicanda institutione JESU CHRISTI, qui non singulos modo homines, sed eos cum Deo, cum ipso, secumque invicem conjunctos informare vult, coll. §. III, 5.

2. Et rationem quidem si habes conjunctionis, in qua cum Deo vivunt, Christiani habent *τὸ πνεῦμα ἅγιον* sive *τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ*, sunt *θείας κοινωνοὶ φύσεως*, Joh. XIV: 26. Rom. VIII: 9. I Joh. IV: 13. II Petr. I: 4. Sunt ergo, indole sua, *γεγεννημένοι ἐκ τοῦ Θεοῦ, τέκνα Θεοῦ, υἱοὶ Θεοῦ*, Matth. V: 45 coll. Luc. VI: 35. Rom. VIII: 14—16. Eph. V: 1. I Joh. II: 29. III: 9.

De dictionis significatione conferri potest I Cor. IV: 15 seq. et C. W. STRONCK, *de doctrina et dictione Johannis ad Jesu doctrinam dictionemque exacte composita*, p. 105 seqq.

Talem revera esse genuinam Christianorum indolem, facile perspicitur, dummodo teneatur, et eam a Deo informari, coll. §. XVIII, et natura sua esse divinam, Dei indoli simillimam, coll. §. XXVI cum §. XIX, 4—7. Et vero uti Deus *φῶς ἐςιν* et *ἀγάπη ἐςιν*, idemque ut talem in tota rerum natura constanter se patefacit, ita quoque Christianorum indoles et *πνεῦμα ἀληθείας* est et *πνεῦμα ἀγάπης*, idque vitâ sese omni patefaciens. Conf. I Joh. I: 5. IV: 6, 8, 12 seq.

Hujus autem rei praestantia est eximia, cum propter id ipsum quod homo ad *τὴν ὁμοιώσιν τῷ Θεῷ* erigitur, conf. §. XIX, 18, 20, tum etiam propter hujus excelsae indolis conscientiam, quae homini Christiano et inest, et inesse debet. Nihil enim ad sensum admodum sublimem erigere quemquam magis potest, quam conscientia haecce, se hominem cum ipso conspirare Deo optimo, maximo. Hinc igitur in Christiano homine et gaudium de hac praestantia oritur, coll. I Joh. III: 1, et magna sui existimatio, nil humile in se ferens, I Cor. VI: 19, et spes progressionis infinitae, II Cor. III: 18, et sensus invictae potentiae, Rom. VIII: 25 seqq. I Joh. IV: 4, omninoque animi sublimitas, qualis in JESU CHRISTO omnium maxime cernebatur, coll. Joh. XVI: 33. Neque vero inde ulla oritur superbia; imo ille sublimis sensus cum insigni junctus est modestia. Sentit sese homo Christianus Dei filium, qui unice auctore patreque Deo et est et habet et potest omnia, et patri huic similior semper fieri debet. Ex quo et amabilis oritur *ταπεινοφροσύνη*, coll. Matth. XI: 25—29. I Cor. XV: 10, et animi, Deo patre gloriantis, laetitia, I Joh. III: 1, et modestum semper progrediendi studium, Matth. V: 48. Phil. III: 12—15.

Conferri quodammodo potest, Joh. XIV: 28. XVII: 1—3.

De illo sublimi sensu conf. S. F. J. RAU, *Oratio de Jesu Christi ingenio, per comparationem cum Pauli ingenio illustrato*, Lugd. Bat. 1798, p. 33 seq., et HEMSTERHUIS, *Aristée*, Opp. T. II, 117. De ejus cum modestia conjunctione conf. VAN HEUSDE, *Init. Ph. Pl.* Vol. II, P. III, p. 227 seqq.

3. Ratione habita conjunctionis suae cum JESU CHRISTO, habent *τὸ πνεῦμα τοῦ Χριστοῦ*, *ζῇ ἐν αὐτοῖς Χριστὸς*, habent *τὸ χρίσμα*, quo ipsi *τῷ Χριστῷ* sunt simillimi, Rom. VIII: 9. Gal. II: 20. I Joh. II: 27. Sunt enim JESU CHRISTI, ut domini et capitis totius Ecclesiae, membra, ideoque ipsius spiritu animati, *ἓν πνεῦμα* cum ipso, I Cor. VI: 15, 17 conf. Eph. IV: 4, 5, 15. Uti e vite rami, ita e CHRISTO Christiani vitam habent, *ἐν αὐτῷ μενόντες*, atque adeo *ἁγνίζουσιν ἑαυτοὺς, καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστιν*, Joh. XV: 1 seqq. I Joh. II: 6, 27 seq. III: 3. Sunt igitur, per illum *μονογενὴν υἱὸν* et cum illo, *υἱοὶ*, *τέκνα τοῦ Θεοῦ*, illiusque, ut *τοῦ πρωτοτόκου*, sunt *ἀδελφοὶ*, Matth. XII: 49 seq. Joh. XX: 17. Rom. VIII: 17, 29. I Joh. III: 2.

Tales, per indolis suae naturam, esse Christianos genuinos, dubitari nequit. Uti enim a Deo, ita per CHRISTUM informati sunt, et huic sese confidentes atque hunc amantes, mente, animo, vita, fiunt ei simillimi, vid. §. XIX, 16 coll. §. XXVI, 2—4. Conf. §. XXIII, 5. Atque adeo, ut *ἐκ Θεοῦ*, ita *διὰ Χριστοῦ* sunt CHRISTO similes, I Cor. VIII: 6., et ut Deus *ὁ γεωργὸς* est dicendus, ita *τοῦ ἀμπέλου* partes sunt ipsi; membraque illius corporis, quod creavit Deus, cujusque membrum praecipuum sive caput

CHRISTUS est; perque hunc primogenitum quasi fratrem indole cognati vereque fratres sunt ipsi. Etenim *ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀλήθειαν*, coll. Joh. I: 16—18.

Hujus rei uti jam propterea magna est praestantia, quod per solum Divinum CHRISTUM homines ad summam evehi profectionem possunt, coll. §. XIX, 20., ita et propterea quod eximiae hujus cum CHRISTO cognationis conscientia homini Christiano et inest, et inesse debet. Hac enim excelsae indolis conscientia alte erectos sese sentiunt meritissimo, coll. Joh. XVI: 26, 27. XVII: 15, 16.: ita quidem ut et prae perversis hominibus mente longe excelsiores se agnoscant, coll. I Cor. 2: 14—16, et vilia omnia semet ipsis indigna aestiment, ibid. VI: 15—17, et, in ignominiosissima etiam sorte, se sua cum CHRISTO similitudine extollant, Col. I: 24 coll. Phil. II: 17. III: 10, et vero omni se humana prophetarum aut sacerdotum intercessione liberos, Dei filios sentiant, II Cor. III: 17 seq. I Petr. II: 9. I Joh. II: 27. Apoc. I: 6. V: 10. XX: 6. Simul autem tantum ab omni absunt arrogantia, ut modestissime fateantur, nullo se merito suo esse tales, Eph. II: 8—10. I Tim. I: 12 seqq. Tit. III: 5, 6, imo gratissimo animo laudem omnem Dei CHRISTIque *χάριτι* tribuant, I Cor. XV: 10. I Petr. II: 10 et ll. ll.

4. Quodsi vero mentem animumque spectes Christianorum, ut secum invicem conjunctorum, et habent unam mentem voluntatemque, et sentiunt noruntque hac se consociatos, et una agunt conspirantes. Sunt *σύμψυχοι*, *τὸ ἓν φρονοῦντες*, *κοινωνίαν μετ᾽ ἀλλήλων* habentes, coll. Phil. II: 2. I Joh. I: 3. Sunt nempe, et esse se omnes norunt, unius societatis spiritualis, tanquam corporis, membra, *ἓν*

πνεῦμα habentia et *ἑνὶ πνεύματι* acta, Rom. XII: 4 seqq. I Cor. XII: 12 seqq. Eph. IV: 3 seqq. Est igitur hocce iis *πνεῦμα κοινὸν* (quod Franco-Galli *esprit de corps*, Germani *Gemeingeist* appellant). Atque ita sunt quasi familia aliqua fratrum, qui, ex uno patre nati, in se invicem communem familiae indolem agnoscunt, communemque agunt familiae causam, I Joh. IV: 20 seq. V: 1 seq.

Est enim una omnibus eademque indoles, de qua §. XXVI vidimus. Cumque hanc omnes agnoscant Dei esse CHRISTIque mentem, voluntatemque a Deo per CHRISTUM in omnibus informatam, coll. Obs. 2, 3; sentiunt etiam noruntque, hocce se *ἑνὶ πνεύματι* agi, eoque ad consilia ipsi congrua exsequenda conspirant. Quod ut ipse significavit JESUS, Joh. XV: 17—19, ita naturae est consentaneum, cum animi similitudo in bonis conjunctionem efficere soleat et quasi propinquitatem.

Conf. CICERO *de Amic.* c. 5, 14. XENOPH. *Memor.* L. II, c. 6. §. 21 seqq.

Hujus rei praestantia non modo in effectu, qui inde in societatem Christianam redundat, coll. §. XXI, cernitur; sed etiam in eo, quod communi ejusmodi spiritu se agi, conscii sibi sunt Christiani. Ex amore enim et sensu consociationis oriri invicta fortitudo solet. Atque ita in Christianis, sive aliorum se salutem efficere reputent, coll. II Tim. II: 10, sive communis indolis excellentiam respiciant, I Joh. IV: 4, sive uno spiritu viribusque conjunctis se agere recordentur, Phil. I: 27, amor solet perferre omnia et esse invictus, I Cor. XIII: 7. Quod autem non admirabilem modo, sed amabilem simul hanc indolem reddit, in hoc est positum, quod haecce fortitudo

ab omni superba sui sufficientia longe est remota. Christiani enim omnia se posse profitentur, non per se, sed CHRISTI vi ad id instructos, Phil. IV: 13, idque ita, ut societatis, tanquam corporis, saluti efficiendae non unum aliquod membrum sufficiat, sed cuncta ad id membra conspirare debeant, I Cor. XII: 14 seqq. Qualem sane, cum fortitudine apte junctam, modestiam alere hominem decet.

Conf. VAN HEUSDE, *Brieven over hooger onderw.* p. 224, 287—291, 299, 301.

5. Denique indoles Christiana spectari etiam potest in sua conjunctione cum naturis reliquis omnibus, latissime patente. Cognoscimus autem in universo mundo cum corpora tum mentes; mentes autem hasce tum in terra hacce degentes, tum et superiores, coelestes; speciatim vero inter naturas illas omnes nobis hominibus spectandi sunt homines universi.

Et corporum quidem mentiumque si rationem habes; Christianorum indoles *οὐκ ἐκ σαρκὸς σὰρξ*, sed *ἐκ πνεύματος πνεῦμα* est, ipsique *οὐ κατὰ σάρκα εἰσὶ*, neque *φρονοῦσι τὰ τῆς σαρκὸς*, sed *κατὰ πνεῦμα εἰσὶν* atque *τὰ τοῦ πνεύματος φρονοῦσιν*, iidemque *κατὰ πνεῦμα ζῶντες*, etiam *κατὰ πνεῦμα ςοιχοῦσιν*, Joh. III: 6. Rom. VIII: 5. Gal. V: 25; id est, non corporis viriumque corporearum affectio, cupiditas cogitatioque dominatur in iis, sed mentis, cum Dei mente cognatae et a Deo informatae, vis, actio, voluntas regit, et corpus resque corporeas subjicit sibi et menti divinae inservire cogit. Quod quam verum sit, vidimus §. XXVI, 4.

Mentium diversas species si consideres, ii quidem qui regnum quoddam infernum malumque fingunt, cujus princeps sit Diabolus, quodque oppositum sit

regno excellentissimo optimoque, cujus princeps Deus est, Christianos appellare *οὐ τέκνα τοῦ διαβόλου, ἀλλὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ* debent, conf. Joh. VIII: 44, 47. I Joh. III: 8 seqq.; ut liquet ex Obs. 2. Est vero ab omnibus dicenda Christianorum mens non *φρόνησις ἐπίγεια*, sed *ἐπουράνια*, non terrena indoles, sed coelestis (quam nos appellare una voce solemus *hemelsgezindheid*). Quod ubi dicimus, minime aut docemus, aut opinamur, Christianis indignum esse, res terrestres negotiaque hac in terra peragenda cogitare atque curare, aut eos oportere rebus coelestibus et felicitate aliquando in coelo futura negotiisque, ibi peragendis, unice occupari. Imo, ex mente CHRISTI, ab ipso ejusque primis discipulis diserte significata, sic statuimus, sentiendi, cupiendi, cogitandi agendique rationem, plerisque in hac terra hominibus propriam et cum rebus hac in terra tantum obviis conjunctam, ab indole Christiana esse alienam; sensa, voluntates, studia, sive, ut dici solet, animi principia coelestia in Christianis regnare, indolem omnino inesse talem, qualis in coelo quoque coelicolis, CHRISTO imprimis Deoque, est propria, eosque his principiis etiam duci in rebus terrenis et per se inferioribus agendis, coll. Matth. VI: 10, 31 seqq. Eph. II: 6. Phil. III: 19. Col. III: 1 seqq. 5, 8, 12 seq. Hebr. X: 34. XIII: 14. Quod quam verum sit, quamque egregie in omni terrestri vita patefiat, liquet ex Obs. 2, 3 et §. XXVI, 4.

Conf. E. KIST, *Beoefeningsl.* II D. II St. §. 223 seq. aut *Beknopte Beoefeningsl.* T. II, §. 45.

Denique si hominum universorum rationem habes; Christiani bonitate indolis suae sunt veluti sal, mundum conservans, ne perdatur; ipsorum societas fermenti instar est, cujus vis salutaris magis magisque omnia penetrare debet; suntque illi CHRISTO si-

miles, *τὸ φῶς τοῦ κόσμου*, coll. Matth. V: 13, 14. XIII: 33. Per suum enim veritatis sanctitatisque spiritum gentem totam humanam ad verum, sanctumque et ad intimam cum Deo conjunctionem sensim magis adducunt, Joh. XIV: 12. XVI: 7—11. XVII: 19—23. Hoc, coll. §. XXI, adeo verum est, ut a Deo per CHRISTUM informata et sensim magis perfecta Christianorum indoles Ecclesiaeque Christianae spiritus merito dici possit divinus spiritus, generis humani conservator, divina vis totius gentis nostrae conservatrix et beatrix.

Conf. RÜTENICK, *Sittenlehre, aus dem Begriff des Reiches Gottes entwikkelt*, §. 5, *n.* 6—8.

In his quoque praestantia maxima sita est. Et est hoc sane admirabile, homines, qui *ἐκ σαρκὸς σάρξ* nascuntur, usque adeo fieri *πνευματικοὺς*, ut CHRISTI Deique spiritum referant, et cum coelitibus ipsoque Conservatore et Patre adeo conspirent, ut cum his ad conservandum beandumque genus humanum cooperentur. Hujus autem ipsius rei conscientia Christianos et a vilibus omnibus revocat, coll. Col. III: 5, 8, et ad optima quaeque incitat, ibid. 1, 2, 10 seqq., et ad perfecta omnia sectanda adigit, Phil. III: 14—21. Sed non minus amabilis est haec indoles, tota in verissimam hominum salutem vivens. Cujus qui sibi conscii sunt, hac sane conscientia ipsa inflammantur ad *ἐνθουσιασμὸν* optimum, coll. Matth. V: 13—16. Atque ita fit, ut ipsi et insigni cum cura, coll. I Cor. III: 9 seq., et maxima cum benevolentia, II Cor. I: 23 seq., et summo cum ardore gentis humanae saluti sese devoveant, ut *συνεργοὶ τοῦ Θεοῦ εἰς χαρὰν ἀνθρώπων*, II Cor. I: 24. V: 18—VI: 10.

§. XXVIII.

De ejusdem indolis conjunctione cum animi ipsius facultatum viriumque vita interna; sive descriptio ejus psychologica.

Quodsi penitus in intimam Christianae indolis naturam penetrare ejusque praestantiam perspicere omnem velis; tandem etiam inquirendum est, quis sit in his omnibus (§. XXVI, XXVII.) mentis voluntatisque intimus modus vivendi agendique.

Itaque si (coll. §. XXVI.) singulos homines Christianos spectes; quo perfectius hi informati sunt, eo magis eorum mens animusque modo vivit simplicissimo. Etenim mens non tum huc tum illuc conversa est, animus non tum hoc tum illud spectat; sed unum semper idemque quod vere bonum divinumque est et mens respicit et animus vult et vita manifestat. Estque intima et perpetua naturaeque congruens conjunctio facultatum viriumque humanarum omnium, ut mens praeluceat, cum mente consentiat animus, corpus utrique serviat. Unde optimis quibusque Christianis maxime propria est admirabilis quaedam simplicitas, quae intus in ipsis harmoniae concor-

diaeque sensum efficit, extrinsecus mores facilitate et convenientia reddit spectabiles.

Sin vero (coll. §. XXVII.) eosdem in varia conjunctione positos respicias; eorum mens atque voluntas modo agit liberrimo. Namque corporis rerumque externarum imperio non subsunt animi divina appetentes. Ab humana auctoritate in rebus divinis non pendent homines Christiani, ipsius Dei CHRISTIque spiritu insignes Deoque consecrati. Ne ad sociorum quidem judicium sententiamque ut se componant, cogi se sinunt socii, quippe inter se aequales Dei filii. Neque certis ritibus, formis, regulis aut officiorum normis constringi se et vinciri patiuntur Christiani; quippe qui, in summa gentium, generum, conditionum atque ingeniorum varietate, sint similes variis unius corporis membris, libere viventibus, spiritu uno animatis. Imo ne a Deo quidem CHRISTOve per ullam legem, singula vetantem jubentemque et imperando cohibentem atque cogentem, reguntur servorum instar aut puerorum; utpote qui adulti sint Dei filii, sponte sua sequentes mentem voluntatemque, ipsis cum patre Deo communem. Sunt igitur et mundi corporei, et humanae auctoritatis, et alieni judicii, et regularum omnium omnisque omnino legis dominatione, mentem ani-

mumque deprimente atque vinciente, soluti. Atque adeo, in media sua cum Deo, CHRISTO totoque mundo conjunctione, sunt summa cum libertate boni. Cujus ipsius verae summaeque libertatis sensus facit, ut nobilissimo animo et lubentissimo optima quaeque peragere studeant abundantissime.

Hac autem simplicitate atque libertate summâ refert haecce a Deo informata indoles expressam imaginem ipsius naturae Divinae, quae omnium maxime et est simplicissima et agit liberrima.

1. Cum jam de indolis, quae Christianis genuinis omnibus et est propria et esse debet, natura, §. XXVI, atque de ejus cum Deo, CHRISTO aliisque conjunctione, §. XXVII, viderimus; restat, ut etiam disquiramus de ejusdem conjunctione cum ipsius, in quo residet, animi facultatibus viribusque: ut appareat, quomodo hae ipsae sese gerant, dissentiantne an conspirent, num fluctuent an constantes sint, num invitae an sponte et lubenter cum Deo, CHRISTO aliisque conjunctionem suscipiant et teneant. Quod cum et ad utrumque illud, de quo §. XXVI, XXVII egimus, pertineat, et in intimis animi penetralibus sit positum, de eo jam ultimo est loco inquirendum.

Simili modo praecipiunt philosophi, ut in Logicis non modo notionum et judiciorum *quantitas*, *qualitas* et *relatio* indagetur, sed etiam *modalitas* sive conjunctio cum ipsa cognoscendi facultate.

2. Vitae Christianae simplicitatem ubi laudamus, non externae modo vitae harmoniam actionumque inter se consensum volumus, sed, ex qua haecce profluit, vitae internae consensionem simplicitatemque. De qua facultatum ipsarum viriumque animi interna concordia, harmonia et ad totius animi perfectionem conspiratione egerunt imprimis eamque rite descripserunt philosophi Socratici.

Vid. PLATO, *Rep.* IV, p. 441—443. HEMSTERHUIS, *Simon ou des facultés de l'ame*, T. II, p. 279 seq. 287 seq.

Quo magis homo vere est Christianus, eo magis in ipso et unaquaeque facultas animi secum ipsa consentit, et cunctae inter se facultates viresque conspirant. — In hominis perversi animo mox una, mox altera dominatur cupiditas, atque mens adeo nunc hoc nunc illud imprimis reputat et spectat. Homo contra vere Christianus, rite perpensis omnibus, sic secum constituit, ante omnia et in omnibus, semper unum hocce, quod vere bonum divinumque est, esse spectandum expetendumque; hoc igitur unum in animo, hoc in mente ipsius unum dominatur, coll. Matth. VI: 24 seqq. I Cor. X: 21. II Cor. VI: 14 seqq. Jac. I: 6, 8. — In homine perverso corporis rerumque externarum vis dominatur, et huic servit mens animusque. Cum ergo et vis illa admodum varians, et ordo hicce naturae contrarius sit; inter se invicem constanter discrepant animi facultates, et sibi ipse necessario reluctatur homo, nisi perversitatis magnitudine in lethalem incidat soporem, conf. §. XIV, 1. In vere Christiano homine animi oculus, ad unum id, quod divinum est, constanter conversus est, idemque hoc animus perpetuo unum expetit, mente ad

id illustratus directusque, et corpore id ipsum vitaque omni patefacit, coll. §. XXVI, 2—4. Atque ideo in illo omnia et naturae et sibi invicem sunt consentanea. Conf. Matth. VI: 22 seqq. Vitae haecce simplicitas in uno perfecta cernitur JESU CHRISTO, vid. §. XIX, 4, 16.

Conf. HESS, *Lehre, Th. u. Schicks.* II *Hälfte.* n. VIII, in fine 3. ed. p. 168 seqq. RAU, *Orat. de Jesu Christi ing.* p. 32 seqq. ULLMANN, *Sündl. Jesu*, 3. ed. p. 41 seq.

3. Libertatem Christianam laudantes, non eam modo intelligimus facultatis volendi libertatem innatam hominibus omnibus, qua impulsionum extrinsecus ortarum cupiditatumque vim cohibere eique resistere possunt, et id, quod bonum divinumque est, ideo quod id approbant, sponte possunt velle, coll. §. VIII, 11. Hoc est libertatis Christianae tantummodo naturale et necessarium fundamentum. Quam autem perversae indolis homines expetunt libertatem a dominio aliorum, ut suis ipsi cupiditatibus pro arbitrio servire queant, coll. §. XII, 9. §. XIII, 5, haec, licet externam libertatis speciem habeat, verissime dicenda servitus est, libertati Christianae e diametro opposita. Hominis probi libertas non facultatis modo sed indolis, non ficta sed vera est libertas, qua ille neque rerum externarum impulsionibus cupiditatibusve trahi se patitur, neque vero etiam a quoquam coactus, id quod bonum divinumque est revera libere et sponte vult. Hac gaudens, ubi homo Dei voluntati optimae hominumque recto regimini voluntatem suam libere subjicit, perverso etiam hominum dominio interdum corpus suum vinciri libere patitur, est, etiam in externa servitutis specie, vere liber. Haec au-

tem vitae indolisque libertas verissima perfectissimaque est in hominibus vere Christianis.

Etenim, quod ante omnia est tenendum, Christiani hominis indoles libera est a corporis rerumque corporearum dominatione. Perversus homo τῆς σαρκὸς cupiditatibus servit, eoque ipso universi mundi externi, ejusque voluptatum aeque atque dolorum tentationi succumbit, coll. §. XIII, 5. Mens contra animusque Christianus in corpus resque corporeas dominatur eoque ipso a vi perniciosa τῆς σαρκὸς liberatur, coll. §. XXVI, 4. Imo omnibus mundi tentationibus resistens, in voluptatibus mediis constantior, mediis in doloribus patientia insignior factus, Christianus homo mundi illius externi victor evadit et dominus, eum cogens sibi inservire, ut ipse excellentior vereque felicior fiat. Vid. Joh. VIII: 32—35. Rom. VI. 12 seq. VIII: 2, 37. II Tim. II: 9, 12. Jac. I: 12. Apoc. II: 10 seq. III: 21.

Conf. CICERO, *Paradox.* 5.

Deinde, quae ita a peccati vi libera est indoles Christiana, est etiam in rebus Divinis libera ab omni auctoritate humano. Ut pueris, ita hominibus, qui nondum sua ipsi mente perspicere et sponte velle, quae bona et divina sunt, valent, opus est superiorum quorumdam auctoritate: ut ita, quae intus nondum est adulta, ratio certe extrinsecus adsit, in singulis eos docens et moderans. Inde antiquitus et prophetarum et sacerdotum vis atque auctoritas. Cum vero genuini Christiani Dei spiritu agantur ipsi, sanctaque voluntate Deo consecrati Deoque grati sint; ideo omnes prophetae, sacerdotes sunt omnes, imo Dei Filio, supra prophetas omnes sacerdotesque longe elato, simillimi, ab omni auctoritate humana liberi Dei filii.

Conf. §. XXVII, 2, 3. Hinc et Apostoli Ecclesiam Christianam, neque ab aliorum, neque a sua ipsorum auctoritate pendentem, laudabant liberrimam, I Cor. III: 21—23. Gal. II: 4. I Petr. II: 9. I Joh II: 27. Apoc. I: 6. cf. Hebr. II: 15. IV: 14, 16. V: 11 seq. VII: 11, 17 seq. X: 11 seq. omninoque VIII: 10—13.

Huic vicinum, sed aliquanto excelsius etiam est, quod homines indole vere Christiani liberi sunt a judicio sententiaque sociorum sequenda. Et facile quidem fit, ut, si vel plerique consentiant, vel sapientiores aliquid novi perspiciant, vel minus intelligentes antiquis quibusdam et sacris habitis opinionibus delectentur, hae societatis partes sententiam suam unam omnibus sequendam esse ducant et praecipiant. Idque eo magis, quia Ecclesiae unitas conjunctioque facile videri potest ejusmodi consensionem omnium in omnibus requirere. At, coll. §. XXVII, 4, inter se aequales sunt Christiani fratres, nec quisquam eorum jus habet judicium suum tanquam legem scribendi, quam alii sequantur. Unus est, ad cujus mentem voluntatemque se singuli componere, cui sibi quisque rationes reddere debet, a Deo constitutus Ecclesiae princeps, JESUS CHRISTUS. Prae amore quidem alii aliorum monitis lubenter utuntur: prae amore, quantum licet, alii quae aliis, maxime imbecillioribus, duriora sunt, lubenter evitant: prae amore simul veritatem rationibus persuadere alii aliis conantur. Sed conjunctionem unitatemque Ecclesiae omnes, licet in placitis statutisve dissentientes, tenent hancce, qua cuncti una Dei CHRISTIque mente agantur, unique omnes Deo CHRISTOque placere studeant; caeterum, a nullius judicio pendentes, liberi sunt et sibi quisque constantes. Vid. Matth. XXIII: 8—11. Rom. XIV, XV.

maxime XIV: 8—12, 14 seqq. XV: 5 seq. I Cor. X, maxime 23—26, 28 seq. 33.

De hac, quam nostrâ linguâ dicimus *zelfstandigheid*, conf. VAN HEUSDE, *Brieven over hooger onderw.* p. 215, 220 seq. 224, 225 seq. 241—243. Hanc libertatem, in Synodis quoque congregati, agnoverunt Apostoli, Origenes, Reformatores primi; sed plerique doctores Christiani eandem Synodis ipsis oppresserunt. Conf. M. VAN STAVEREN, *Comment. de Concilio Apostolico cum praecipuis quatuor priorum Ecclesiae seculorum conciliis comparato* in *Annal. Acad. Groning.* a. 1836—1837.

Iidem quoque Christiani liberi sunt a certa rituum, formarum, officiorum norma et a regulis, externam agendi rationem determinantibus, omnibus. Pueris et hominibus in pueritia generis humani viventibus, utpote nondum spiritu intus agente ductis aut edoctis, congruunt et necessaria sunt ejusmodi imperfecta institutionis elementa, ritus certos externaque officia injungentia et pro singulorum diversitate diverso modo constituta. Quare et haec antiquitus gentibus generibusque hominum variis varia erant, coll. §. X, maxime Obs. 5. §. XVII, 2. Christianos, utpote ad adultam virilemque cultum progressos, per Dei Filium spiritus intus agit, coll. §. XXVI, 2—4, 8. Atque ideo iis non opus est regulis, singula praescribentibus et gentes generaque a se invicem distinguentibus; unus omnibus inest spiritus, omnes sponte docens singula, ut pro suo quisque ingenio et pro sua singuli conditione diversissimis modis unam eandemque patefaciant indolem. Vid. Joh. III: 20—24. Rom. XII: 1 seqq. I Cor. XII: 4 seqq. Gal. III: 26—28. IV: 1 seqq. V: 1. Eph. II: 14—19. Col. II: 14 seqq. III: 11. Hebr. VIII: 10—13. IX: 11 seqq. 24 seqq. X: 1, 11 seqq. I Petr. IV: 10

Imo, quod est omnium summum, ita cum Deo CHRISTOque juncti sunt germani Christiani, ut omnino lege, singula vetante et jubente atque imperando cohibente et cogente, sint liberi. Cum pueris et hominibus, animo nondum satis informatis, desit etiamnum una illa vis mentis, quae quod bonum est ipsa facile perspicit, unaque dominans voluntas, bonum divinumque unice expetens; institutori principique bono, cui utraque illa inest, necesse est, leges jussaque de singulis rebus accuratissima injungere et leges illas praemiis poenisque, jussa haec promissis minisque sancire. Itaque hoc legis jussique naturae proprium est, ut ex alterius mente alteri singula vetentur vel imperentur, atque ut legislatoris jubentisque voluntas extrinsecus cohibeat cogatve alios. Sed et propter id ipsum lex, quatenus lex est, convenit unice hominibus ingenio suo nondum perspicientibus, animo suo nondum sponte volentibus id, quod institutori principique inest bonum. Genuinis vero Christianis intus inest una illa mens unaque voluntas bona atque divina; Dei CHRISTIque eos intus agit spiritus, coll. §. XXVI, 8. Itaque lege quidem Dei CHRISTIque liberi sunt. Non autem hac liberi sunt, ut cupiditatibus suis indulgeant, quae licentia foret, obedientiâ legali longissime inferior. Sed a Deo per CHRISTUM informati, judicio ipsi suo perspiciunt, quae menti Dei in singulis congrua sunt, animo suo sponte expetunt, quae Dei voluntati sunt consentanea, atque adeo lege sunt superiores, utpote spiritu Dei CHRISTIque animati. Conf. §. XVII, 2. §. XXII, 3. §. XXIII, 5, 6. Vid. Joh. VIII: 35 seq. XV: 15. Rom. VIII: 15. I Cor. IX: 16. II Cor. VIII: 3, 17. IX: 7. Gal. III: 23—26. IV: 1 sqq. V: 18. I Tim. I: 9. conf. Jac. I: 25. II: 12.

Conf. CICERO, *Paradox.* laud. SCHLEIERMACHER, *Predigten in Bezug auf die Feijer der Uebergabe der Augsburgischen Confession*, sive 1. ed. VIe. *Samml.* n. 3, p. 44—46.

4. In hac vitae et simplicitate et libertate cernitur eximia indolis Christianae praestantia.

Et illa quidem simplicitas ipsa docet, ejusmodi indolem naturae humanae toti prorsus esse congruentem. — Efficit autem sensum quoque harmoniae concordiaeque internae, vere coelestem divinumque dicendum, Phil. IV: 7. Efficit etiam morum facilitatem atque convenientiam externe conspicuam. Simplex enim homo neque opus habet, ut diu secum deliberet, neque ut arte se tegat, neque ut animum suum ab aliis perspici metuat. Imo animi harmonia non potest non sese patefacere vitae quoque externae consensione, non uniformitate quidem, in minutis quibusque anxie ad certas regulas exacta, quae potius est *μονοτονία* dicenda, sed consensione, quae, in summa actionum pro variis opportunitatibus varietate, verissime dicenda est harmonia. Conf. II Cor. I: 17 seqq. X: 1 seqq.

Conf. XENOPHONTIS *Memor.* L. II. c. 6. §. 39 et loca HEMSTERHUSII atque RAVII ad Obs. 2 laud.

Libertate autem illa fit, ut vinculis omnibus, animum vel deprimentibus vel vincientibus, solutae facultates humanae sese quam maxime optimeque explicent. Mundi corporei dominationi serviens animus, deprimitur totus. Sed et humanae auctoritati aut alieno judicio subjecta mens libere se explicare ad summam perfectionem non potest. Est ejusmodi quid pueris incultisque necessarium; sed adultam mentem si sub jugo hocce retinere velis, vix poteris, et, si possis, vim mentis insitam retinebis atque pervertes. Certis ritibus formisque adstrictus animus, in his exter-

nis haeret. Certae officiorum normae si omnes adstringas, perit vis propria diversorum ingeniorum. Lex certa, singula injungens et extrinsecus cogens, certos ponit limites animo, qui ad infinitam Dei perfectionem tendere debet; eaque simul praemii poenaeve causa bona quaedam agentem reddit hominem, qui prae amore intus esse bonus debet. Contra mundi corporei servitute liberata mens maxime optimeque se explicat, divina expetens. Idque facit eo et magis et melius, si neque auctoritate aliena neque alieno judicio regatur, neque externis ritibus certis Deum colendum esse noverit, sed vi interna judicioque suo adigatur ad Deum *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* colendum. Quod si omnes pro suo ingenio faciant, diversissimorum ingeniorum vires omnes religionis causae inservient. Praeterea libertatis hujus sensus etiam atque conscientia excelsum reddit et generosum animum aeque, atque lubentissime omnia bona agentem et amoris liberrimo impulsu in infinitum progredi volentem, coll. §. XXIII, 5, 6.

Non certae legi adstringendos esse cunctos, sed singulos se libere pro ingenio suo peculiari explicare debere, docuerunt inter recentiores maxime HEMSTERHUIS, *Simon*, Opp. T. II, p. 225 seqq. 281 seq. 286 seq. SCHLEIERMACHER, *Grundl. einer Krit. der bish. Sittenl.* ed. 2, p. 57 seqq. VAN HEUSDE, *Init.* Vol. II, P. I, p. 67 seq. Quantum intersit legalem inter et liberam hominis indolem, graviter enuntiatur in *Bibliothek christlicher Denker, herausgeg. von* F. HERBST, I B. p. 139. »Es ist ein Wort von tiefer Bedeutung, das ZINZENDORF aussprach: Einem Menschen unter dem *Gesetz* ist *geboten* heilig zu sein, und darunter martert er sich zu Tode; einem Menschen unter der *Gnade* ist *gegeben* heilig zu sein, und darüber freut er sich in Ewigkeit."

Denique Dei naturae hoc est eximie proprium, ut sit simplicissima, coll. §. XIX, 4, et agat liberrima, §. XX, 7. Itaque illa simplicitate et libertate conjuncta homo Christianus quam proxime ad Deum accedit. Quod cum sentiat, sui haec conscientia eum magis etiam extollit redditque divinum, conf. I Joh. IV: 17 seq.

CAPUT II.

DE INDOLIS CHRISTIANAE CONSERVANDAE RATIONE.

§. XXIX.

De ratione conservandae indolis Christianae universa.

Quodsi de indolis Christianae conservatione quaeramus, facile perspicitur ad tam praestantem divinamque indolem rite perpetuoque confirmandam, opus esse, ut idoneis adjumentis rectaque omnino ratione utatur homo, utpote qui et natura sua sibi ipse solus non sufficiat, et sua in his terris conditione facile a divinis rebus avocetur, et sit constanter magis in divinis perficiendus atque a contrariis purgandus. (Conf. §. X, XIII.)

Ratio igitur haecce in eo est posita, ut Christiani singuli conjunctos sese teneant cum Deo CHRISTOque et cum divina CHRISTI Ecclesia. Quod ut agant, et Deus CHRISTUSque volunt, et vero ipsa expetit indoles Christiana. Neque frustra expetit. Adest enim in his terris divina illa proborum societas, quoscunque volentes excolens, confirmans, perficiens: adest in ipsa illa Ecclesia Deus CHRISTUSque spiritu suo variis modis perpetuo agens in mentem animumque Christianorum (§. XXI.). Quotquot igitur hujus Ecclesiae socii, indolem suam conservare volentes, mentem ad eam Dei CHRISTIque et divinae societatis vim actionemque advertunt animumque ad eam constanter applicant, reapse etiam in perpetua cum Deo, CHRISTO et sanctis communione atque consuetudine vivunt.

Atque haec consuetudo consociatioque, si rite et constanter colitur, certo efficit, ut conservetur, imo perficiatur Christianorum indoles. Affirmant hoc Divinitus JESUS Apostolique, et confirmat ipsa rei natura; fieri enim nequit, quin, si optimi cujusque et divini perpetua consuetudine lubenter fruaris, ipse constanter bonus, quin et magis magisque optimus evadas et divinus.

1. Delineata genuina Christianorum indole (§. XXVI—XXVIII), jam nobis, coll. §. XXV in Obs., videndum est de modo, quo haec in iis conservetur. Scilicet, uti antea de perversae indolis cum origine tum etiam propagatione atque conservatione vidimus, §. XII, 9 et §. XIII; ita nunc de divinae indolis, cujus originem contemplati jam sumus P. II, conservandae perficiendaeque ratione accurate quoque agendum est. Et in hac quidem *Ascetices*, ut appellari solet, parte praecipua tractanda nobis id maxime spectandum videtur, ut non aut statim aut unice de variis, quae adhibenda sint, adjumentis disquiramus, sed ut praecipue universam perpetuamque totius mentis animique rationem vivendi perspiciamus, qua indolem divinam in semet ipsis Christiani cum singuli tum in societate conjuncti confirmant. Quod si primo et praecipuo loco perspexerimus, sponte inde alter ille de variis adjumentis locus nobis clarior evadet § XXX.

De hac Ascetica praeter Moralistas, v. c. REINHARDUM, *Christl. Mor.* P. III, IV, consulendi sunt, qui speciatim Ascetici dicuntur, uti KIST, *Beoefeningsleer* et *Beknopte Beoefeningsleer.*

2. Ad conservandam atque ita simul provehendam indolem divinam homini Christiano adjumentis rectaque ratione necessario perpetuoque opus est.

Naturae, qua homo gaudet, libertas minime talis est, ut ab aliis hominibus aut a Deo suscitata sensa cogitationesque vim in eum non habere debeant; conf. §. VIII, 11. §. XVIII, 4. Eximia vero etiam Christianae indolis libertas ab adjumentis quidem, auctoritate externa impositis, serviliter adhibendis aliena est; sed eadem, utpote ex amore atque conjunctione

vim sibi semper quaerens, coll. §. XXVIII, 3, eo Christianos adigit, ut sibi ipsi sponte expetant adhibeantque rationem et adjumenta conservandae perficiendaeque virtutis.

Itaque JESUS ejusque Apostoli constanter monent hisce opus esse, v. c. Matth. XXVI: 41. Eph. VI: 18, et hortantur ne iis nos carere posse existimemus, Rom. XI: 20. I Cor. X: 12, et propter id ipsum ejusmodi rationem adjumentaque commendant.

Rei autem natura docet, homines, imo naturas omnes Deo inferiores, per se sibi non sufficere, sed ut in physicis ita in spiritualibus perpetuo pendere a Deo. Uti corpus vires quidem habet, sed tamen indiget, tum etiam quando jam adolevit, mundo, vires hasce constanter sustentante atque corroborante; ita etiam animo, vires bonas Divinitus jam nacto, tum quoque quando ad insignem perfectionem jam adolevit, necessarium est, ut et Deus mundum praebeat spiritualem, vires illas perpetuo alentem atque confirmantem, et ut hisce opportunitatibus donisque Divinis ipse perpetuo animus utatur. Itaque perfectissimus quoque Dei Filius Patris et illustratione et vi ut his in terris utebatur, Joh. V: 19, ita etiamnum in coelis utitur, Rom. VIII: 34. Et vero rerum notitia in mente solet offuscari sensimque evanescere et affectionum amorumque sensus in animo languescere tandemque frigere, nisi aut perpetua experientia aut certe recordatione alatur. Itaque et Divinae veritatis adspectus et Divini amoris sensus constanter alendus atque confirmandus est apud omnes, non terrae modo sed et coeli incolas, Deum cognoscentes atque amantes.

In hominibus hac in terra viventibus id eo magis est necessarium, quia corpore induti sunt, facile ad

perversitatem pelliciente, coll. §. XIII, 2 sqq.; quae τῆς σαρκὸς vis in Christianis quidem vi τοῦ πνεύματος vinci potest, neque tamen unquam tollitur, §. XXVI, 4. §. XXVII, 5. Unde constans τῆς σαρκὸς contra τὸ πνεῦμα in ipso pugna oritur, vid. Matth. XXVI: 41. Gal. V: 16 seq. Quae pugna eo intensior est et periculi plenior, quia cum corpore junctus totus extra eum mundus infinitas ipsi tentationes affert, cum ad perversitatem felicitatis spe pellicientes, tum a pietate infelicitatis metu deterrentes, §. XIII, 5. Hae tentationes per hominum perversorum vituperia, irrisiones, condemnationes, vexationes, uti CHRISTO olim, ita Christianis propter ipsam fidem suam probitatemque plures etiam objiciuntur et graviores, Joh. XV: 18. Rom. VIII: 35 seq. Itaque conjunctis viribus et quasi copiis maxime formidandis mundus spiritum in illis divinum oppugnat et invadit, Matth. XIII: 3 seqq. Joh. XIV: 30. Eph. VI: 11 seqq. I Petr. V: 8. Jac. IV: 7. Hoc ita sese habeat, etiamsi homo Christianus vel ab omni perversitate plane alienus, ad omnem virtutem prorsus conversus sit. Ita enim constanter et τῆς σαρκὸς et τοῦ κόσμου vim repugnantem debellandam vincendamque expertus est ipse sanctus homo JESUS CHRISTUS, coll. §. XIII, 2, 3, 4.

Multo autem et major est et periculosior ista vis hominibus Christianis, quippe pristina perversitate nondum plane liberis necdum in nova sua indole perfectis. Etenim ad pristinos jam errores mens, ad inveteratas cupiditates animus facilius relabitur. Et si quid ex pristina ἁμαρτίᾳ remanserit; duplici opus est vi atque cura, et ut hoc agnoscat expellatque spiritus, et ut ne veteri consuetudine denuo subigi se patiatur. Quare omnibus, et minus provectis Christianis

quam maxime necesse est, ut summo cum studio rectam rationem idoneaque adjumenta adhibeant, quibus *τὸ πνεῦμα* in ipsis constanter alatur et corroboretur ac vim *τῆς σαρκὸς* agnoscat atque devincat, I Cor. III: 1—3. Gal. IV: 9. Col. III: 7, 8. Conf. Act. VIII: 18 coll. 9 et Gal. II: 11 seqq.

3. Ratio illa universa in hoc est posita, ut Christiani conjunctos sese teneant cum JESU CHRISTO, cum Deo et cum divina Ecclesiae Christianae societate.

Ita ipse Dei Filius, ad indolem vere Christianam conservandam provehendamque, commendabat conjunctionem suorum cum ipso et per ipsum cum Deo, Joh. XIV: 20 coll. 6, 21—23. XV: 1—10. XVII: 21, 26, et suorum etiam secum invicem conjunctionem eo tendere significabat, XIII: 34 coll. 33. XV: 17 coll. 16, 18 seq. PAULUS cum CHRISTO Deoque consociationem per *πίςιν*, Eph. III: 17, *ἀγάπην*, s. 18, et *ἐλπίδα*, Col. I: 23, commendabat, atque his tanquam armis tutam fore indolem Christianam docebat, Eph. VI: 16. I Thess. V: 8, et universe ad conjunctionem sociorum Ecclesiae inter se invicem maximopere hortabatur, Rom. XV: 5 seq. Eph. IV: 3, 16. Col. II: 19, omninoque I Cor. XII: 21 seqq. PETRI dictum simile videas I Petr. I: 5. JOHANNES imprimis Christianos dicebat communionem habere cum Deo, I Joh. I: 6, manere junctos cum CHRISTO, II: 6, et secum invicem, II: 19. IV: 6. Et si illi curarent ut in ipsis Euangelium maneret, docebat conjunctionem illam in iis mansuram esse, II: 24, 28; atque sic cum ipsis conjunctum quoque mansurum esse Deum, IV: 12, 13. Fieri hoc significabat per *πίςιν* et *ἀγάπην*, IV: 12. V: 10—13. Atque hic adeo cuncta sic complexus est, ut Euangelii ope excita-

14

tam confirmatamque vellet *κοινωνίαν μετ᾽ ἀλλήλων*, *κοινωνίαν δὲ οὖσαν μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ*, I: 3.

Deus ipse per saeculorum decursum in Ecclesiae historia quoque patefecit, hac communione indolem Christianam servari. Jam statim in prima id apparet Ecclesia Christiana luculentissime, Act. II: 41—47. IV: 32 seq. Idemque universa ad hunc usque diem Ecclesiae historia commonstrat. Ubicunque enim terrarum videmus Christianos non modo semper in societate communiter conjunctos vivere, sed etiam statis temporibus sese congregantes, precibus hymnisque ad Deum et CHRISTUM animum erigentes, divinoque CHRISTI Euangelio se invicem docentes monentesque. Et quo melior puriorque haec sacra communio et hic cultus communis sacer fuit, eo etiam magis identidem videmus mentis illustratione aeque atque animi pietate purum vigentemque in Ecclesia fuisse Divinum CHRISTI spiritum.

Quod ita Dei Filius ipse docuit, Deusque constanter patefacit, id ipsum quoque confirmat spiritus, qui Christianis ipsis inest, sanctus. Etenim sic comparata est universa hominis natura, ut appetat homo, bonus imprimis, sui quam simillimos; *ὅμοιον* enim *ὁμοίῳ φίλον* et nihil appetentius est similium sui quam natura humana; atque si qua virtutis significatio in aliquo elucet, ad hanc se similis animus applicat et adjungit, non modo ut delectetur eo, cum eoque ipse aliquid de suo communicet, sed etiam ut mutuo ab illo accipiat quod bonum est, et in virtute ipse confirmetur atque perficiatur. Itaque cum Christiani solos se sibi non sufficere sentiant, consuetudinem et communionem cum Deo CHRISTOque et cum divina CHRISTI Ecclesia sponte sua expetunt, utpote in quibus

solis divinum, qui ipsis inest, spiritum vigentem videant, quorumque adeo consuetudine unice indolem suam conservari et perfici posse sentiant. Quod quam verum sit, docuit omnium temporum Ecclesiae historia, cum, sine speciali etiam Dei CHRISTIve jussu, Christiani, cogente eos ad id intus spiritu suo, semper congregationes sacras cultumque sacrum communem expetiverint, eo etiam consilio ut suam pietatem confirmarent Ecclesiaeque efficerent *οἰκοδομήν*.

Ad id, quod de natura humana diximus, conf. CICERO, *Laelio*, c. 14.

4. Jam vero accuratius disquirendum est, qualis sit illa Christianorum cum Deo CHRISToque et cum sociis consuetudo, sive vitae communio. Mystici enim nonnulli in animum plane patientem et quiescentem existimarunt a Deo lucem amorisque sensum infundi. Sed haec physica foret vis, naturae hominis morali atque liberae contraria, coll. §. XVIII, 3, 4, eademque ne consuetudo quidem vere dicenda foret, in qua semper mutua est actio ejus, qui consuetudinem cum aliquo habet, et hujus, quocum consuescit. Itaque JESUS etiam ejusque Apostoli monent semper, ut Christiani, prouti cum sociis, ita cum Deo CHRISToque ipsi conjunctos se teneant sua fide, spe sua, amore suo, coll. Obs. 3. Alii contra, ne in Mysticismum illum delaberentur metuentes, omnem illam consuetudinem paene unice in eo posuerunt, quod Christiani ipsi de Deo cogitent, meditentur, eumque adorent et precibus adeant, aut quod mente animoque cum Dei voluntate consentiant. Sed et haec sive effusio animi sive consensio per se sola nondum vera est vitae communio consuetudoque, ad quam mutua etiam communicatio actioque

ut sociorum ita Dei CHRISTIque requiritur necessario. Quare et JESUS ejusque Apostoli semper docebant, si conjunctos se Christiani cum Deo CHRISTOque tenerent, vicissim quoque CHRISTUM Deumque eos experturos esse secum conjunctissimos, coll. Obs. 3. conf. Jac. IV: 8. Itaque ad hanc vere sic dictam consuetudinem requiritur, *et* ut a sua parte Christiani animum dirigant, convertant, applicent adjungantque Deo et CHRISTO aeque atque sociis suis, *et* ut Deus CHRISTUSque atque socii a sua parte agant in mentem animumque Christianorum, *et* ut hi ita, quippe mentem animumque illuc directum tenentes, vim illam Dei CHRISTIque et sociorum illustrantem perficientemque reapse experiantur.

De Mysticis illis vid. REINHARD, §. 475. T. V. p. 211 seqq. Contraria illa ratione rem proposuerunt ipsi etiam religiosissimi VAN DER ROEST, *Leerredenen over de Genoegens van den godsdienst,* Serm. 10. et SCHLEIERMACHER, *Predigten,* I[e]. *Samml.* Serm. 11. Quid sit vitae communio, recte expressit RÜTENICK, *Sittenlehre,* §. 13, p. 451 seq.

Quae una facile oboriatur difficultas, ut talis cum Deo CHRISTOque aeque atque cum sociis consuetudo rite cogitari queat, haec penitus evanescit, dummodo satis magnifice de Dei CHRISTIque amore gratuito existimemus. Quod nempe Christianis statuere non licet, meditationibus precibusque suis commotum iri Deum CHRISTUMque, ut in ipsos agant, id etiam, pro insigni Dei CHRISTIque erga homines benevolentia, minime opus est. Adest semperque in mentes animosque sponte sua agit Deus; atque adeo, dummodo homo ad Dei praesentiam actionemque animadvertat eique animum applicet, certo etiam vim effectumque semper propinqui semperque in ipsum

agentis Dei experietur. Vid. omnino Act. XVII: 27. coll. 24, 28, et Rom. I: 19—21.

Christianis igitur omnia praesto sunt, quae ad istiusmodi consuetudinem requiruntur.

Adest enim iis in eosque agit Deus CHRISTUSque, adest etiam agitque in eos societas Christiana, vel ante quam ad id ipsi animadvertunt idve expetunt; coll. §. XXI. Et haec quidem societas Christiana adest in singulorumque mentes et animos agit per educationem, institutionem, amicitiam consuetudinemque omnem; atque sic docendo, exempla praebendo, amoris documenta exhibendo, in conventum etiam sacrum congregando, in nos agit vel nondum id cogitantes aut expetentes, aut certe divina ipsius consilia nondum agnoscentes cordive habentes. Adest pariter indesinenterque in Christianos agit Deus CHRISTUSque, cum per rerum universarum naturam, tum per sortis singulorum societatisque moderationem, tum per hanc ipsam societatis vim actionemque omnem; imo spiritus etiam, qui intus nos agit, divini, utpote *παρακλήτου* interni, monitis et incitationibus in nobis adest agitque Deus, non raro etiam ante, quam id ipsi reputamus expetimusve aut rite aestimamus cordique habemus.

Ipsi vero etiam Christiani ut ad hanc Dei, CHRISTI Ecclesiaeque Christianae vim actionemque mentem advertant, animumque ei aperiant et applicent, necessarium sane est; sed et in iis, indolem suam conservare volentibus, revera id locum habet, coll. Obs. 3. Itaque, mente quidem, desinunt Deum CHRISTUMque et divinam Christianorum societatem negligere, imo assuescunt Dei, CHRISTI et societatis hujus actioni constanter animadvertendae in omnibusque cernendae. In rerum natura Deum cernunt sese pate-

facientem, Joh. V: 17. coll. Matth. V: 45. Rom. I: 20; in sua aliorumque sorte moderantem omnia Patrem vident, Rom. VIII: 28, 32; in negotio suo et bene quid agendi opportunitate Deum CHRISTUMque, hoc ipsis munus largientes, conspiciunt, Matth. XXV: 14 seqq. I Cor. XII: 5, 27 seqq.; in corporis animique viribus Dei dona, Deo CHRISTOque consecranda, vident, I Cor. VI: 19 seq.; in genuinis Christianis contemplantur Dei filios, Divina indole praeditos, I Joh. IV: 17, 20. V: 1; in omnibus, quae vere dicunt beneque agunt hi societatis Christianae socii, dicta factaque spiritus Divini audiunt et vident, I Cor. XII: 11 seqq.; atque ita in omnibus, quorum sibi ipsi conscii sunt, vere cogitatis beneque sensis et sanctis voluntatibus Dei CHRISTIque spiritum agnoscunt, Eph. IV: 30, et quicquid hoc impellente spiritu ipsi aut loquuntur aut agunt, id omne profitentur Deum CHRISTUMque per ipsos agere et loqui, I Cor. XV: 10. II Cor. V: 20. Neque vident tantum et animadvertunt in his omnibus Deum CHRISTUMque et divinae societatis vim, sed et agnoscunt et reputant et persuasum sibi habent, hisce Divinam sapientiam Divinumque inesse amorem, suam omniumque illustrationem, perfectionem summamque salutem spectantem, Act. XVII: 27 coll. 24 seqq. Rom. VIII: 28. I Cor. XII: 7, 20 seqq. Eph. IV: 30. Atque adeo animo quoque hujus Divini spiritus actioni resistere, aut eam non expetere, desinunt. Imo magis magisque perpetuo laeti eam sentiunt; venerantur et grato animo adorant in ea Deum CHRISTUMque, et spiritum illum lubenter consulunt et fovent, I Cor. XV: 10. I Tim. I: 12. Eph. IV: 30, et volunt lubentissime Divinae mentis voluntatisque vim et consilia magis magisque et per-

sentire et perspicere, ut sic indolem suam Christianam conservent perficiantque et penitus Divino agantur spiritu, Rom. XII: 2.

Conf. de hac consuetudinis parte V. D. ROEST et SCHLEIERMACHER l. l. item HERINGA, *Leerredenen ter aanprijzing van Christelijke deugden*, Serm. 1. maxime p. 6 seq. 11 seq. 28.

Atque ita verissima eaque constans adest Christiani hominis cum Deo CHRISTOque et cum divina CHRISTI societate communio et consuetudo. Ille mente sibi conscius est animoque sentit, Deum CHRISTUMque et socios Christianos suam mentem voluntatemque cum ipso communicare, ipsum excitare, illustrare, movere, flectere. Idem vicissim suae mentis cogitata, sui animi sensa voluntatesque cum sociis communicat; neque cum sociis tantum, sed aeque communicat mentem consecratque animum Deo CHRISTOque, utpote aeque ipsi praesentibus, imo magis etiam constanter planeque praesentibus: ut et tacitus ad hos mentem animumque dirigat, et ad praesentes loquatur, et coram his praesentibus agat perpetuoque vivat. Et haecce communio mutuaque consuetudo constans est. Namque dum ipse ita pergit animum mentemque ad Deum CHRISTUMque et ad Christianorum actionem dirigere, semper etiam denuo et magis magisque sentit eos sibi praesentes, et, quo magis ejus capax fit, eo constanter magis in ipsum salutari vi agentes. Quo autem laetius id experitur, eo lubentius ipse pergit in conspectu societatis illius et ipsius Dei CHRISTIque perpetuo vivere. Quae sane perpetua est consuetudo et communio sanctorum secum invicem et cum Deo CHRISTOque, ut cum amicis optimis. Vid. Joh. XIV: 23. XVI: 32. I Cor. VIII: 3.

II Cor. VI: 16. Apoc. III: 20. conf. Hebr. XI: 27. I Cor. XIII : 12.

Conf. etiam Gen. V: 24. VI: 9. Exod. XXXII: 11. Ps. LXXIII: 23 sqq. Prov. III: 6.

5. Haec cum Deo, CHRISTO sociisque consuetudo si rite constanterque colitur, certo efficit indolis Christianae conservationem sive, ut dici solet, perseverantiam sanctorum.

Non simpliciter affirmare licet, eos, qui indole Christiana gaudeant, certo constantes mansuros esse. Imo, si recta ejus conservandae ratione non utantur, constantes manere nequeunt. Vid. Obs. 2. conf. Hebr. VI. 4—10. X: 26. II Petr. II: 20—22. Neque vero etiam simpliciter negandum, per ipsam indolis illius naturam sperari posse, fore ut, qui ea gaudeat, ipsam quoque sit conservaturus; imo hic indolis illius impetu ipso adigitur, ut recta illius conservandae ratione utatur. Vid. Obs. 3 fin. conf. Phil. I: 6, 7. Hebr. VI: 9 seq. item Joh. X: 28 seq. I Cor. I: 8. X: 13. I Joh. V: 16—21. Atque adeo quo magis progrediuntur perficiunturque Christiani, eo magis confidenter statuunt, perpetuo se fidos esse mansuros. Conf. Rom. VIII: 35. II Tim. IV: 6—8. II Petr. I: 10 seq. Itaque tuto hoc affirmandum: quodsi Christiani, indolis suae impulsioni non resistentes sed obtemperantes, recta ejus conservandae ratione rite perpetuoque utantur, hoc ipso eos certo constantes esse futuros. Imo, quo quis magis et omnino rite vereque et plane constanter perpetuoque in consuetudine cum Deo, CHRISTO et societate Christiana vivit, eo magis ad illam accedet excellentiam, ut ne deflectatur quidem unquam, constanter divinae indoli convenienter vivat perpe-

tuoque magis perficiatur; quod ipsius JESU CHRISTI exemplo illustratur, conf. Joh. XIV: 10. XVII: 21.

Hoc igitur verum esse, Deus ipse patefecit in Filii sui exemplo; idque patefacit similiter in optimorum quorumque Christianorum historia, conf. Phil. IV: 13. JESUSque adeo et ejus Apostoli ex sua ipsi experientia significarunt, et in singulis rebus, conf. Matth. XXVI: 41 coll. 38—46, et in universa vita eum fore illius consuetudinis effectum salutarem, Joh. XV: 4. Eph. VI: 13. I Joh. II: 28; et vero diserte etiam affirmarunt, sic certo conservatum, imo perfectum iri divinum in Christianis spiritum, Joh. X: 27—29. XV: 5. XVII: 23. I Petr. I: 15. Conf. I Joh. III: 2.

Quod de optimorum Christianorum historia dixi, patet v. c. in CHRYSOSTOMO, AUGUSTINO, BERNHARDO, LUTHERO, FRANKIO, WILBERFORCIO, quippe qui omnes confitentur, se, quae praestiterunt, ideo praestare potuisse, quia constanti cum Deo CHRISTOque communione ac commercio familiari usi sunt. Caeterum conf. HINLOPEN, *Overdenkingen*, p. 133 seqq. et v. D. ROEST, SCHLEIERMACHER et HERINGA, ll. ll.

Confirmat id ipsum rei natura consuetudinisque tam sanctae vis naturalis. Etenim quo magis diutiusque cum bono aliquo consuescimus lubenterque versamur, eo et magis illi nos confidimus, et plura ab eo speramus, et impensius eum amamus. Atque sic intus conservantur perficiunturque vires et mentis et animi. Mens enim bonum illum melius intelligit ipsâque experientiâ perspicit. Et animus acutius penitiusque ejus bonitatem persentit; idemque cum prae pudore et ambitione nihil turpiter, nihil non egregie coram illo agere vult, tum fiducia corroboratur et amore incitatur, ut ipsi fiat quam simillimus. Simul

autem istiusmodi cum bonis, cum Deo imprimis CHRISTOque et cum genuinis Christianis consuetudo vim impedimentorum, ex pravorum societate oriuntium, aut tollit aut innocuam reddit, et tentationes, ex universo mundo adspectabili ortas, in opportunitates exercitandae virtutis convertit. Ut verissime dicendum sit, esse *ἀδύνατον, ὅτῳ τις ὁμιλεῖ ἀγάμενος, μὴ μιμεῖσθαι ἐκεῖνο· Θείῳ δὴ καὶ κοσμίῳ ὅ γε ὁμιλῶν, κόσμιόστε καὶ θεῖος, ἐς τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, γίγνεται.* Conf. §. XXII, 6.

Haec PLATONIS sunt verba, *Rep.* L. VI, p. 500.

§. XXX.

De adjumentis variis, quibus adhibitis homo ad universam illam rationem tenendam optime componitur.

Cum autem hujusmodi mentium animorumque communio perpetua hominibus, in terreno corpore viventibus, difficilior saepe accidat, ad hancce difficultatem sublevandam prodesse Christiano homini possunt adjumenta varia, varias illius consuetudinis partes spectantia.

Et res quidem ipsae, quibus hunc in finem uti licet, partim Christianis sunt cum aliis hominibus communes; veluti rerum universarum hominisque natura, utpote Dei patefactionem continens; item sortis humanae vicis-

situdines, utpote Divinae providentiae speculum exhibentes. Partim eae Christianis propriae sunt; uti Euangelium utpote perfectissimam Dei patefactionem exhibens; nuntiorum Euangelii reliquorumque Christianorum monita exemplaque sancta, et divini spiritus intus monentis et incitantis conscientia, utpote quae omnia Dei CHRISTIque mentem et voluntatem exhibeant aut explicent; Baptismus fideique Christianae professio, quippe qua se quis publice significet cum Deo, CHRISTO et societate Christiana semet conjungere; sacrae Coenae celebratio, utpote qua hanc suam cum Deo, CHRISTO et secum invicem conjunctionem solemniter renovent omnes.

Sed hae res per se prodesse nihil possunt et ne adjumenta quidem sunt dicenda, nisi mens animusque sese exerceat in iis rite adhibendis. Itaque exerceat sese homo Christianus cum in illarum rerum singularum diligenti observatione, tum in earumdem recta meditatione. Exerceat sese identidem quoque in mente sua suoque animo communicando, cum sociis quidem per amicos sermones, cum Deo autem CHRISTOque per preces, gratiarum actiones et quasvis sanctas animi effusiones. Omnium vero maxime juncti in conventibus

sacris socii exerceant sanctam secum invicem et cum Deo CHRISTOque communionem; quae communio, uti effectus est spiritûs vere Christiani, sic eundem hunc spiritum adjuvat et alit.

Uti autem hisce omnibus exercitationibus suus demum constabit effectus, si et mens vere atque cum ratione egerit et animus sincere atque lubenter iis confirmari perficique voluerit; ita etiam consilium horum adjumentorum adhibendorum in hoc positum esse debet, ut iis magis magisque componamur ad perpetuam illam mentis et animi cum Deo, CHRISTO sanctisque consuetudinem, qua optime indoles Christiana conservatur et consummatur. (§. XXIX.)

1. Quodsi homo in perpetua illa et non interrupta consuetudine cum Deo, CHRISTO sanctisque vivat, non opus sane ipsi erit adjumentis variis, quibus interdum modo et in nonnullis consulto ad id sese segreget, ut istiusmodi consuetudinem exerceat. Sed difficile jam est, in parentum, amicorum et quorumvis Christianorum vere dictis et bene factis semper observare spiritum, qui in societate Christiana viget, sanctum: et plus excelsae mentis animique in *πνευματικοῖς* versatissimi ad id requiritur, quam in plerisque, maxime in recentibus aut junioribus, Christianis exspectari potest. Et si id jam difficile est semper observare in sociis Christianis, quos videmus; difficilius etiam est hominibus nobis, quamdiu in terreno

corpore versamur, ut in omnibus semper Dei CHRISTIque mentem, voluntatem ac vim cernamus et persentiamus, quasi *τὸν ἀόρατον ὁρῶντες*, coll. Hebr. XI: 27. I Joh. IV: 20. Hinc igitur imbecillitati humanae occurritur, si varia adhibentur pietatis adjumenta, quibus consulto identidem istiusmodi communionem exerceant Christiani. — Haec autem adjumenta et qualia sint, et quomodo sint adhibenda, et quare pietati provehendae prosint, sponte intelligimus, dummodo teneamus, esse ea omnia debere adminicula, partes varias illius universae perpetuaeque consuetudinis, de qua §. XXIX vidimus, faciliores reddentia. — Et sunt quidem in hisce nonnulla, quae non pietatis adjumenta modo, sed aeque pii animi effecta fructusque sunt naturales, minime adeo aut vilipendendi aut abjiciendi, etiamsi vel quis eorum vi adjutrice carere queat. Sed hoc quidem loco de cunctis agendum eatenus unice, quatenus adjumenta sunt dicenda.

2. Et res quidem, quae adjumenta pietatis exhibere possunt, a mentis animique exercitatione in iis rebus adhibendis distinguendae sunt, licet minime separandae. Illae enim res hanc exercitationem necessario requirunt, per hancce demum illae vere pietatem adjuvabunt. — Quaenam autem res adjumenta exhibere queant, facile inveniemus, dummodo, coll. §. XXI, animadvertamus, per quasnam res Deus CHRISTUSque et spiritus societatis Christianae divinus agat in singulorum mentem animumque.

Illarum itaque rerum nonnullae etiam extra societatem Christianam adesse reperiuntur. Sic adjumentum pietatis praebet hominibus, ipsam contemplantibus, rerum universarum natura, imprimis autem natura humana. Haec enim patefactionem continet Dei, coll. §. XIX,

2, 8, juvantem sane eos, qui velint in omnibus Deum cernere et persentiscere et coram Deo praesente semper vivere. Conf. Matth. VII: 9 seqq. Luc. XII: 24, 27. XV: 12. Joh. V: 17. Act. XVII: 24—28. Similiter sortis cum singulorum, tum gentium generisque humani vicissitudines adjumento esse possunt, quippe speculum providentiae Divinae exhibentes iis, qui in omnibus moderantem cernere Deum cupiunt. Vid. §. XIX, l. l. Conf. Matth. XXIV: 38. Luc. XVII: 32. Rom. I: 18 seqq. Gal. IV: 1—3. item I Cor. I: 26. Eph. III: 10.

In rerum natura maxime ad naturam humanam attendendum esse, rite indicavit SCHLEIERMACHER, *Predigten*, I[e]. *Samml.* p. 286. De historia conf. BORGER, *Orat. de historiae doctore, providentiae Div. administro*, in Ann. Acad. Lugd. Bat. 1817—1818.

Earundem rerum aliae propriae privaeque sunt Ecclesiae Christianae. Sic Euangelium, sive de JESU CHRISTO, Dei Filio, hominum Conservatore, nuntius, adjumentum praebere potest longe omnium excellentissimum, quippe quod naturae consiliorumque et CHRISTI et ipsius Dei speculum sit splendidissimum, aptissimumque adeo ad alendam illius Patris Conservatorisque, quibuscum consuetudinem colere studemus, cognitionem. Vid. §. XIX, 4, 6. §. XXI, 3. Conf. Jac. I: 19—25. Similiter vero etiam prodesse possunt Divini spiritus monita et incitamenta, per illius Euangelii nuntios ad nos venientia, per quae mentem voluntatemque Dei et CHRISTI ut et Christianorum sapientissimorum constanter cognoscamus et persentiamus, faciliusque adeo communionem cum iis habeamus. Vid. §. XXI, 5. Neque dissimilia sunt

ejusdem spiritus Divini incitamenta monitaque, in universorum Christianorum dictis factisque sanctis posita, utpote quos habeamus Dei CHRISTIque, ἀοράτων, interpretes ὁρατοὺς in domo ipsa et in sodalitiis et in omni Ecclesia; simulque ita ipsos hujus Ecclesiae socios pernoscimus impensiusque amamus. Vid. §. XXI, l. l. Conf. Matth. V: 16. I Cor. XI: 1. Col. III: 16 seq. item I Cor. XII: 7, 13 seqq. Et vere non minus juvare potest Divini spiritus, intus in nobismet ipsis monentis en incitantis, conscientia, quae ut pernoctat nobiscum et peregrinatur et rusticatur, ita est veluti aliquis in nobis παράκλητος nunquam nos deserens, Dei CHRISTIque, semper praesentis, interpres perpetuus. Conf. Joh. XIV: 16 seq. 26. XVI: 13. Rom. IX: 1. II Cor. XI: 10 seq. XII: 19. XIII: 5. I Thess. II: 4 seqq. I Joh. III: 19—21. VI: 17.

Uti horum jam nonnulla ad consuetudinem etiam cum sociis Christianis alendam prodesse possunt, ita universam cum Deo, CHRISTO Ecclesiaque Christiana communionem juvant imprimis cum Baptismus tum sacra Coena. Baptismus enim, cum fidei Christianae professione junctus, vel, si pueris administratus est, deinde hac professione confirmatus, est solemnis actus, quo et Deus CHRISTUSque atque horum spiritu animata Ecclesia nos ut divinae societatis socios suscipit, et nos ipsi profitemur, velle nos in communione cum Patre atque Conservatore sanctaque hujus societate vivere: quae sane res incitare quam maxime potest, ad hanc communionem vere confidenterque colendam. Conf. Matth. XXVIII: 19, 20. Rom. VI: 3 sqq. I Cor. XII: 13. I Petr. III: 21. Eph. IV: 3, 5. Col. II: 12, 20. Hebr. X: 22 seq. Sacra Coena autem publice significamus, nos reno-

vare nobiscum invicem communionem per renovatam communem cum uno omnium Conservatore conjunctionem: qui profecto solemnis actus ad augendam fidem, spem amoremque imprimis est idoneus. Conf. Luc. XXII: 19, 20 coll. Joh. XIII: 34. I Cor. X: 16 seqq. XI: 26. XII: 13.

3. Quodsi hasce res cunctas constanter quis rite adhibeat, eo ipso dicendus sit perpetuam illam, de qua §. XXIX egimus, colere cum Deo, CHRISTO Ecclesiaque Christiana consuetudinem. Sed, cum integra haec perpetuaque consuetudo difficilior sit, coll. Obs. 1, peculiares quaedam et identidem repetitae exercitationes ejus consulto instituendae sunt, ut res illae, quae adjumentum possunt praebere, revera prosint pietatemque reapse adjuvent. Hae ergo exercitationes aliae magis ad illam ejus consuetudinis partem pertinent, qua Dei CHRISTIque et sociorum vim mentemque nobiscum communicatam experimur, aliae magis ad partem illam, qua nos mentem animumque cum Deo, CHRISTO et sociis communicamus ipsi, aliae denique ad partem utramque se extendunt.

Et ad priorem quidem partem illam pertinet, ut homo Christianus identidem consulto se exerceat in observatione illarum rerum singularum, quae, coll. Obs. 2, pietatem juvare possunt. Itaque attente cogitet, Deum esse, qui in rerum natura cernatur, omnium sortem omnem moderetur; Deum CHRISTUMque esse, qui in Euangelio se patefaciant, per ejus nuntios reliquosque Christianos, vere dicentes sancteque agentes, loquantur et agant, et per intus vigentem spiritum, ut *παράκλητον*, moneant et incitent; se autem sociosque reliquos omnes per Baptismum sacramque Coenam ad sanctam communionem sese obstrinxisse. Sed et diligenter animadvertat ad sin-

gula Dei CHRISTIque, praesentis et cuncta moderantis, et ad societatis Christianae, in ipsum agentis, signa, et secum reputet spiritus Divini monita singula. Observationi autem huic accedat recta meditatio, ne quis perverse sibi fingat Divina consilia, sed, Euangelii ope, vera Dei, CHRISTI societatisque Christianae consilia, ex sapienti sanctoque amore profluentia, sibi proponat. Conf. Rom. VIII: 28 sqq. II Tim. IV: 15, 16. Hujusmodi exercitatio uti pars est perpetuae consuetudinis illius, ita ad hanc constantem sanctorum communionem sensim facilius colendam adducit.

Ad alteram illius communionis partem pertinet, ut Christianus homo identidem se exerceat in mente sua suoque animo cum sociis Christianis communicando, cum in privatis conventibus amicorum, tum in domestica maxime consuetudine. Communicandis persuasionibus sensisque sensa ipsa persuasionesque clariores fiunt. Coram aestimatis hominibus etiam ipsas mentis nostrae sententias animique affectiones et cupiditates explorabimus. Sensis voluntatibusque sanctis coram iis patefactis, cavebimus magis, ne his contraria aut dicamus deinceps aut agamus. Et vero imprimis animum coram aliis aperiundo ex iisque sciscitando magis et expetentes et capaces evadimus lucis majoris majorisque ardoris, quem optimi quique socii, pro divino quo animati sunt spiritu, sane lubentissime nobiscum communicabunt. Sic per ipsos igitur confirmabimur, illustrabimur, perficiemur. Conf. Jac. V: 16.

Conf. SCHLEIERMACHER, in sermone de hoc Jac. loco, in *Predigten in Bezug auf die Feyer der Ueberg. der Ausb. Confession;* HEMSTERHUIS, *Lettre sur les désirs*, Opp. T. I, p. 77 seq. *Aristée*, T. II, p. 72 etiam in ann.

Et vero exerceat se idem non minus in mente sua suoque animo communicando cum Deo CHRISTOque. Dei enim adoratio CHRISTIque cultus, sive precibus, sive gratiarum actionibus, sive effusionibus aut per cantum aut per suspiria, sive etiam promissis contineatur, exercitium est mentis animique cum Deo communicandi. In iis enim non tam voces et verba spectanda sunt, sed sincerae mentis sententiae, animi vera sensa sanctaeque voluntates, coll. Matth. VI: 7. Quae omnia Deo CHRISTOque proponimus, ut praesentibus et omnisciis. Verbis autem proponimus, non Dei causa, coll. Matth. VI: 8, sed quia ipsi persuasiones sensaque et consilia nostra non aliter, quam verbis, comprehendere possumus. Itaque ut quaerendo, profitendo, animum effundendo cum sociis amicis nos communicamus, ita precibus, animi admirantis, grati aut commoti effusionibus, voluntatisque bonae professionibus mentem animumque communicamus cum Deo CHRISTOque, tanquam amicis praesentibus longeque optimis. — Atque hoc pietatis adjumentum sane est excellentissimum. Non quasi nostris effatis demum Deo innotescat quid nobis opus sit, coll. Matth. l. l. s. 8., neque quasi precibus laudationibusve nostris commoveatur Deus, ut votis nostris bonis satisfaciat, coll. l. l. s. 7, 8. Luc. XV: 20. Imo longe aliud, idque indivulsum et per ipsam rei naturam necessarium, est vinculum preces inter et pietatis conservationem perfectionemque: simile illud vinculo, quod animi cum sociis communicationem inter et pietatis provectionem intercedit; sed idem vi sua tanto excellentius, quanto sociis bonis praestant Deus CHRISTUSque. Communicatione jam fiunt sensa nostra clariora eoque ipso intensiora. Ipsa vero, cujus sic plene conscii nobis fimus, Dei CHRISTIque, omniscii, sancti et veneratione amoreque dig-

nissimi, praesentia vim habet plane divinam, ut nosmet ipsos exploremus, ut confirmetur in gratuito Dei CHRISTIque amore reposita fides, ut toto nos animo ipsis consecremus, ut coram his potentissimis amicis fiduciam vimque animi corroborari sentiamus, utque caveamus, ne verbis factisve aut etiam animi sensibus cupiditatibusve adversemur deinceps iis, quae coram ipsis fuerimus professi. — Praeterea vero etiam, si ita vere a Deo expetimus quod bonum est sanctumque, et Deo grati sumus Deoque nos consecramus; tum demum vere sumus et cupidi et capaces majoris et lucis et ardoris sanctitatisque, quam nobis impertiatur per Filium suum Deus. Impertietur autem certissime Pater ille, qui praesens nobis semper adest, ut in mentem animumque nostrum agat, semperque prae infinito amore est pronus ad omnia, quorum capaces sumus, nobis largienda bona, coll. §. XXIX, 4. Atque adeo sic demum, utpote et capaces et cupidi, certo experiemur constanter magis Deum CHRISTUMque mentem suam suamque et voluntatem et vim nobiscum communicantes, cum per rerum naturam et providentiae moderationes, tum per Euangelium sociosque Christianos, ipsorum ministros et interpretes, tum vero etiam per Divinum, qui nobismet ipsis inest, spiritum, Dei interpretem nobis perpetuo praesentem. Conf. prae caeteris, Luc. XI: 9—13. Phil. IV: 6 seq. I Joh. V: 14, omniumque maxime Joh. XIV: 13—17.

Denique ad utramque perpetuae cum Deo, CHRISTO Ecclesiaque consuetudinis partem pertinet, ut juncti in conventibus sacris socii identidem exerceant sanctam secum invicem et cum Deo CHRISTOque communionem. Etenim ibi, unum idemque Euangelium uno animi desiderio excipientes, unum omnes Deum adorantes unumque venerantes CHRISTUM, communibus

precibus, cantibus, Baptismo etiam sacraque Coena una, conjungunt sese invicem, et, pro communi salute omnium precantes omnes, se invicem incitant et inflammant. Pariter communionem una exercent cum Deo CHRISTOque, qua et ipsi Deo et vicissim Deus ipsis mentem suam patefacit, ipsi quidem precibus illis cantibusque, Deus autem per Euangelii nuntium ipsius spiritu animatum. — Est hoc ergo adjumentum longe omnium excellentissimum, reliqua omnia, observationem, meditationem, communicationem sociorum secum invicem, communicationem etiam cum CHRISTO Deoque complectens. Estque adeo haec et imago et exercitatio optima perpetuae illius cum Deo, CHRISTO Ecclesiaque Christiana communionis. Vid. §. XXI, 5. Conf. Hebr. X: 24 seq.

Cf. SCHLEIERMACHER, *Predigten*, I[e]. *Samm.* n. XII.

4. Vix opus est, ut moneatur horum adjumentorum omnium effectum unice pendere a sincera mentis exercitatione animique voluntate; sunt enim ea nihil aliud nisi exercitationes illius perpetuae consuetudinis mentis animique cum Deo, CHRISTO et sociis. Sed et hoc tenendum est, homini Christiano in his adjumentis neque singulis neque conjunctis esse subsistendum; sed his eum debere exercitari magis magisque, ut constanter et ubique in omnibus Deum, CHRISTUM suamque cum Ecclesia conjunctionem observet, nunquam non perspiciat divina consilia divinamque voluntatem, et perpetuo cogitet, sentiat, velit, loquatur, agat, omninoque vivat tanquam coram Deo CHRISTOque, in eorum honorem Ecclesiaeque salutem; sive ut perpetuam illam colat consuetudinem communionemque sanctorum, qua indoles divina optime conservatur perficiturque, coll. §. XXIX.

CAPUT III.

DE CHRISTIANAE INDOLIS SEQUELIS ET FINIBUS.

§. XXXI.

Indolis Christianae sequelae finesque indicantur.

Restat, ut videamus, quasnam Christiana indoles, ex ipsa rerum a Deo constituta natura, habeat sequelas et quibusnam adeo etiam finibus Divinis assequendis inserviat. Sunt autem hi effectus finesque varii, propiores alii et in ipsorum hominum singulorum conditione positi, alii ulteriores, in eorundem aut secum invicem aut cum aliis naturis conjunctorum societate conspicui; unus vero aliquis finis esse ultimus et supremus debet.

Et ipsos quidem si spectes Christianos singulos; indoles Christiana efficit cum mentem excellentiorem, tum animum perfectiorem, tum hominem totum feliciorem. Sin eorumdem cum Deo CHRISTOque respicias conjunctionem; indoles illa te Dei CHRISTIque voluntati et benignitati respondentem, Patris et Conservatoris decus patefacientem, imo cum Deo Deique Filio unanimem reddit. Societatem Christia-

nam si contempleris conjunctam; fines hi sunt, ut societas tota, uno acta spiritu, perficiatur, increscat, et, ex Principis sui JESU CHRISTI et Patris Dei voluntate, ad divina omnia cum ipso conspiret Deo. Sin totam respicias gentem humanam, aut totam etiam cum ea junctam rerum naturam; ad id indole sua adspirat mens Christiana, ut magis magisque perficiatur, beetur unoque spiritu divino consocietur humanum genus universum; universumque ita conspiret ad naturam omnem reddendam Divinis consiliis inservientem. Quodsi denique omnem etiam omnium ratione praeditorum mundi civium ambitum complectaris; excellentissimum, quem homo cogitare potest, effectum finemque supremum cernes, positum in terrigenarum coelitumque omnium et secum invicem et cum Deo CHRISTOque consensione: quâ sane totius mundi harmoniâ et cum Deo conspiratione satisfiet optime supremo Dei consilio amorique.

Hos esse rei Christianae fines effectusque, uti JESUS et Apostoli indicant, ita etiam ipsa Christianae indolis natura significat. His autem praestantiam inesse summam et insignem virtutis Christianae commendationem, quisque videt.

1. Et indole Christiana ipsa (Cap. I.) et hujus conservandae ratione (Cap. II.) indagata, jam, coll. §. XXV in Obs., restat, ut de ejusdem fructibus videamus. Scilicet, ut antea, § XII, 7 seqq. §. XIV, de perversae indolis effectibus vidimus, ita nunc accurate disquirendum est de effectibus naturalibus, quos divina indoles profert, quique iidem sunt etiam fines, ad quos illa, volente Deo, tendit. Nobis enim in hac morali institutione contemplanda de his finibus hoc loco agendum videtur, ut de effectibus, ad quos proferendos naturâ suâ tendit indoles bona: idque ita, ut hinc et institutionis Christianae, ad hos fines ducentis, praestantia (hac §. XXXI), et ipsius etiam, per eam informatae, indolis excellentia (§. XXXII) elucescat.

Quum autem dicimus *fines* (*doeleinden*), intelligimus effectus, ad quos edendos res aliqua naturâ totâ est composita, quosque ergo ejus auctor in hac ita componenda efficere voluit per *media* (*middelen*), illius ipsius rei naturae indita, finibus illis assequendis inservientia. Fines hi esse varii possunt, prouti rei alicujus effectus naturales sunt vel propiores vel etiam ulteriores, quos utrosque sibi proponere ejus auctor potuit. Quod si locum habet, ad finem ulteriorem superioremque attingendum fines propiores atque subjecti ipsi, ut media, inserviunt. Ejusmodi vero fines subjecti et inferiores si locum habent in rebus non animatis, possunt esse nude instrumenta, solummodo ut media ad superiorem finem attingendum inservientia; sin vero in naturis animatis et ratione praeditis, atque adeo in hominibus, ponantur, nude media esse nequeunt, necessario etiam fines esse debent, quos sapiens auctor propter illos ipsos quoque homines attingere voluit. Unus

autem aliquis finis esse ultimus debet sapienti bonoque, praestantissimus ille et plurima complectens. Qui ut est sapientissimo atque optimo cuique excellentissimus, ita ab aliis cognosci eo melius potest, quo penitius ab iis ipse ille optimus sapientissimusque noscitur.

Brevem doctrinae de finibus historiam exhibet J. VAN DER HOEVEN, *in Disp, de causarum finalium doctrina ejusque in Zoölogia usu*, in opere *Nieuwe Verhandelingen van het Prov. Utrechtsch Genootschap* III Dl. p. 11 sqq.

2. Quodsi jam a proximis finibus inquirendis incipere volumus, ordiendum sane est ab effectibus naturalibus, quos indoles Christiana habet in iis ipsis hominibus singulis, in quibus viget. Sunt autem hi fines proximi in eo positi, ut et mens excellentissima et animus perfectissimus reddatur, et homo totus sensu suo felicissimus. Sequelas virtutis Christianae naturales esse illam mentis praestantiam illamque animi perfectionem, patet coll. §. XXVI, 8. Eo ipso autem cum sentiat homo naturae destinationique suae satisfieri, naturalis etiam sequela haec est, ut vera fruatur felicitate; conf. §. XIX: 11—13. Hi effectus pietatis Christianae uti sane praestantissimi sunt, ita et fines sunt Deo digni, utpote creatore, qui homines divino creavit ingenio praeditos, ut ipsi Deo et perfectione et beatitate similes evaderent. Conf. §. IX. Quapropter et JESUS ejusque Apostoli cum eos esse virtutis Christianae effectus, tum hos ipsos a Deo propositos esse ejus fines, saepius significarunt, iisque laudandis ipsam institutionem atque virtutem Christianam, commendare studuerunt, v. c. Matth. V: 48. Marc. XVI: 16. Joh. XVII: 3. Coll. I: 28 sq. I Joh. V: 11 seq.

3. Deinde respiciendi sunt fines, positi in iisdem illis hominibus singulis, non per se spectatis, sed ut cum Deo CHRISTOque junctis. Sunt autem hi: ut Christiani Dei, a quo, et CHRISTI, per quem informantur, voluntati amorique respondeant, eorum praestantiam in semet ipsis patefaciant, et intime cum hoc Patre atque Conservatore suo jungantur. Hi autem ipsi sunt pietatis Christianae effectus naturales. Namque hoc spectat Dei CHRISTIque amor atque voluntas, ut tales tamque vere pii sint homines: ipsique suo *πνεύματι τῆς ἀληθείας* et *τῆς ἀγάπης* sane *δοξάζουσιν* et Deum, qui est *φῶς* atque *ἀγάπη*, et Dei Filium, qui *χάριτος καὶ ἀληθείας πλήρης* est; atque adeo etiam, utpote eodem cum Deo CHRISTOque spiritu acti, sunt cum his et hi cum ipsis intime juncti. Conf. §. XXVI, 6 in fin. §. XXVII, 2, 3. Iidem effectus et praestantissimi sunt, quippe facientes, ut sui condemnatione liberi fiant Christiani, ingenioque suo divino satisfaciant, atque vere sint beati. Et vero digni sunt hi Deo fines, quippe qui, ut sapientissimus, optimus et amore plenissimus hoc ipsum naturâ suâ sibi proponere debet. Itaque sic etiam de hisce diserte locuti sunt JESUS ejusque Apostoli, Matth. V: 16. Joh. XV: 8. XVII: 1—6. I Cor. X: 31. Eph. I: 6, 12. I Petr. II: 12.

Conf. PLATO, *Timaeo*, p. 29 seq.

4. Qui jam nobis contemplandi sunt fines, in conjuncta Ecclesia Christiana positi, hi sunt: ut Ecclesia haecce veri nominis societas sit, eaque in suo genere optima, et pro natura sua etiam maxima, eoque ipso et Dei CHRISTIque voluntati respondens, et eorum praestantiam patefaciens, et cum iis intime juncta. Indolis enim Christianae effectus natu-

ralis est hicce, ut uno omnes spiritu, eoque cum Deo CHRISTOque communi, consocientur, et hoc eodem spiritu atque communi amore agantur ad intrinsecus perficiendam et extrinsecus extendendam divinam CHRISTI Ecclesiam. Conf. §. XXVII, 4. coll. §. XXIII, 7. Hi quoque effectus ut praestantissimi sunt, cum societatis cujusque excellentia in ipsius et conjunctione et perfectione progrediente sit posita, coll. Col. III: 14, ita etiam Deo digni sunt fines. Ita enim Deus homines creavit, ut non unus aliquis sibi sufficiat, sed omnes, ut unius corporis membra, per intimam conjunctionem incolumes sensimque perfectiores fieri debeant. Quare et de his JESUS Apostolique saepe egerunt, Joh. XVII: 20 seq. Eph. III: 10. IV: 15 seq. Col. II: 19. I Petr. II: 9. IV: 10 seq. imprimis I Cor. XII.

Conf. CICERO, *de Rep.* L. I, c. 25, 32. L. II, c. 41.

5. Ex hoc ipso, quod de Ecclesia Christiana vidimus, jam sponte intelliguntur fines in genere humano universo positi hi: ut quam maxime totum hocce intime consocietur, perficiatur et cum Deo CHRISTOque conspiret. Qui ut effectus est naturalis pietatis Christianae, magis magisque Ecclesiam extendentis, ita sane et praestantissimus est et Deo, *ἀπροσωπολήπτῳ* hominumque omnium creatore amantissimo, dignus. Conferantur ergo Joh. XVII: 21, 23. Rom. III: 29 seq. coll. II: 11. Gal. III: 28. Col. III: 10. Eph. II: 13 seqq. III: 5—11. Eo ipso autem simul universa, quae cum hominum genere conjuncta est, rerum natura redditur consilio creatoris Dei congruens. Uti enim perversitas et corpus et naturam adspectabilem omnem corrumpit et ad perniciem convertit, coll. §. XII, 7.

§. XIII, 5, 6; ita Dei CHRISTIque spiritus in hominibus vigens atque agens et corpus consecrat, ut templum sit Divini spiritus, et naturae vires adhibet, ut instrumenta sapientiae sanctitatique inservientia, et natura omni utitur, ut patefactione Dei, et sortem omnem, calamitates ipsas mortemque, reddit verae divinaeque vitae adjutrices. Quo sane effectu nihil praestantius cogitari potest; atque, si ita ipsa quoque inanimata natura creatoris Dei consilio conspirans redditur per Christianam virtutem, in hoc finis Deo dignissimus conspicitur. Videantur itaque de hac re Matth. XXVIII: 18 coll. Joh. XVII: 2. Joh. I: 3, 4. Rom. VIII: 19—22, 37—39. Col. I: 15—19. coll. I Cor. XV: 25—28. I Tim. II: 12. II Petr. III: 13. Apoc. III: 21. XXI: 1 seqq. coll. Jes. LXV: 17 seqq. LXVI: 22 seqq.

6. Ultimus denique et supremus finis praeter genus humanum rerumque cum eo conjunctarum naturam etiam omnes complectitur ratione spirituque praeditos totius mundi cives. Indoles enim Christiana, quae non terrestris, sed coelestis plane est, *φρόνησις ἐπουράνιος*, homines ipsos uti cum Deo CHRISTOque, ita cum coelitibus omnibus reddit conjunctos, ut ita concordia, consensio et unanimis omnium totius mundi civium conspiratio oriatur, ad omnia omnino reddenda Dei consiliis exsequendis inservientia. Qua sane totius mundi concordia et cum CHRISTO Deoque consentienti harmonia excellentius nihil, nihil dignius est, quod per Filium sibi attingendum proponat Deus optimus, maximus. De hoc conferantur Matth. VI: 10. Joh. XVII: 20—24. Eph. I: 10. Phil. II: 10. Col. I: 20. Apoc. V: 8—14.

7. Quodsi jam tandem quaeratur, quam ob causam Deus hosce fines per CHRISTUM assequendos sibi

proponat, consilium in ipso Deo positum inveniri aliud potest nullum, praeterquam hocce excellentissimum et generosissimum, ut naturae suae satisfaciat eximiae, id est, ut satisfaciat infinito suo amori. Conf. Rom. XI: 36. coll. etiam I Cor. VIII: 6. Hebr. II: 10.

8. Superest, ut in hujus disquisitionis fine observemus, virtutis Christianae effectus felices esse quidem omnino praemia, Dei amori gratuito justoque grata referenda, coll. v. c. Matth. XXV: 34. I Cor. VIII: 17, 24 seq. II Tim. IV: 8.; neque tamen aut omnes, aut eorum nonnullos arbitrio Dei esse tribuendos, ut alii naturales sequelae, alii positiva praemia sint dicendi. Imo sunt omnes pietatis Christianae effectus et sequelae naturales, conf. v. c. Gal. VI: 7, 8. Scilicet potentissimus idemque sapientissimus Creator non eam condidit rerum naturam, quam deinde emendando, addendo, mutando aliam aliamque reddere opus habeat, sed statim eam constituit rerum omnium conjunctionem, et sua sit virtuti beatitas; atque idem igitur amantissimus sanctissimusque totius naturae rector Deus, non ex arbitrio suo identidem, sed perpetuo secundum rerum naturam ab ipso sapienter sanctoqne dispositam, facit, ut naturales felicesque pietas experiatur sequelas. Conf. §. XII, 8.

§. XXXII.

Morale, quod de hominibus Christianis, sequelas finesque illos sibi assequendos proponentibus, faciendum est, judicium.

Hosce virtutis effectus finesque, a Deo constitutos, ipsi homines, Divinitus per CHRISTUM informati, norunt consultoque sibi proponunt. Ergo tam egregios effectus tamque divinos fines auctore Deo atque institutore CHRISTO et conantur assequi (§. XIX—XXI), et eodem Deo auctore eodemque moderatore CHRISTO reapse assequuntur (§. XXI, XXXI). Neque tamen nolentes aut coacti, sed volentes lubentesque ipsi (§. XXIV) divinae per CHRISTUM institutioni ita obsequuntur, ut perversa omnia aversentur, et, impedimentis quibusque superatis (§. XXIX), optima quaeque efficiant.

Itaque per ipsam a Deo informatam ipsorum naturam mentemque fit, ut Christiani non sibi tanquam auctoribus primis suove merito cuiquam tribuant bonam suam indolem bonosque ejus effectus, sed Dei CHRISTIque χάριτι grata referant omnia: iidem vero simul, utpote suae voluntatis, libere Deo obsequentis, sibi conscii, bonorum illorum omnium effectores semet ipsos habeant, gratoque erga Deum,

qui ipsos ad id informavit, animo agnoscant. Quam ob rem divino animati spiritu, et ipsi indolem, cujus sibi conscii sunt, finesque sibi propositos bonos judicant, probant, aestimant, bonorumque, quae inde profluunt, effectores sese esse laeti sentiunt: et aliorum hominum judicio approbante atque aestimatione dignos sese norunt: et vero maxime Dei CHRISTIque judicio comprobari suam indolem atque propter id ipsum egregiis quibusque sequelis eam Divinitus semper condecorari, impense gaudent. Tanto autem magis quisque sese comprobandum esse novit, quanto et magis lubenti animo est et impedimenta plura atque majora superat.

Atque ita summa conspicitur hominis praestantia Christiani, utpote qui mente quidem eosdem, quos ipse Deus Deique Filius, sibi proponat divinos fines, animo autem ad volendum agendumque impellatur cogitatione studioque eorundem, quos Dei Filius ipseque Deus supra omnia volunt, effectuum divinorum. Deo igitur, ad tantam eum praestantiam informanti, est habenda gratia maxima.

1. Effectus illos finesque eximios et divinos, quos, secundum §. XXXI, Deus sibi proponit per CHRISTUM assequendos, homo, Divinitus per CHRIS-

TUM informatus, ipse quoque sibi proponit et assequi studet. Namque veritatem Divinam, atque adeo vera etiam Dei consilia, mente tenet et expetit, voluntatemque Divinam, ut suam, sequitur, coll. §. XXVII, 2. Itaque, quod Deus sibi proponit, id ipsum ab eo informati homines mente sibi proponunt, sibi aliisque ita vivendum esse, ut et ipsi perficiantur vereque felices vivant, et Deum CHRISTUMque δοξάζωσι, et societatis Christianae atque adeo generis humani perfectioni, consociationi atque cum Deo conspirationi prosint, et eo ipso cum bonis sanctisque totius mundi civibus consentiant, naturamque omnem Divinis consiliis reddant respondentem. Et uti Deus talium finium assequendorum causa omnia vult agitque, ita etiam hominum illorum animus eorundem finium assequendorum cogitatione studioque commovetur et incitatur ad volendum agendumque, quidquid his ipsis est consentaneum.

Sunt ergo (ut hoc, quod antea jam monitum est, nunc autem luculentius perspici potest, hîc quasi in transitu denuo observemus) haec Christianis virtutis *incitamenta* (*aansporingen*, *drangredenen*), quae ab ejus eximiis sequelis desumuntur; eoque distincta quidem haec sunt a primis pietatis *causis momentisve* (*beginselen*, *beweegredenen*), in ipso erga Deum CHRISTUMque amore atque in honestatis studio positis; sed gravissima illa vereque bona, utpote a rebus bonis divinisque depromta, coll. §. XXIII, 3, 4. Imo sunt illa incitamenta cum his pietatis Christianae principiis conjunctissima. Ejusmodi enim sequelas eximias effectusque divinos expetit homo Christianus eorumque studio incitatur nulla alia de causa, nisi quia sic demum indoli ipsius sanctae optimaeque satisfit, spiritusque eum intus ad id agit divinus. Qua propter eo ipso consilio Deus

fines illos suos hominibus patefecit, ut et ipsi eos sibi proponerent et assequi studerent, coll. Col. I: 19, 20, et Dei Filius, Patris instar, fines illos semper spectavit, Joh. XVII: 21 seqq., et ipse ipsiusque Apostoli id ipsum omnibus commendarunt, Matth. V: 48. Eph. IV: 3, 15 seq. conf. Col. I: 28 seq.

2. Constat ergo, hominem Christianum, utpote Divinitus per CHRISTUM informatum, effectus illos finesque divinos sibimet ipsum proponere et assequi studere. Hoc ipsum autem si propius contemplemur distinctiusque explicemus, duo continet. Alterum hujusmodi est: Christiani Deo auctori CHRISTOque institutori hoc debent, quod eos fines effectusque et norunt et expetunt, atque adeo multo etiam magis, quod eos revera assequuntur. Hocce ut omnibus hominibus agnoscendum est, debere se Deo optima quaeque, quae assequantur et efficiant; ita id vel maxime agnoscunt Christiani; conf. §. XVIII. Alterum, quod eo continetur, est hocce: Christiani homines non coacti, sed libere volentes ipsi illos effectus finesque et sibi proponunt et expetunt. Quamquam enim a Deo auctore, per CHRISTUM eos instituente, omnia repetenda sunt, ipsi nullo modo instrumenta Dei sunt, sed libere mente animoque suo Divinam susceperunt institutionem, liberrimeque adeo divinos illos fines assequi student, conf. §. XXIV. Atque adeo, si effectus illos felices virtutis suae experiuntur, finesque illos egregios reapse assequuntur, horum Christiani agnoscunt Deum quidem auctorem supremum, semet ipsos vero effectores.

3. Ex his jam plane liquet, quale de hominis Christiani virtute ejusque sequelis sit faciendum judicium. Et hominem quidem malum, licet τῆς σαρκὸς vi incitatum et propterea quodammodo excusandum,

tamen usque adeo volentem esse perversum, ut Dei, ad bona omnia ducentis, vim rejiciat, antea vidimus §. XIV, 1, 2. Est ergo ille suae ipse perversitatis auctor habendus, omnium judicio ipse unice culpandus, et malis perversitatis suae sequelis dignus est, easque omnino mereri dicendus. Quodsi vero nunc de homine bono similiter judicare volumus, coll. Obs. 2, haec tenenda sunt.

Dei CHRISTIque χάριτι grata referenda est ipsa indolis bonitas, χάριτι item Divinae grati sunt referendi effectus ejus boni omnes. — Auctor enim primus illius bonitatis atque ideo etiam sequelarum ejus omnium non homo ipse est, sed Deus; atque ita neque illam virtutem, neque felices illius effectus homo unquam suo merito tribuere potest: si quidem *meritum* dicimus illud, cujus mercedem tuo jure postulare potes ab altero, de quo volente indebite ipse bene meritus es. Sic famuli opificesque a dominis iisque, pro quibus operantur, mercedem pro merito suo postulare queunt. Ratione vero Dei habita istiusmodi virtutis meritum homini plane esse nullum potest. Deus enim ipse est, qui et vires ad bona omnia ipsi largitus est, et ipsum ad virtutem unice informat; ne dicamus, ipsum sibi conscium esse, Divinis consiliis se nunquam penitus aut satis respondere. Conf. Luc. XVII: 10. Rom. III: 23 seqq. XI: 35. I Cor. I: 29—31. IV: 7. Eph. II: 8 seqq. Tit. III: 5. Contra Deo gratia est habenda Deoque laus tribuenda, ut auctori cum bonitatis omnis tum felicium hujus effectuum. Id hominem jam deceret, etiamsi plane purus semper fuisset planeque esset perfectus: imo id decet naturas omnes Deo inferiores. Quare etiam ita animatum cernimus ipsum sanctissimum hominem eumdemque Dei Filium, JESUM, Luc.

X: 21. Joh. VII: 16—18. XI: 41. Quanto igitur magis hoc decet Christianos, pristinae suae perversitatis sibi conscios, gratuitoque Dei et CHRISTI amore ad virtutem felicitatemque adductos. Vid. omnino, Joh. XV: 1, 8. Rom. VI: 23. XI: 36. I Cor. XV: 10. Eph. II: 8, 10. Tit. III: 4 seqq. I Joh. III: 1. I Petr. I: 3 seqq.

Vel sic tamen homo sibi ipsi tribuere (*sibi imputare*) debet suam, Deo auctore a semet excultam, virtutem, et bonorum hujus effectuum se ipsum agnoscere effectorem. — Licet enim bonitatis suae ejusdemque sequelarum auctor primus non sit homo, est tamen minime ut instrumentum quoddam, physica aut mechanica vi actum, contemplandus. Imo cum Divino amori ipsum informanti, cui possit resistere, libere obsequatur, ipse in causa est, quod revera est bonus, et hujus bonitatis sequelas ut effectus, a semet ipso comparatos, reputare et potest et debet. Sic in domo paterna a parentibus informati liberi, utpote sponte sua obsequentes, propterea quod probi sunt diliguntur laudanturque, et hujus rei sequelis, ut probitatis suae praemiis, gaudent. Ita in hominis cum patre Deo conjunctione neutrum excludendum esse, videas Joh. V: 24, 40. VI: 44, 67. XV: 21 sq. 24. II Cor. V: 18, 20. VI: 1. Phil. II: 12 seq. Jac. I: 18, 22. II Petr. I: 3, 4, 10, 11. Imo propter liberam illam, qua Deo obsequitur Divinaque consilia ipse assequi studet, voluntatem homo sibi suam imputare debet virtutem, id est putare, reputare, in semet ipso causam esse, quod revera bonus est, in semet ipso item causam esse, sequelarum virtutis felicium effectricem. Hoc igitur homo Christianus grato agnoscit animo erga Deum illum, qui ita et creavit ipsum et informat, ut libere velle et efficere ipse tam egregia

divinaque possit. Sic JESUS ejusque Apostoli homines, licet θεοδιδάκτους, tamen simul αὐθαιρέτους ubique proponunt, ideoque laudant praemiisque ornandos dicunt, v. c. Matth. XXV: 20 seqq. 34 seqq. I Cor. IX: 17, 24 seq. II Cor. VIII: 3, 17, coll. I Thess. IV: 9. II Tim. IV: 7 seq. Quo modo et ipse CHRISTUS et eum sequentes Christiani hac in causa de se existiment, videas Joh. XVII: 1, 4, 5. I Cor. XV: 10.

Sunt ergo, uti jam per se apparet, duo illa non separanda sed conjungenda. Neque cum philosophis multis, imputationem humanam solam spectantibus, aut cum Romano-Catholicis, meritum humanum laudantibus, negligendus est Dei gratuitus amor, fons bonorum omnium auctorque primus: neque cum Protestantibus nonnullis ita extollenda est Dei gratia, ut vel negetur vel negligatur imputatio humana et libera hominis voluntas, Divino amori obsequens eoque ipso bonorum quorumque effectrix. Philosophos aeque atque Christianos decet, bonorum omnium gratuitum quidem auctorem agnoscere Deum, liberum vero etiam effectorem hominem. Ita demum utrique illi, et humanae naturae, utpote non instrumento cuidam similis sed Deo cognatae, dignitatem persentient, et, rejecta omni superbia morali, Divino amori, paterna ratione liberos informanti, omnia grata referent. Quae unice vera est, hominem decens, modesta sui aestimatio.

Conf. omnino HINLÓPEN, *Overdenkingen*, p. 181 seqq. Conferri potest BORGER, *Leerredenen* T. I, p. 349, 399 seqq.

4. Cum homo Christianus, a Deo quidem informatus, sed tamen libere volens sit bonus, est etiam talis habendus ab omnibus, qui ejus indolis rite conscii sunt. Atque hi, si divino hac in re spiritu

reguntur, et mente eam rite judicantes probabunt, et animo bene sentientes aestimabunt, et judicium hoc sensumque suum patefacientes comprobatione sua amorisque signis eum ornabunt, et sequelas ejus virtutis respicientes, ipsum agnoscent bonorum illorum effectorem. Ita Christianum hominem judicant cum ipse, tum alii, tum imprimis CHRISTUS atque Deus.

Et primum quidem homo Christianus ipse virtutis suae, a Deo per CHRISTUM informatae, sed libera voluntate a semet excultae, sibi conscius est. Quare et eam in semet ipso comprobat, et magni aestimat, et hujus de se judicii conscientiam laetam habet, et, grato erga Deum animo, gaudet bonarum et salutarium sequelarum sese esse effectorem. Turbatur quidem haecce laeta conscientia non raro cum ipsius errore tum vitiorum superstitum atque imperfectionis sensu. Sed quo magis illustratur perficiturque, eo laetior et beatior fit cum semper, tum etiam in mediis mundi obtrectationibus et vexationibus homo Christianus hacce bonae conscientiae approbatione. Vid. Luc. X: 20 seq. Joh. VIII: 45—55. XVII: 4 seq. Act. XXIII: 1. XXIV: 16. I Cor. IV: 3 seq. II Cor. I: 12. IV: 2. VI: 3 seqq. XI: 5 seqq. Phil. III: 8—17. II Tim. IV: 7 seq. Hebr. XIII: 18. I Joh. III: 21.

Conf. CICERO, *pro Milone* c. 23. HEMSTERHUIS, *Aristée*, Opp. T. II, p. 70 seq.

Deinde bonae indolis, Christiano homini insitae, saepe etiam conscii fiunt homines alii, nominatim, qui soli sunt apti de ea judices, Christiani alii, et cum his juncti olim conscii ejus erunt coelites. Hi ergo omnes, quotquot divino hac in re spiritu reguntur, et ipsi illum judicio suo probant, animo aestimant et diligunt, existimationis etiam amorisque sui signis

judicium sensumque suum patefaciunt, ipsumque ut bonarum virtutis sequelarum effectorem, grato erga Deum animo, honorant. Istiusmodi quidem aliorum de aliis judicium neque semper locum habet, cum non satis semper aliorum alii conscii sint; neque bene semper se habet apud homines facile in bonam aut malam partem errantes; neque constanter patefieri solet, sed justis etiam de causis saepe reconditum diu manet. Vel sic tamen non raro hac in vita jam et adest et manifestatur, et post mortem luculentissime patefiet. Et vero uti genuinis Christianis jucundum est a fratribus comprobari, quos diligunt, ita id multiplicem eorum vitae utilitatem affert. Vid. Matth. V: 16. XXVI: 10, 13. Luc. VII: 24—28, 35. Joh. V: 33 seq. VIII: 42, 43, 47. I Cor. IV: 5, 9. II Cor. III: 2 seqq. X: 12 seqq. Hebr. XII: 1. XIII: 7. I Joh. IV: 6.

Denique omnium optime indolis, Christianis hominibus insitae, conscii sunt CHRISTUS et ipse Deus. Hi ergo et, bonam divinamque in ipsis indolem perfecte discernentes, eam probant, et pios, licet imperfectos, ut sui similes, diligunt, et judicium illud suum suamque approbationem saepe per ipsorum conscientiam, per aliorum, Divino spiritu animatorum, comprobationes, et per omnem sortis moderationem, patefaciunt. Imo Deus est, qui moderatione sua per CHRISTUM omnes naturales virtutis sequelas, tanquam praemia ab ipso tributa, illis experiundas praebet, coll. §. XXXI, 8. Hoc igitur Dei CHRISTIque judicium de piis et semper adest, et solum semper est prorsus verum perfectumque; atque hoc ipsis quidem Christianis singulis plerumque et jam hac in vita identidem, post mortem clarius etiam, manifestum fit, aliis quoque non raro apparet lucu-

lenter; omnibus vero de omnium virtute atque pietate judicium Dei CHRISTIque olim demum, in rerum humanarum omnium fine, potest patefieri. Atque hoc Dei CHRISTIque de se judicio Christianis nihil contingere optatius potest. Turbatur quidem interdum laetus ejus sensus per superstitis maxime imperfectionis suae conscientiam, prouti ex amicorum de nobis judicio percepta laetitia quodammodo obscuratur, si amicitiae nondum ab omni parte nos respondisse nobis conscii sumus. Sed quo magis Christianus homo perfectione progreditur, eo magis, in summis etiam adversitatibus ipsaque morte, illa Conservatoris amantissimi optimique Patris comprobatione impense laetatur. Vid. Matth. XXV: 19 seqq. 35 seqq. Joh. VIII: 50. XIV: 21. XV: 10, 19. XVI: 8—11. XVII: 16. Rom. VIII: 33 seqq. I Cor. III: 13. IV: 4 seq. II Cor. V: 10. II Tim. IV: 8. Hebr. IX: 27. I Joh. II: 28. III: 20 seq. IV: 17 seq.

Conf. Socrates, apud CICERONEM, *Tusc. Quaest.* L. I, c. 41. GARVE, *Anmerk.* ad L. II de Off. p. 41 seq.

5. Est ergo de virtute judicium in mundo morali aliud plane, quam in societate civili judicium esse solet. Judices sunt omnes: quisque enim de se judicat, alii de aliis, quorum conscii sunt; perfectus omnium judex est JESUS CHRISTUS, judex supremus ipse Deus. Atque hoc judicium ipsorum quidem Christianorum, si alacri et bene composita mente sint, semper adest, Deus autem CHRISTUSque a judicando abstinere nunquam possunt. Non actiones per se spectatae judicantur, sed fons actionum ipse judicatur, animi indoles. Judicium autem cujusque de se est ipsi semper patens; aliorum de aliis judicium saepe patefit; Dei autem CHRISTIque de singulis judicium

ipsis plerumque quidem innotescit, post mortem singulis omnino manifestabitur; dum ultima eaque absoluta Divini de omnibus judicii patefactio omnibus exhibenda sit in rerum humanarum omnium fine. Conf. omnino §. XIV, 3, addantur loca Matth. XVIII: 15—18. Joh. XX: 23. 1 Cor. VI: 1 sqq. XI: 31. II Tim. II: 19. I Joh. III: 19—21. V: 11 seq. Apoc. II: 2, 9, 13, 19. Denique cum hoc et hominum, et JESU CHRISTI, et Dei judicio junctae remunerationes omnes sunt naturales virtutis sequelae, uti vidimus §. XXXI, 8.

6. Quodsi quaeritur, qua quisque de causa judicio illo morali divinoque aut magis aut minus sit probandus; non sane id ab actionum, ab eo editarum, sive numero sive splendore pendet: quippe qui uterque certum majoris minorisve bonitatis internae criterium non est, uterque etiam ab opportunitatibus viribusque felicioribus aut minus felicibus saepe magnam partem est repetendus, conf. Matth. XXV: 20 seqq. Luc. XXI: 2 seqq. I Cor. XII: 5 seqq. XIII: 3. Neque etiam ipsa indolis praestantia, vel minus vel magis jam progressa atque perfecta, per se satis docet aliquem vel minus vel magis esse probandum: namque illa progressio magnam saepe partem pendet ab opportunitate, qua quisque aut diutius et purius, aut brevius et minus pure, divina CHRISTI institutione uti potuit, conf. Matth. XX: 1—16. Luc. XII: 48. Hebr. V: 12. coll. etiam Joh. XV: 22, 24. Conf. item §. XIV, 4. Sed prouti, coll. Obs. 2, 3, id quod ipsi est homini tribuendum sive imputandum unice positum est in ipsius libera voluntate et ipse propter hanc morali judicio est probandus; ita etiam tanto quisque aut magis aut minus probandus est, quanto aut major aut minor in ipso est vis liberae voluntatis. Haec au-

tem maxima est in eo, qui constanter lubentissime sic vivit, ut impedimenta etiam maxima superet. Ergo qui aut plane sponte sua consilium bonum capit, aut magno cum studio ad id assequendum fertur, aut magna superat impedimenta, is propterea erit magis probandus atque aestimandus; is vero omnium maxime, qui et unice sua sponte, et maximo cum ardore, et plurima summaque impedimenta superans, virtutem colit. Conf. Matth. XX: 25 seqq. I Cor. IX: 16 sqq. XIII: 1—3. II Cor. VIII: 2 seqq. 17. Hebr. XII: 4.

Ex hac igitur norma judicare oportet, coll. Obs. 4, et quemque Christianum de se ipso, conf. I Cor. IX: 16, et omnes, quantum licet, de aliis, II Cor. VIII: 2, 17; atque ex eadem norma judicant Deus CHRISTUSque de singulis, Matth. XX: 25 sqq. I Cor. XIII: 1—3. Et vero sic naturam omnem ordinavit moderaturque Deus, ut quo quis magis libero lubentique animo bonus est, eo etiam laetiores bonitatis suae sequelas experiatur. Eo enim magis et ipse sapientia, perfectione atque felicitate facile feliciterque progredietur, et societati Christianae vel jam nunc vel olim certe melius prodesse poterit, et optimorum quorumque, ipsius maxime Dei CHRISTIque, comprobatione gaudebit, conf. I Cor. VIII: 3. Matth. XXV: 21, 23. II Cor. IX: 6 seq. Apoc. II: 10. III: 21.

Qui ergo sola impellente aut extrinsecus cogente lege a malis abstinent, licet fortasse a vera probitate Christiana non multum absint, nondum ut vere probi Christiani sunt existimandi, coll. I Tim. I: 9. His praestantiores multo sunt, ipsi tamen parum etiamnum probandi et in re Christiana pueris adhuc assimilandi, qui, licet lege coacti non vivant, tamen impedimentis facile retineri sese aut ad perversa pellici patiuntur,

atque ideo aliorum monitis et incitationibus continuo indigent, I Cor. III: 1 seqq. Magis probandi sunt et adulti judicandi, qui lubenti animo, vel etiam a nullo homine incitati, bene vivunt, II Cor. VIII: 3, 17. Maxime probandi et JESU CHRISTO simillimi sunt, qui in mediis etiam impedimentis sponte magnoque cum studio ita versantur, Hebr. XII: 1—4. Non probandus modo, sed summopere venerandus est ipse Dei Filius, qui et nullo homine incitante plane sponte sua, et summo cum studio, et in difficultatibus maximis, optimum sese praestitit. Plane autem adorandus est ipse Deus, quippe qui non modo cum amore summo optima difficillimaque agit omnia; sed etiam amoris omnis ipse fons est, conf. §. XX, 7. Quapropter ab hac etiam parte CHRISTI ipsiusque Dei excellentia exemplar est perfectissimum, quod sequi, ad quod accedere semper magis Christiani debent, quod plane attingere nemo unquam potest. Conf. Rom. VIII: 29. I Joh. IV: 7, 17—19.

7. Quaerendum restat, quemnam in finem homini Christiano bonorum virtutis effectuum approbantiumque ejusdem judiciorum consideratio inserviat.

Ad id quidem sine dubio haecce Christiano homini inservit, ut sentiat sese felicem cum semper, conf. Matth. V: 3 seqq. Phil. II: 17 seq. III: 1. IV: 4. I Joh. I: 4, tum in mediis etiam externis vitae calamitatibus, Matth. V: 10 sqq. VII: 24 seq. Rom. V: 3—5. VIII: 17—39. Et est sane hic ejusmodi considerationis effectus naturalis. Ponit enim Christianus homo felicitatem summam in hocce, ut et ipse perfectior evadat, et societas Christiana excellentior, et universus mundus cum Deo CHRISTOque magis fiat consentiens, et ut bonorum omnium, Dei maxime CHRISTIque, comprobatione atque amore ipse fruatur. Hos ergo ipsos si videat

virtutis suae effectus esse, non potest non hac ipsa consideratione sese sentire felicissimum. Dedeceret hoc quidem, si superbe eo sese efferret; sed arcetur superbia, quia grato erga Deum animo ipse gaudet, coll. Obs. 3. Dedeceret etiam felicitatis sensus, si vilibus et suo unius commodo inservientibus rebus gauderet; sed coelestibus, divinis, omnium saluti proficuis laetatur dignissime, coll. §. XXIII, 3, 4. Atque adeo hocce ipso gaudio suo similis est Dei Filio, pariter laetanti, Luc. X: 21. Joh. XV: 11, ipsique Deo, qui omnibus prae amore felicibus reddendis est beatissimus, Luc. XV: 7, 22—24. I Tim. I: 11. VI: 13. Conf. §. XIX, 11, 13.

Conf. HEMSTERHUIS, *Aristée*, Opp. T. II, p. 70 seq.

Neque tamen in hoc felicitatis sensu ipso subsistit homo Christianus; imo ad id quoque illa consideratio ei inservit, ut hujus felicitatis cum sensu tum spe incitetur ad perpetuo progrediendum finesqne adeo divinos semper magis expetendos sectandosque. Conf. Matth. V: 3 seqq. XXV: 13 seqq. I Cor. IX: 24. Et hic quoque effectus illius considerationis est naturalis. Quodsi enim felicem ita jam se sentit, vult sane et felicitatem hanc conservare et eandem etiam augere; atque adeo et perget et progredietur sensim ulterius, beatitatis semper adaugendae spe stimulatus. Et vero sic demum felicitatis sensus ipso est dignus, si eo non ad requiescendum in praeteritis, sed ad majora et excellentiora constanter magis expetenda adigatur. Quo ipso modo Dei Filium quoque videmus felicitatis spe incitatum excellentiora constanter expetivisse, Joh. XVII: 1—5 Hebr. XII: 2, ipsumque Deum in beatitate sua nunquam requiescentem cernimus, Luc. XV: 4 seqq.

Itaque quo magis homo Christianus progreditur

finesque virtutis vere assequitur, eo fit beatior; vicissim vero etiam, quo beatior fit finesque illos laetior sibi proponit assequendos, eo semper fit praestantior.

8. Jam vero, ut in hoc desinamus, indolis societatisque Christianae in eo ipso praestantia maxima cernitur, quod fines, quos ipse Deus sibi proponit summos, Christiani et assequi student et vero etiam magis magisque assequuntur.

Divinae naturae praestantia omnium luculentissime conspicua est in consiliis, quae Deus et mente tenet et voluntate providentiaque sua exsequitur: in his sapientia, in his amor, in his omnis omnino Dei perfectio patescit. Ideo incomparabilem in JESU CHRISTO, Dei Filio, praestantiam miramur, utpote qui, humano indutus corpore vivens, ipsius Dei consilia perfecte et mente teneret et voluntate sua expeteret et vita omni exsequeretur; ideo sapientiam in illo Divinam, Divinum amorem, Divinam omnino excellentiam, a Patre quidem ortam, sed et Patri Deo simillimam, suspicimus. Conf. §. V, 8. Jam vero Divinitus per hunc Dei Filium informati homines et ipsi eosdem fines Divinos mente sibi proponunt, animo expetunt, vi sua omni exsequuntur; fiuntque adeo et ipsi verissime dicendi Dei filii, Deo simillimi.

Praeterea Dei hoc est eximium amoris beneficium, ut consilia sua, genus humanum spectantia, nolit sine intercedente ipsorum hominum operatione exsequi. Jam vero consiliis Dei summis plene exsequendis prima gentis humanae saecula nondum erant apta. Tandem vero, per praestantissimos illorum temporum homines praeparato genere humano, apparuit Ille, qui Dei consilia summa noverat perfecte et iis exsequendis sese plane unica ratione

devovebat, homo ille quidem sed idem plane Divinus. Hocce igitur JESU CHRISTO praestantior cogitari sane nemo potest, hujus negotio nullum potest esse aut excellentius aut magis divinum. Quid autem? Num ille sibi uni hocce negotium penitus exsequendum asservavit? Imo vero Divinitus prae amore suo mentem suam, suam voluntatem informat in suis asseclis omnibus, spiritum suum cum iis communicat. Atque sic, quod Ille incepit, hi persequuntur, quod ipse Dei Filius primum effecit, id, eo auctore atque fautore, omnes ejus fratres jam deinceps magis magisque perficiunt. Divino pleni spiritu summa Dei consilia, fines supremos et ipsi exsequuntur. Conf. §. III. Pro quo JESU CHRISTI ipsiusque Dei beneficio, longe omnium summo, ipsis sane gratia est perpetuo habenda maxima!

SECTIO II.

DE SINGULIS CHRISTIANAE INDOLIS SENSIBUS, VOLUNTATIBUS AGENDIQUE RATIONIBUS.

§. XXXIII.

Hujus disquisitionis ratio.

Cum jam de universo, qui homini, Divinitus per CHRISTUM informato, inest, spiritu divino viderimus (Sect. I.), cumque ex hoc spiritu, rite informato conservatoque, sponte sua profluant omnes et sensus et voluntates Christianum hominem decentes, sponte item hi sensus voluntatesque actionibus sese patefaciant; praecipua disquisitio jam est peracta. Vel sic tamen cum ad eandem illam indolem accuratius aestimandam, tum ad ejus fructus magis provehendos, conducere potest, ut de singulis etiam illis sensibus, voluntatibus et agendi rationibus specialiter agamus.

Cum igitur pro varia persona eorum, quibuscum juncta est mens Christiana, varii sensus voluntatesque se in ea manifestent actionesque adeo etiam ejus sint variae; videndum nunc est, quibusnam modis erga CHRISTUM, Deum, semet ipsum, socios aliosque homi-

nes, cum universos tum singulares, animatum esse oporteat hominem Christianum; et vero etiam quibus modis reapse per ipsam suam indolem sit animatus agatque cum ipse quisque homo Christianus tum etiam Christiana societas conjuncta.

1. Longe aliud est, quod hac Sectione II disquirendum nobis est, atque id, quod Sectione I est expositum. Illic cum ubique, tum etiam in §. XXVII, vidimus de totius mentis animique dispositione atque directione, qualis semper et in omnibus rerum adjunctis omnibusque conjunctionibus sive, ut dici solet, relationibus est: verbo, illic de universo hominis Christiani *charactere* sermo erat. Nunc quaerimus, quid in illo homine vere Christiano se manifestet pro speciali eaque varia, in qua versatur, conjunctione aut varia conditione varioque negotio: quid erga hunc, quid erga illum sentiat, quomodo aliis atque aliis temporibus animatus sit, quid velit agatque, si hunc illumve respiciat. Ergo illud, de quo antea vidimus, est fons, idem semper atque perennis, unde haec, quae nunc contemplanda sunt, singula, quasi fluctus quidam, identidem profluunt: illud est ipsa arbor frugifera tota, haec sunt ejus fructus. Haec ergo quamvis necessario ex illo charactere universo prodire debeant, cum caeteroquin hicce cesset esse verus fons arborve frugifera; tamen haec cum illo confundenda non sunt, nisi velimus fonti substituere rivulos inde manantes, aut fructus ipsi arbori eos proferenti. Conf. omnino Matth. XII: 33. Joh. IV: 14. VII: 38. Gal. V: 22.

2. Hos sensus varios voluntatesque et agendi rationes hasce singulas separatim contemplari, non est omnino necessarium. Sufficere possit, ut noscamus, qualis sit universus hominis Christiani character, et quomodo ille talis informandus, conservandus et perficiendus sit; namque talis si universa mente totoque animo homo est, sponte etiam talia sentiet, expetet, aget erga singulos, quibuscum conjunctus est, et in rerum adjunctis singulis sponte ita animatus erit, uti decet. Alia res foret, si ageremus de lege aliqua, in qua exponenda non sufficit universalia ejus principia novisse, sed et singula ejus effata quam accuratissime sunt enumeranda et definienda. Quare merito in sua disciplina ita agunt Jureconsulti. Immerito, hos imitati, multi Philosophi et Theologi partem Ethices praecipuam ponunt in officiis singulis exponèndis. Genuini certe Christiani lege omni in rebus moralibus liberi nullisque definitis praeceptis adstricti sunt; ipsis spiritus inest, sponte sua et videns et volens quae bona sunt, coll. §. XXVIII, 3. Ergo necessarium prorsus est, ut rite pernoscamus, quomodo universa illa indoles Christiana informari queat et conservari; caeterum vero, si modo illa informetur et conservetur, confidere licet, eam quoque fructus ipsi naturales esse prolaturam: prouti agricolae hoc necessario agendum est, ut videat, quomodo agrum reddere bonum, arboremve ipsam reddere et conservare bonam possit; caeterum vero confidenter sperat, fruges fructusque inde, Deo favente, esse prodituros. Conf. Matth. XII: 33. coll. VII: 17 seq. et omnino Marc. IV: 26 seqq.

Conferri omnino meretur CAMP. VITRINGA, *Typus Theologiae practicae, sive de vita spirituali ejusque affectionibus commentatio*, in Praefat. edit. 2. Harlingen, 1741,

p. 19 seqq. inde a verbis: *Sed quicquid ejus rei sit*, rel.

3. Vel sic tamen utilissimum esse potest, si noverimus accurate, quosnam sensus actionesque singulas proferat Christiani hominis spiritus. Ita e fructibus hisce facilius discernere poterimus, num revera aut aliis quibusdam aut nobismet ipsis ille spiritus insit. E fructuum praestantia cerni quoque ipsius, illos proferentis, indolis Christianae excellentia potest. Per accuratam insuper disquisitionem descriptionemque singulorum, quae indoles Christiana naturâ suâ profert, caveri facilius possunt errores minus etiamnum sapientium, et minus provectorum studia felicius excitari. Conf. Matth. ll. ll. Joh. XIII: 35. XV: 8—12. Rom. XII et capp. seqq. Gal. l. l. Eph. IV: 25 et deinceps.

4. Sed idem hoc fiat noxium, imo perniciosum, nisi caveamus, ne Euangelium in legem aliquam degeneret. Quodsi enim ita agamus, quasi in his sensibus, voluntatibus, actionibus singulis vis omnis et fastigium rei Christianae sit positum, at ue si legum instar unicuique singula haec accurate definita praescribamus; tum vim vitamque institutionis Christianae infringimus et perdimus ipsamque Ecclesiam, societatem coelestem, in regnum terrenum immutamus. Sic enim non amplius sponte sua quisque ita velit agatque, spiritu divino intus ad id actus; et termini constituantur homini Christiano, qui spiritu suo ad infinitam tendere perfectionem debet, coll. §. XXVIII, 3, 4. Imo vero, non fluctus quidam faciendi sunt: sed fons excitandus est et aperiundus, unde fluctus sponte profluant; non fictitii quidam fructus componendi, sed arbor colenda est frugifera, quae vi sua proferat

fructus veros; non fingendae sunt arte fruges aut frumenta, sed semen agro mandandum, ita enim *αὐτομάτη ἡ γῆ καρποφορεῖ.* Hoc praecipuum est. Hoc autem si praecipuo loco et agimus et aestimamus, jam insuper observare ipsi aliisque exponere cum utilitate aliqua possumus, quomodo e fonte profluant rivuli, quomodo ex arbore fruges, e semine quomodo succrescant singula optima quaeque.

5. In his autem exponendis argumenti distributio necessario sumenda videtur non a *subjecto*, ut dici solet, sive ab ipso homine Christiano sentiente, volente, agente, sed ab *objectis*, sive ab iis, de quibus ille sentit et vult et in quos agit; utpote a quibus solis pendet sensuum, voluntatum, actionum varietas in indole hominis Christiani, quae, per se quidem ipsa, una eademque semper esse debet. — Ratio autem horum exponendorum non ea esse debet, ut tamquam de praeceptis peculiaribus, aut de officiorum modo doctrina agamus. Neutrum congruit JESU CHRISTI menti, qui neque legem ferre neque officiorum modo doctrinam praebere voluit, §. III, 2, 3. Per CHRISTUM Deus sic homines instituit, ut ipsi se doceant, se ipsi jubeant, §. XXII, 2, 3. Itaque de singulis hisce agendum est non ut de officiis extrinsecus impositis; sed ut de sensibus, voluntatibus, agendi rationibus, quas cum ipse homo Christianus perspiciat oportere ipsum, sibi eas ipse imponit; neque hoc tantum, sed etiam ut de sensibus et volendi agendique modis, qui reapse oriuntur et sponte profluunt ex indole Christiana bene informata.

§. XXXIV.

De Christianorum erga JESUM CHRISTUM *animo.*

Cum per JESUM CHRISTUM totus informetur perficiaturque homo Christianus; ante omnia huic sese devinctum sentit, idque agit, ut erga hunc Conservatorem bene sit animatus.

Hunc ergo mente videns Divinum eundemque humanissimum suum hominumque omnium informatorem, animoque sentiens ejus humanum aeque et Divinum amorem (§. XIX, XX.); ipse, quod et decere persuasum sibi habet, eum talem tantumque amat. Amore autem ductus id toto spectat animo, quod tali amori congruens est propositum, ut mente animoque et ipse et omnes cum illo intime sint conjuncti.

Talem autem illum tantumque qui amat, non potest non et Divinum eundem venerari, et humanissimum tenerrimo amplecti sensu, et vero amantissimum Conservatorem grata mente prosequi animoque ei adhaerere confidenti. Atque is hoc amore suo agitur, ut consuetudinem cum illo Dei Filio colat, menti ejus voluntatique respondeat ejusque vim praestantiamque omnibus patefaciat: quo magis et ipse et quam

plurimi placeant ei totoque cum eo conspirent animo. Quo quis autem impensius illum amat, eo vehementius et his contraria fugiet, et in iis perpetuo perfici studebit.

Ipse vero etiam ille amor CHRISTI in homine, consuetudinem cum eo excolente hujusque ipsius amoris praestantiam persentiente, non modo conservatur sed et sensim increscit. Effectus autem habet eximios hosce, ut homo divinam CHRISTI imaginem inter homines referat, ad intimam ipse adductus cum Deo conjunctionem.

1. Quantumvis a Philosophorum non modo, sed et a Theologorum, Philosophos in re Ethica fere quam proxime imitantium, consuetudine id recedat; videtur a sensibus studiisque erga JESUM CHRISTUM exponendis omnino esse ordiendum. Est enim in tota institutione Christiana haecce JESU CHRISTI persona primaria, atque ideo erga huncce sensus studiaque praecipuam aliquam indolis Christianae partem faciunt. Conf. Matth. X: 37 seqq. XVI: 24 seqq. Joh. XV. Rom. VI et VIII. Gal. III: 20 seqq. Eph. II: 5 seqq. Col. II: 12 seqq. I Joh. II: 3 seqq. 23 seqq. III: 3 seqq. 16 seqq. V: 12. Conf. item I Cor. XVI: 21. Et ante omnia quidem de hoc erga JESUM CHRISTUM animo agendum videtur, si naturae viam sequi volumus; nam Christianus homo per hunc ipsum erga JESUM amorem ad patrem Deum amandum et ad reliquos omnes sensus Christianos fovendos adducitur, conf. Joh. XIV: 6 sqq.

2. Fons omnium de JESU CHRISTO sensuum, in universa hominis Christiani indole positus, hic est, quod is, CHRISTI praestantiam amoremque mente cernens animoque persentiens, CHRISTUM illum amat, utpote suum hominumque omnium Conservatorem, §. XXVI, 2, 3. Cumque omnis amoris consilium in eo sit positum, ut amans se cum amato quam intime conjungat, coll. §. XXIII, 5; facile intelligitur finem, quem homo, CHRISTUM amans, sibi proponit, esse huncce, ut et se ipse quam maxime cum CHRISTO conjungat et alios quam plurimos cum hoc, hominum omnium Conservatore, conjunctissimos reddat. Conf. §. XXXI, 3. coll. §. XXXII, 1.

3. Ita CHRISTUM amore complecti oportere ipsum, homo Christianus videt sentitque; coll. §. XXVI, 6. Et vero si reputemus, quantam quamque eximiam salutem CHRISTUS ille nobis largiatur; ratione nostra non rite utamur, si illius salutis auctorem non diligamus, conf. Matth. X: 37. 1 Cor. XVI: 22. I Joh. V: 12. Sin cogitemus, quam eximia sit ipsius illius JESU CHRISTI praestantia; omnem boni divinique sensum exuamus, nisi optimum illum vereque divinum amemus, Joh. VIII: 38—49. XIV: 24. col. 9, 10. XV: 23. Hebr. I: 1 seqq. I Joh. II: 23. IV: 15. Sin denique recordemur, quid ille quantumque fecerit et passus fuerit et faciat etiamnum, quantumque nobis ostendat amorem suum; sane omni sensu atque humanitate destituti simus, nisi sentiamus atque videamus, hunc Conservatorem toto esse animo diligendum, vid. Matth. XXIII: 37. Joh. XV: 13—16. I Cor. VI: 20. Eph. III: 18 seq. Hebr. II: 2 seq. X: 26—29. XII: 25. I Petr. I: 18 seqq. II: 21 seqq. I Joh. III: 6. — Uti autem hoc oportere ipsum, sentit homo Christianus, ita etiam talis erga CRHISTUM amor

revera ipsi inest, conf. §. XXVI, 7. Neque mirum sane. Per ipsam enim naturam nostram amare solemus parentes et institutores, diligere etiam quodammodo sapientes probosque, quos nunquam vidimus, quorum vero scriptis aut vitae historia meliores evasimus: quanto igitur magis nos natura cogit, ut illum amemus, a quo summa in nos salus redundat. Si verum est illud antiquorum dictum: virtutem, si oculis conspici posset, mirabiles sui excitaturam esse amores; naturae sane congruens est, ut perfectam, in JESU CHRISTO patefactam, virtutem impensissime amemus. Cumque omnium experientia doceat, quod antiquitus jam dici solebat: *ἔρως ἀντέρωτα τίκτει*, nihil magis naturae est consentaneum, quam, quod historia commonstrat, JESU CHRISTI summum amorem revera in genere humano maximos et saepe mirabiles in ipsius sectatoribus excitasse amores, vid. v. c. Joh. XI: 16. XIII: 37. XXI: 15 seqq. Gal. II: 20. II Cor. V: 14 seq. I Petr. I: 8.

De eo, quod diximus, spiritualibus beneficiis amorem excitari, conf. *Memorabilia Socratis*, L. III, c. 11, et GARVE, *Anmerkungen* ad Cic. de Offic. L. II, p. 42. De virtute, amorem excitante, conf. CICERO, *de Offic.* L. I, c. 5, et *Laelio*, c. 8, 9, 27.

4. Quodsi jam interius in omnem illius erga CHRISTUM amoris naturam inquiramus; primo loco indagandum est, quomodo erga illum et exsistere et adesse amor possit. Plerumque enim amor, aeque atque amicitia, oriri solet consuetudine cum aliquo colenda. Jam vero JESU CHRISTO inesse praestantiam summam, illiusque vitam, quam olim his in terris degit, nobis quam maxime esse salutarem, vident

omnes. Sed ita multi etiam subsistunt in eo, ut, prouti viros ex antiquitate sapientes aut probos, et nobis utilissimos, qui olim vixerunt, homines, v. c. Reformatores quodammodo diligimus, sic prae caeteris amare JESUM CHRISTUM dicendi sint. Hi vero mortuum potius Conservatorem, aut certe absentem colere dicendi sunt, simillimi primis JESU amicis eo tempore, quo *πνευματικὴν* cum ipso Dei Filio consuetudinem nondum capiebant, conf. Matth. XXVIII: 20. Joh. XIV: 23. coll. Act. I: 6, 8. Imo vero, qui olim his in terris vixit, idem ille Dei Filius respiciendus est ut vivens etiamnum et agens et amoris sui documenta nobis perpetuo praebens. Vid. omnino §. XXI. Id et novit germanus Christianus et sentit, atque ita cum CHRISTO vivente sibique praesente consuetudinem colit, §. XXIX, 4. Sic demum verus erga CHRISTUM amor et exsistere et vigere potest. Et vero ita viventem CHRISTUM Apostoli amarunt eumque viventem ab omnibus amari voluerunt cum Apostoli, tum et ipse JESUS, Rom. VI: 5, 9—11. XIV: 8 seqq. Gal. II: 20. Eph. II: 6. col. IV: 7—16. Col. III: 1 seqq. coll. I: 18 seq. II: 19. Apoc. I: 18. II: 2, 4, 8—10. III: 14 seq. 19 seq.

De consuetudine, quae ad amorem requiritur, conf. CICERO, *Laelio*, c. 8, 9. De consuetudine cum CHRISTO vivente colenda, conf. J. HERINGA, *Leerredenen ter aanprijzing van Christel. deugden*, p. 32, 35 seq. 52.

5. Deinde notandum est, hunc erga CHRISTUM amorem vero nomine esse amorem dicendum. Non modo studium est obsequendi JESU praeceptis: hoc sane amoris erga CHRISTUM fructus quidem est; amor vero ipse non est, vid. Joh. XIV: 15. XV: 14—16 coll. etiam I Joh. II: 3—6. Neque modo est eorum, quae

CHRISTUS olim egit, grata recordatio ad admirationem ejus incitans, quo modo Paulum, Johannem, Reformatores colere solemus, conf. I Cor. I: 12 seq. III: 5, 22 seq.; illa cum CHRISTI amore juncta quidem esse debet, neque tamen illa sola viventis praesentisque Conservatoris amor dici potest, vid. Obs. 4. conf. Joh. XV: 1 seqq. Veri nominis est amor, quo viventem CHRISTUM diligimus. Cujusmodi amori, verissime ita dicto, inest et hoc, quod mens percipiat aut saepe aut perpetuo praestantiam et amabilitatem viventis amici, et hoc, quod animus amabilitatis illius documenta identidem persentiat, et hoc, quod voluntate sua amans cupiat cum a sua parte vivere amico eique se vovere, tum simul amici praestantia frui quam maxime ut sua. Scilicet uti appetitus humani omnes spectant conjunctionem rei expetitae nobiscum efficiendam, ita ille appetitus, qui vero nomine amor dicitur, studium est, non rem aliquam, sed aliquem hominem ipsum sive personam aliquam ipsam nobiscum intime conjungendi, ita ut ille totus noster sit, nos illi vivamus toti. Itaque vero amore Christiani et mentem suam suumque animum vovent consecrantque CHRISTO, et CHRISTI mentem voluntatemque vicissim sibi expetunt, accipiunt ut suam, in se ipsius spiritum suscipiunt. CHRISTO cogitant, sentiunt, volunt, CHRISTO omnino vivunt; vicissimque illius sententiam, sensa, studia reddunt sua, omnemque illius vitam spiritumque faciunt suum. Vid. Joh. XV: 14 seq. XVI: 13 seq. XVII: 21 seqq. II Cor. V: 14 seq. Gal. II: 20. Conf. §. XXIII, 5, 6.

Conferri merentur, quae exposuit de amoris natura HEMSTERHUIS, *Lettre sur les désirs*, Opp. T. I, et *Aristée*, T. II, p. 62. Conf. etiam CICERO, *Laelio*, c. 4, 21, 25, 27.

6. Uti autem Christianorum erga CHRISTUM animus genere suo vere amor dicendus est, ita porro indagandum est, qualis sit haecce in eo genere amoris species. Specie enim diversi solent esse amores, pro diversitate eorum, qui diliguntur. Estque adeo reputandum, JESUM CHRISTUM et plane Divinum esse et humanissimum, et amore humanissimo eodemque Divino hominum Conservatorem, §. XIX, XX. coll. §. XXI. Cum igitur aliter amare soleamus illos, qui mentis praestantia nobis sunt inferiores, nempe nos demittendo ad eos, ut eosdem ad nos erigamus; aliter diligere aequales, scilicet quae nobis propria sunt cum iis communicando, vicissimque quae iis insunt mutuo accipiendo; aliter denique amare nobis superiores, nos nempe extollendo ad eos, et eorum ad nos dotes virtutesque derivando; hujusce speciei est amor, quo JESUM CHRISTUM, unicum illum Deoque proximum Dei Filium, diligimus. Conf. Joh. XIV: 6—12. Phil. II: 5 seqq. Hebr. I: 1. — II: 3, coll. X: 29. I Joh. II: 3 seqq. — Alius etiam amor est erga eos, qui aut minore naturae imbecillitate aut minorum vitae difficultatum experientia a nobis diversi sunt, horum enim neque misericordiam sperare audemus neque exemplum in rebus illis difficilioribus sequi possumus; alius autem erga eos, quos et naturae imbecillitate et difficultatum experientia nobis similes esse novimus, quorumque ideo et *συμπαθείαν* confidenter speramus et exemplum lubenter sequimur. Hujus speciei est amor erga CHRISTUM, utpote humanissimum, qui naturae nostrae et *σαρκὸς* fuit particeps vitaeque humanae difficultates sua ipse experientia novit, Matth. XVI: 23. Hebr. II: 10—18. IV: 15—V: 9. XII: 2 seqq. II Tim. II: 11 seq. I Petr. II: 21 seqq. IV: 13. I Joh. III: 16. — Denique aliter amare eos solemus, quibus ipsi benefacimus,

genererose laetantes, quod illos reddere meliores felicioresque possumus, quomodo parentes liberos suos diligunt; aliter eos, a quibus ut beneficia accipimus, ita mutuo ea iis referimus, gaudentes ex aequo par pari nos posse referre, quo modo amicos amant amici; aliter vero eos, a quibus unice beneficia accipere, nihil vero beneficiorum referre, summisso gratoque animo agnoscentes omnia nos iis debere, cumque referre nil possimus, tanto impensius studentes eorum certe generoso amori respondere, quomodo parentes suos liberi, institutores alumni diligunt. Ad hanc speciem omnium maxime referendus est amor Conservatoris illius, cujus gratuitae erga nos benevolentiae omnia debemus, Joh. XV: 1 seqq. 13, 16. I Cor. VI: 20. II Cor. V: 14 seq. Gal. II: 20. I Petr. I: 18. III: 18. I Joh. III: 5 seq. 16.

7. Ad amoris erga CHRISTUM naturam plane perspiciendam superest, ut etiam disquiramus, qualis sit illa cum CHRISTO conjunctio, quam hic amor et spectat et efficit, coll. Obs. 2. Non autem ea est unio quaedam mystica, qua immediate CHRISTUS lucem aut vim suam in animum patientem quiescentemque infundat, quaeque naturâ suâ sit inexplicabilis. Imo conjunctio est mentis animique, qualis ex omni vero amore oritur, coll. Obs. 5, qualisque exsistere solet intercedente cum ratione, alterius praestantiam et amabilitatem cernente, tum sensu, praestantiae illius amorisque documenta percipiente. Talem cum CHRISTO conjunctionem atque ἑνότητα, omni vero amori propriam, voluisse et JESUM ipsum et ejus Apostolos, patet collatis ipsorum dictis, Joh. XVII: 21, 23. Act. IV: 32. Eph. IV: 3, 4. I Cor. XII: 13. conf. etiam I Cor. VI: 17. coll. 16. — Neque vero etiam dicendum est, nihil aliud esse illam

conjunctionem, nisi quod Christiani ad CHRISTI praecepta mores componant; imo ne in sola quidem mentis animique cum CHRISTO similitudine est subsistendum. Similitudo ejusmodi mentis animique nobis intercedere etiam cum mortuis potest. De vera autem cum viventibus conjunctione valet illud Ciceronianum de amicis dictum: Virtus virtutis lumen adspiciens agnoscensque in alio, *ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est.*" Cum ergo non mortuum sed viventem perpetuoque nos amantem curantemque diligamus Conservatorem, coll. Obs. 4; est etiam ejusmodi nostra cum illo conjunctio, in qua mutua actio est et consuetudo. Quare et JESUS ejusque Apostoli dicebant Christianos *εἶναι ἐν τῷ Χριςῷ, ζῆν ἐν τῷ Χριςῷ*, sed et vicissim CHRISTUM *εἶναι* atque *ζῆν ἐν αὐτοῖς*, Joh. XV: 4, 5, 7. XVII: 21, 23. II Cor. V: 17. Gal. II: 20. III: 28 Col. I: 27. I Joh. II: 5, 24, 27 seq. IV: 15. Conf. §. XXIX, 4. — Est ergo vera vitae communio mutuaque conjunctio Christianis cum CHRISTO intercedens, uti amicis cum amico, ipsis superiore uniceque communicante cuncta et ex sua abundantia ipsis largiente. Etenim, coll. Obs. 6, nos quidem animum mentemque unice devovere nostram CHRISTO possumus, dum ab eo accipimus quicquid in ipso est, summo cum amore nobiscum communicatum; sed est haec tamen vera vitae communio conjunctioque mutua dicenda. CHRISTUS enim vivens perpetuoque nos amans summo cum studio semper nos curat, semper magis perfectiusque mentem suam suamque voluntatem nobiscum communicat, amoris sui vim perpetuo sentiendam praebet et experiendam. Nos autem id cernentes et sentientes, ei nos admovemus, animumque ita ad eum convertimus, ut non nostris amplius opinionibus aut

cupiditatibus indulgeamus, sed ad ipsius sentiendi, judicandi, volendi rationem nos componamus, atque ipsi vivamus toti. Eoque ipso fit, ut vicissim accipiamus illud, quod in illo est, ipsius mentem voluntatemque suscipiamus ut nostram, ipsius spiritu, ut nostro, agamur. Vid. prae caeteris Joh. XV: 1 seqq. XVII: 26. I Joh. II: 5, 23—28. Rom. VI: 4 seqq. VIII: 9 seq. XIII: 14. II Cor. V: 14. Gal. II: 20. III: 27 seq. Eph. II: 5 seq. III: 14—20, coll. IV: 7—12. Col. III: 1—11.

CICERONIS locus spectatus legitur in *Laelio*, c. 27. Caeterum conferri meretur ratio, qua amicitiae conjunctio depingitur I Sam. XVIII: 3, 4.

8. Hisce, quae Obs. 4—7 exposuimus, perspectis, reliqua facile intelliguntur, hinc derivanda.

Et sensus quidem, huic erga CHRISTUM amori proprii, quinam sint, sponte perspicitur, dummodo, coll. Obs. 6, reputemus, CHRISTUM illum et Divinum esse, et humanissimum, et Conservatorem esse jam nos beantem, et talem esse perpetuo futurum. Est itaque huic amori propria veneratio, summae Divinaeque CHRISTI excellentiae congrua, cum verbis sese patefaciens tum vero vita omni, ita directa, ut ne quid illius excellentiae contrarium agatur, conf. Obs. 6. Talis est haec veneratio, ut etiam precando CHRISTUM Ecclesiae Principem Divinum adeamus, licet haec Filii veneratio summae ipsius Dei adorationi sit subjecta, Joh. V: 23[a]. coll. 19, 23[b]. Matth. X: 40. — Joh. XVI: 23—27. Luc. XXIV: 52. Act. I: 24. Phil. II: 11. Est item illa erga CHRISTUM amori propria singularis caritas, στοργή, sive tenerrimae illius benevolentiae sensus, qua humanissimus ille imbecillitatis miseriarumque nostrarum

συμπαθείαν habet; qui sensus ostendit se maxime cum in ope ipsius confidenter imploranda, tum in exemplo ipsius in aerumnis lubenter sequendo, coll. eadem Obs. 6. Cavendum modo, ne illam *συμπαθείαν* nobis proponamus, ut vitiosam quandam indulgentiam, dum eâdem contra ad virtutis constantiam simus erigendi, Hebr. IV: 16. XII: 2 seqq. Porro in hoc amore regnat gratus animus, sive sensus et beneficiorum a CHRISTO in nos collatorum, et vero etiam gratuiti, quo haec in nos confert, amoris, Joh. I: 16. XV: 13. I Tim. I: 12— 14. I Joh. III: 16; isque cum gratiis CHRISTO agendis se patefacit, tum studio respondendi ipsius *χάριτι* beneficiisque ipsius rite utendi, coll. iterum Obs. 6. Denique eidem amori propria est fiducia, sive quies et constantia animi, fundata in certa de CHRISTO perpetuo Conservatore persuasione; quae fiducia et sorte nostra contentos, et in mediis aerumnis ipsaque morte imperterritos nos reddit aut etiam laetantes, Joh. XVI: 22, 23. Rom. V: 2 seqq. VIII: 34 seqq. Phil. IV: 13. II Tim. IV: 6—8. I Joh. II: 28.

Medio etiam litium Arianarum aevo egregie scripsit HILARIUS, *de Trinit.* L. II, c. I, oportere nos *adorare Patrem et venerari cum eo Filium, sancto spiritu abundare.*

9. Voluntates autem agendique rationes, ad quas ille erga CHRISTUM amor incitat, quaenam sint, facile intelligitur ex natura amoris illius, quo superiorem aliquem diligimus; conf. Obs. 6. Etenim eximium aliquem atque mente animoque superiorem diligentes, et hujus praestantia frui, et mentem ejus voluntatemque sequi volumus, et eum, quem ipsi summo loco habemus, eodem ab omnibus haberi cupimus.

Erga amor ille impellit ad perpetuam intimamque cum CHRISTO, utpote amico optimo, consuetudinem colendam, de qua vid. §. XXIX, 4. coll. etiam §. XXX, 2, 3. Conf. Joh. XVI: 22. coll. XIV: 23. Eph. III: 17—19. I Joh. II: 27 sq. I Petr. I: 8, et quodammodo Joh. XIV: 3. XVII: 24. Phil. I: 21—23. I Joh. III: 2. Incitat item ad studium perpetuum, menti voluntatique CHRISTI respondendi, ut summa sit sententiarum, studiorum voluntatumque nosmet inter et illum Divinum amicum consensio: quod quidem studium se patefacit cum universe agendo quod ille jubet, et imitando, quod ille praebuit praebetque etiamnum, exemplo, tum speciatim inserviendo ipsius consiliis, in illustrando, perficiendo beandoque genere humano positis, conf. Joh. XIII: 34 seq. XIV: 15, 23. XV: 10—17. XVII: 14. II Cor. V: 14—20. I Joh. II: 3—11. I Petr. II: 21. Ex quo simul intelligitur, illam CHRISTI jussis praestandam obedientiam non coactam quamdam aut sine perspectis rationibus praestandam esse, sed profluentem ex ipsius CHRISTI spiritu, ita suscepto, ut cum ratione ipsi et sponte ejus dictis aeque atque exemplo obsequamur, omnemque ipsius referamus imaginem, conf. insuper Matth. XX: 26—28. Joh. XV: 14 seq. Rom. VIII: 3—9. I Joh. II: 27. III: 16, et §. XXVII, 3. §. XXVIII, 3. Denique ille erga CHRISTUM amor impellit ad studium hujus CHRISTI vim praestantiamque omnibus patefaciendi, utpote de qua Divini nostri omniumque amici excellentia silere nequeamus, sed quam omnibus commendare gestiamus: quod studium patefit cum agnoscendo profitendoque illo Conservatore nostro coram omnibus, licet vel ei etiamnum inimicis, tum ostendendo in vita omni, quid ipsius in sectatoribus valeat spiritus, conf. Matth. X: 28,

32, 37 seq. Joh. XIII: 35, 37 seq. XVII: 21, 23. Act. IV: 8 seqq. 20. V: 40—42. II Cor. VI: 3 seqq. coll. V: 14. I Petr. III: 16. IV: 11, 14—16. et §. XXXI, 3—5. — In his omnibus, quae actionibus externis patefiunt, semper ratio est habenda finis, quem, coll. Obs. 2, ille amor spectat, cunctis iis quae vult agitque; namque tum demum agere bene dicendi sumus, quando non modo ex fonte puro actiones profluunt, sed et ad finem, quam nobis proponimus, bonum attingendum apte reguntur. Itaque et illa cum CHRISTO consuetudo sic est colenda, ut non modo consolationi sed et perfectioni nostrae et arctiori cum eo conjunctioni inserviat, coll. I Cor. XI: 26, 28 seqq.; et CHRISTI menti voluntatique respondendi voluntas sic est dirigenda, ut, quod jam monuimus, quam plurimos ipsi fidentes et cum ipso junctos reddamus eosque semper magis fidos interiusque junctos; et illud studium τὴν δόξαν CHRISTI provehendi sic regundum est, ut ne oleum et operam perdamus et inconsiderato studio plus mali quam boni efficiamus, sed ut cum ratione sperare queamus, fore ut illius praestantia agnoscatur sensimque plures intime cum eo conspirent, conf. Matth. VII: 6. X: 13 seq. Act. XIII: 46.

Ad ea, quae de consuetudine, ut naturali amoris effectu, dicta sunt, conf. CICERO, *Laelio*, c. 4, 6, 27. et *de Senectute*, versus finem.

10. Denique, quaecunque hisce sensibus et voluntatibus (Obs. 8, 9) aut contraria sunt aut minus perfecte respondentia, ad haec omnia fugienda amor erga CHRISTUM incitat. Itaque quo magis quisque JESUM CHRISTUM amat, eo magis et ipse abhorret et alios reddere studet abhorrentes ab illius contemtu,

Hebr. X: 20, a diffidentia, Hebr. IV: 15, ab animo ingrato, Gal. II: 21. III: 1 sqq. V: 4, ab inconstantia, I Cor. XV: 58; eoque studiosius cavet, ne, consuetudine cum CHRISTO intermissa, ab eo sejungatur, Joh. XV: 4, 6. Hebr. XII: 2. coll. 12, ne animi cum ipso consensione destituatur, Rom. VIII: 9, 12 seq., neve sua culpa unquam CHRISTI nomini atque honori quicquam detrahatur, I Petr. III: 16. Abhorret enim omnium maxime ab eo, ut vel ipse vel alii Ecclesiae socii sint vero CHRISTI amore destituti, I Cor. XVI: 22. Imo, amoris illius haec est vis, ut quicquid unquam quis jam peregerit boni, nunquam id sufficere autumet, sed ad perfectiora tendat semper, Phil. III: 12—14. conf. §. XXIII, 5, 6.

11. Quodsi jam celare diffiterique nolumus, sed, quod verum est, fatemur, ad JESUM CHRISTUM rite perpetuoque amandum opus esse, ut et nostris ipsorum cupiditatibus resistamus, et suavia grataque multa linquamus, et difficultates interdum summas adeamus, et honores imo amores hominum non raro vilipendamus, Matth. X: 28—38. XVI: 24. Luc. XIV: 26—33; sentiemus sane, nobis, dum hac in terra vivimus, necessariam esse rectam certamque illius amoris conservandi rationem, conf. §. XXIX, 2. Conservatur autem hicce erga CHRISTUM amor cum per universam cum Deo sanctisque communionem, de qua §. XXIX, XXX, tum speciatim per ipsam illam cum CHRISTO consuetudinem, ad quam hic idem amor incitat, coll. Obs. 9. Estque adeo, ut omnis amicitia verusque amor, ita et hicce erga CHRISTUM amor veluti ignis semet conservans et alens. Conf. Joh. VI: 68. XI: 16. XIII: 37. II Cor. III: 18.

De consuetudinis ad amicitiam alendam vi conf CICERO, *Laelio*, c. 9.

12. Atque ita, quo magis perficitur hicce amor, eo magis effectum habet sane egregiam. Per suum CHRISTI amorem adducitur homo ad semet cum ipso Deo intime jungendum Deique imaginem inter homines referendam. Quodsi enim de omni vero amore valet illud antiquitatis dicium: *οὐδεὶς οὕτω κακὸς, ὅντινα οὐκ ἂν ὁ ἔρως ἔνθεον ποιήσειε πρὸς ἀρετήν·* sane Divinum amantes JESUM CHRISTUM, omnium maxime divini evademus ipsi. conf. Joh. I: 14, 16 seq. Quare et docet historia, hoc potissimum amore ab initio inde et omnibus Ecclesiae temporibus homines evasisse Dei plenos spiritu, *θεοπνεύςους* et vero conspicuos *ἐνθουσιασμῷ*. Conf. Act. IV: 8 seqq. V: 41 seq. VII: 55. coll. 51 sqq. Rom. VIII: 3—14. II Cor. V: 14—VI: 10. CHRISTUS est, isque unus, qui plane perfecteque, per amorem erga ipsum, adducit homines ad Deum, Joh. XIV: 6. I Petr. III: 18.

Locus antiquitatis laudatus invenitur apud PLATONEM, *Sympos.* p. 179. De amore CHRISTI *θεοπνευςίας* fonte conferri potest F. A. KRUMMACHER, *Ueber den Geist und die Form der Evangelischen Geschichte*, §. 28, seqq. imprimis §. 30.

§. XXXV.

De eorundem erga Deum animo.

Cum per CHRISTUM homo Christianus adducatur ad Deum cognoscendum venerandumque atque eo ipso ad divinum spiritum in omnibus referendum; secundum, quod in eo nobis contemplandum sese offert, est, quinam ejus erga ipsum Deum sint sensus voluntatesque.

Hunc autem Deum, per CHRISTI omnium maxime patefactionem, cernens sapientia reliquisque virtutibus omnibus perfectissimum, ita quidem ut amore praesertim gratuito et paterno infinite sit amabilis, tum vero etiam sapientiae, perfectionis salutisque eumdem reputans et sibi et hominibus omnibus auctorem esse supremum (§. XIX, XX), homo Christianus, videt sane sentitque, eum summo atque omnia superanti amore esse diligendum. Et quo magis mente animoque vere est Christianus, eo magis reapse ita Deum amat: atque ideo etiam finem sibi huncce proponit supremum, ut et se et homines cunctos in unum cum Deo conjungat.

Ita autem qui Patrem illum coelestem amat, non potest non eum et adorare supremum perfectissimumque, et tenerrima caritate complecti benignissimum, et grato animo summaque fiducia sese vovere huic omnis amoris salutisque auctori primo atque perpetuo. Idemque eo amore suo agitur cum ad consuetudinem illius Dei expetendam et precibus etiam, gratiarum actionibus omnique cultu sacro exercendam, tum ad spiritum ejus et fovendum in pectore et in vita omni demonstrandum, tum denique ad ejus vim excellentiamque summam

et patefaciendam omnibus et quam maxime cum omnibus communicandam: quo et ipse et omnes fiant Deo et simillimi et gratissimi. Atque ita animatus non modo contraria omnia summo prosequitur odio, sed etiam nunquam quiescit nullisque continetur terminis, summam quippe hac in re spectans perfectionem.

Uti autem per CHRISTUM ad Deum adducitur homo Christianus, ita etiam conservat perficitque suum Dei amorem consuetudine et cum CHRISTO et cum ipso Deo perpetua excolenda; praeterquam quod hicce imprimis amor est igni se ipsum alenti similis. Effectus autem ejus naturalis hic est, ut homo, Deo plenus, et divina sentiat velitque, et vero in genere humano agat divina omnia, verissime dicendus Dei in his terris imago.

1. Uti primo loco, §. XXXIV, agendum erat de JESU CHRISTO, summo Deum inter et homines μεσίτῃ, quippe per quem ad patrem Deum adducuntur Christiani; ita nunc ante reliqua omnia videndum est de horum erga Deum sensibus atque voluntatibus. Etenim quaecumque vel de semet ipsis vel erga alios sentiunt voluntque Christiani, haec omnia ex ipsorum erga Deum animo profluunt: religiosa est horum virtus tota, indoles universa Deo consecrata, sancta, divina. Quapropter uti ex illis, quae de CHRISTO egimus, nunc pleraque Deum spectantia lucem accipient; ita hisce etiam perspectis, de reliquis om-

nibus postea facilius ex vero judicare poterimus, conf. I Cor. VI: 19 seq. I Joh. IV: 11.

2. Omnium sensuum voluntatumque Christianarum, Deum spectantium, fons est in hominis Christiani indole universa. Hicce enim a CHRISTO informatus ad cernendam mente animoque persentiendam Dei praestantiam caritatemque paternam, jam huncce suum hominumque omnium patrem amat, §. XXVI, 2, 3. Hujus autem amoris consilium nullum vel inferius vel aliud esse potest, quam ut et ipse cum Deo hocce toto sit animo conjunctus et reliquos homines, quantum possit, omnes cum hocce omnium patre conjunctissimos reddat, conf. §. XXXIV, 2, et ibi laud. §. XXXI, 3. §. XXXII, 1.

3. Oportere sic ipsum erga Deum animatum esse, sentit novitque Christianus, §. XXVI, 6. Et vero si reputemus, omnem omnino summamque etiam per CHRISTUM salutem a Deo repetendam esse auctore, ratio nostra ad huncce nos diligendum ducit, conf. Joh. XV: 1. XVII: 2, 3. II Cor. VI: 18. VII: 1. I Petr. II: 9 seqq. I Joh. IV: 14 seq. 19. Sin praestantiam in Dei Filio, a Patre oriundam (coll. Joh. V: 19. XIV: 28. XV: 10, 15.) veneramur et diligimus; multo etiam magis Deus ipse, praestantiae omnis et fons et exemplar supremum, adorandus et summo amore prosequendus est, Matth. XIX: 17. Joh. XVII: 3, 6. Rom. XI: 36. I Cor. VIII: 3, 6. I Petr, I: 15 seqq. I Joh. I: 5 seq. Et si propter insignem erga nos *χάριν* amandus est JESUS CHRISTUS, multo etiam magis diligendus est ille Pater, qui amoris omnis fons est habendus, coll. §. XX, 7, 8. Conf. Joh. III: 16. Rom. XII: 1. I Joh. IV: 7—19. — Neque modo sentiunt videntque, tales ipsos esse oportere, sed et genuini Christiani revera tali erga

Deum amore ducuntur; nihilque magis naturae est consentaneum, quam ut summo Patrem huncce coelestem amore prosequamur, coll. §. XXVI, 7. §. XXXIV, 3.

4. Quodsi jam omnem hunc Christiani hominis erga Deum animum accuratius exploremus, ante omnia inquirendum videtur hocce: quomodo fiat, ut omnium erga Deum sensuum in illo fons esse amor queat. Sive enim Deum illum omnipotentem sanctissimumque, nos autem imperfectos perversitatique obnoxios esse reputamus; videatur reverentia potius quam amor erga Deum regnare in omni nostra religione debere. Sive religiones praeter Christianam puriores respicimus; Hebraei plerumque *timorem* et *reverentiam* Dei, יראה et פחד, laudabant, Mohammedani autem, ut ex vocibus إسلام et مسلم liquet, eum habent verum Dei cultorem, qui Deo *se tradit*, *Dei se imperio subjicit.* Qualis reverentia, obedientia et Dei imperio subjectus animus si in religione regnare debeat, summum sane homini existimandum est hocce, ut legem Dei imperantis observet; totius hominis cum Deo conspiratio adesse nequit, cum ejusmodi conspirationem solus efficere amor queat, coll. §. XXIII, 5, 6. At vero per CHRISTUM nos eum cognovimus esse Deum, in quo praestantia omnis uno sapientissimo, sancto potentissimoque continetur amore, atque in omnibus omnino praesentem semper agentemque experimur Deum summopere nos amantem, coll. §. XIX, 4—7. §. XX, 1, 7—9. §. XXIX, 4. Talem autem qui et novit et experitur plane in Deo regnantem amorem, hoc ipso sane ad redamandum unice ducitur; ἔρως γὰρ ἀντέρωτα τίκτει. Conf. Rom. VIII: 15—39. I Joh. III: 1. IV: 8—19.

5. Deinde, quod jam hinc intelligi potest, tenendum est, veri nominis amorem esse, quo Deum Christiani prosequuntur. Neque enim cum iis, qui soli nimis favent sive rationis sive potius intelligentiae facultati, statuendum est, studio Christianos duci placendi Deo, ut felices ipsi evadant. Cujusmodi Eudaemonistica sententia Euangelio minime est congrua, coll. §. XXIII, 3, 5, 6. vid. etiam II Tim. III: 2, 4. Neque cum philosophis nonnullis, sensum animi ex re morali excludentibus, dicendum est, nihil aliud esse amorem erga Deum posse, nisi studium lubenter Divinae legi obsequendi, verumque amorem ideo esse ex Ethica eliminandum, quia juberi amor nequit. Praeceptorum Divinorum observatio amoris erga Deum fructus est, vid. I Joh. V: 3. coll. XIV: 15. et conf. §. XXXIV, 5. Amorem autem non jubet, ut imperans, Deus, sed ad amorem nos suo amore Pater informat, conf. §. XXII, 3. §. XXIII, 6. §. XXVIII, 3. Neque cum mysticis nonnullis, in sensu solo haerentibus, fingendus est ejusmodi purus, ut dicitur, amor, quo Deum, etiamsi vel in aeternum infelices nos reddere velit, tamen diligamus. Cujusmodi fictio cum naturae humanae omni tum et amori, vi sua hominem felicem reddenti, adversatur, conf. Joh. XVII: 3. I Joh. V: 20. Imo verus est, quo Deum complectimur, amor, quippe qui et experimur atque cognoscimus Dei erga nos amorem, et hujus vim excellentiamque toto persentimus animo, et eo ipso impellimur, ut cum Deo nos intime conjungere studeamus, ita quidem, ut nos mentem animumque et voluntatem nostram Deo tradamus atque devoveamus, vicissimque Dei mentem voluntatemque et spiritum omnem suscipiamus, ut nostrum. Vid. Joh. IV: 34. XVII: 3,

21—23. Rom. VIII: 9, 14 seq. I Cor. VIII: 2, 3. coll. XIII: 12. I Joh. IV: 7, 8, 15 seq. Conf. §. XXXIV, 5.

De Eudaemonistica illa sententia vid. REINHARD, *Syst. der Christ. Mor.* §. 180, n. 2, et imprimis KANT, *Critik der practischen Vernunft*, Lips. 1818, p. 144, in annot. Sensum animi ex Ethica excludere voluit imprimis idem hicce KANTIUS, vid. l. l. p. 141—150, et *Das Ende aller Dinge*, in ipsius *Vermischte Schriften*, III B. p. 271. Conferri vero meretur REINHARD, l. l. et ipsius KANTII dictum, loco postremum laud. p. 270, 273. De mystica illa, a FENELONE inter alios commendata, sententia vid. REINHARD, l. l.

6. Porro videndum, cujusnam sit speciei hicce erga Deum amor. Conf. §. XXXIV, 6. Est autem Deus et perfectione sua omnium eminentissimus, et amore infinito unice amabilis, et omnis omnino salutis auctor supremus, §. XIX, 4—8. §. XX, 6—9. Itaque ejusmodi amor est, quo nos ad eum, qui virtute superior est, erigimus, ut ab eo vim praestantiamque derivemus, Joh. XV: 1, 8. Eph. IV: 24, 32. V: 1. I Petr. I: 15 seq. I Joh. II: 9. Est item amor erga eum, a quo nos naturae infirmioris dissimilitudo non repellit, naturae autem excelsioris similitudo ad eum allicit. Possit facile quidem naturae nostrae σαρκικῆς infirmitas omnisque nostra imperfectio timore nos ab omnipotente sanctoque Deo repellere. Sed, patefacta per CHRISTUM χάριτι atque φιλανθρωπίᾳ τοῦ Θεοῦ, sine metu ad illum accedimus, Joh. III: 16—18. Rom. V: 1—5. VIII: 15, 33 seq. Eph. II: 18. III: 12. Hebr. IV: 16. X: 19. I Joh. II: 1, 2. Imo et ingenio nos Deo cognatos et indole nos Patri similes sentientes, confidenter ab omnipotente bona omnia exspectamus Patrique nos dilectos gratosque

esse novimus, cum sit ὁμοίῳ ὅμοιος φίλος, Matth. VII: 9—11. Luc. XV: 2—32. Joh. XVI: 26 seq. Rom. VIII: 14 seq. I Joh. III: 21. IV: 17 seq. V: 14 seq. Est porro amor erga illum, a quo in nos unice beneficia conferuntur; quare submisso gratoque animo omnia nos ab eo accipere agnoscimus, nihil nos ei referre posse sentientes, nisi hoc unum, ut sponte lubentique animo ipsius amori respondeamus, Joh. XV: 1, 8. Rom. XII: 1. I Cor. VI: 19 seq. II Cor. V: 18 seqq. Eph. II: 8—10. Col. I: 12 seqq. I Joh. IV: 8—19.

Uti in omni amore ab amantibus amati accipere multa, sed et vicissim aliquid iis dare solent, ita et Deo, a quo omnia accipiunt, homines libere animum suum *dare*, semet ipsos libere *tradere*, scite monuit J. MÜLLER, *Lehre von der Sünde*, p. 51 seq.

Haec vero omnia minime sufficiunt ad speciem hujus erga Deum amoris rite distinguendam. Addendum necessario hoc est, hunc amorem specie sua plane esse unicum, quippe qui summus est et reliquos amores studiaque reliqua omnia superat et animum regit totum viresque occupat omnes, Matth. XXII: 37. Quod dictum non est quidem cum mysticis nonnullis et fanaticis, clara destitutis intelligentia, ita explicandum, quasi nullas omnino res creatas diligere, nullos homines amare liceat, sitque adeo ex humana societate discedendum, ut vitam in desertis agamus contemplativam. Quod et JESU exemplo et indoli toti hominis Christiani, Dei ad instar in omnium salutem vivere studentis, plane est contrarium, conf. I Tim. IV: 1—6. Neque vero in alteram partem peccandum est cum iis, qui rationi, sive potius intelligentiae, magis quam intimae pietati consulunt,

statuentes, dummodo nihil adversum sit Dei praeceptis, licere juxta Deum et alia multa diligere et homines imprimis amare. Imo, ut JESUS dixit, toto animo, viribus omnibus Deum amare seseque Deo consecrare totum, decet Christianum hominem. Namque Deus ille rerum omnium auctor est gubernatorque, sapientiae, perfectionis salutisque omnino omnis fons unicus, illiusque erga nos amorem summum omni tempore in omnibus experimur. Ille igitur amore summo diligendus et in omnibus omni tempore est amandus. Non modo omnia huic erga Deum amori adversantia studia sunt deponenda, Matth. VI: 24. Jac. IV: 4. I Joh. II: 15 seqq.; sed et nihil juxta hunc amorem in animo sedem habere debet, omnia infra eum, ei subjecta sint, unus hicce amor supra omnia sit et in omnibus nos regat, oportet: regat hic et ducat mentem totam, totum animum, pervadat cogitata omnia, omnia sensa, voluntates omnes. Hoc ductus amore homo Christianus in corporis sui animique viribus Dei diligit dona, I Cor. VI: 19 seq., in bonis externis internisque Deum amat donatorem, ibid. IV: 7. I Tim. IV: 4; in rerum natura Deum opificem gubernatoremque, Matth. V: 45. I Cor. X: 26; in fratribus Christianis indolem divinam Patris, I Joh. IV: 20. V: 1; in hominibus omnibus naturas ad Dei imaginem creatus, Jac. III: 9, denique in ipso Dei Filio ejusque salutari negotio diligit Patris amorem, *ἐξ οὗ τὰ πάντα*, atque ideo illum etiam ipsum ita honorat, ut et hicce honos tendat *εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς*, Matth. X: 40. Joh. XVII: 3. coll. III: 16. I Cor. VIII: 6. Phil. II: 11.

Egregie AUGUSTINUS, *Confess.* L. X, c. 29. »Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te

amat. O amor qui semper ardes et nunquam extingueris, caritas Deus meus, accende me!" Conf. item GARVE, *über Cicero's Büchern v. d. Pflichten*, ad L. II, p. 26, 35 seq.

7. Denique ad illius erga Deum amoris naturam universam perspiciendam inquirendum est, quaenam sit cum Deo conjunctio intima, quam ille spectat, coll. Obs. 2. Est haec non unio quaedam mystica, quali nonnulli statuerunt a Deo in animum quiescentem immediate infundi intuitiones, commotiones voluntatesque divinas. Hujusmodi unionem ne tum quidem spectabat JESUS, quando homines cum Deo *ἓν εἶναι* debere dicebat, vid. Joh. XVII: 21, 23. Neque vero contra de solis, legi Divinae consentaneis, moribus cogitandum est, aut etiam de una indolis cum Deo similitudine, in qua non adest mutua illa Dei hominisque actio, quam significant JESUS ejusque Apostoli, Joh. X: 38. XIV: 10, 11, 23, 24. XVII: 21. I Joh. IV: 15, 16. Vera est conjunctio atque mutua communio, quae Christianos inter et Deum intercedit. Deus enim perpetuo agit in animos nostros, nobis praesens semper adest, nostri conscius, nos curans, nos impensissime amans documentaque hujus amoris sui nobis praebens. Hoc et sentientes nos et videntes, ad eum nos admovemus et mentem animumque ad ipsius mentem voluntatemque componimus, atque eo ipso experimur, nos ipsius intima frui amicitia spiritumque ipsius sensim magis et perspicere et suscipere. Nos igitur Deo vivimus vicissimque Deum nobis viventem perpetuo magis experimur, conf. §. XXIX, 4. XXXIV, 7, et vid. Joh. X: 30. I Joh. II: 23. IV: 12 seq. V: 20, et loca modo laud. item I Cor. VIII: 2, 3. XIII: 12. Gal. IV: 9.

De formula, qua hac in causa utitur Paulus, γινώσκειν τὸν Θεὸν καὶ γινώσκεσθαι ἀπ᾽ αὐτοῦ, conferri potest *Comment.* mea *de* I Cor. XIII, p. 344 seqq. maxime 351 seq. De illa unione mystica conf. BORGER, *de mysticismo*, proleg. edit. 2, p. 21—31.

8. Ex hisce, Obs. 4—7, reliqua, quae huc pertinent, pleraque facillime derivantur.

Et sensus quidem, hunc amorem comitantes, quinam sint, sponte perspicitur, si, coll. Obs. 6, teneamus, eminentissimum, benignissimum, omnisque amoris atque salutis principium auctoremque supremum et esse Deum et semper esse futurum. Ideo enim huic amori propria est adoratio Dei, reliquam venerationem omnem superans, coll. §. XXXIV, 8. Esse etiam ei propria et potest et debet caritas, paternae Dei caritati respondens. Quodsi autem imbecillitatis imperfectionisque suae conscientia Christiani vix sanctissimum Deum adire, ut sui amantissimum, audent; ad id eriguntur recordatione JESU CHRISTI, hominum infirmorum perversorumque Conservatoris, etiamnum in coelo ipsorum salutem a Patre petentis, ejusdemque sanctissimi, cujus votis adspirat, cujus cum consiliis plane conspirat Pater, Rom. VIII: 34. I Joh. II: 1, 2. conf. Hebr. IV: 14—16. Porro illi amori proprius est animus gratissimus erga Deum, cum salutis omnis tum omnis amoris fontem atque principium. Denique in hoc amore summa est fiducia, sive animi quies atque constantia, fundata in persuasione, qua certum habemus, Deum et nunc et semper veram nostram summamque salutem esse procuraturum. Conf. de his Obs. 6. — Notandum autem, esse haud paucos, qui existiment, oportere eos confidere, Deum ipsorum votis cupiditatibusque consentanea procuraturum; quod JESUS perversae censebat

esse arrogantiae, Matth. IV: 7. Sunt item, qui vim fiduciae in hoc ponant, ut persuasum sibi habeant, Deum ipsos e malis esse liberaturum; dum JESUS ejusque Apostoli confidebant, Deum per mala ipsa eos ad veram perfectionem salutemque esse ducturum, Joh. XIII: 31—33. coll. XII: 24 seq. et Luc. XXIV: 26. Rom. VIII: 17 seqq., 28. Sunt etiam, qui fiduciae vim in eo quaerant, ut ausint expectare, Deum omnia procuraturum esse, etiamsi suas ipsi vires non adhibeant; in quo longissime absunt a viris sanctis, intensissimum virium omnium, cum in terrenis rebus omnibus tum in religiosis, usum commendantibus, I Thess. IV: 11. I Tim. V: 8. Hebr. VI: 11. II Petr. I: 5—10. Atque ita multi saepe fiduciam adhibendam censent, ut in malis se erigant spe instantis fortunae prosperioris; dum JESUS ejusque Apostoli fiducia se imprimis erigebant, ut in mediis malis et aequa mente omnia perferrent et constanti animo optima quaeque peragerent, Joh. XVI: 32 seq. Rom. VIII: 35—39. II Cor. VI: 4—10. Scilicet multorum, quae falso dicitur, fiducia ex sui ipsorum amore profluit suumque ideo ipsorum commodum spectat, Dei tantum rationem habens sui ipsorum causa. Vera fiducia ex amore erga Deum profluit et intimam cum Deo conjunctionem, tanquam finem, sibi proponit. Hac ergo vera fiducia homo Dei amans persuasum sibi habet omnia, quae agit et acturus est Deus, optima esse veraeque ipsius perfectioni salutaria. Hac corroboratus, in summo etiam difficultatum sensu, submisso animo in Dei providentia acquiescit, Matth. XXVI: 39, et in mediis calamitatibus saepe laetatur, sentiens iis se meliorem perfectioremque fieri atque ideo vere beatiorem, Rom. V: 3 seqq. Jac. I: 2 seqq. I Petr. I: 6 seq., et eo ipso erigitur, ut possit in

mediis etiam molestiis periculisque et perferre molestissima et difficillima perficere, Rom. VIII: 35. I Joh. V: 4.

9. Voluntates autem agendique rationes, ad quas idem ille erga Deum amor impellit, quales sint, intelligitur ex omnis veri amoris vi, coll. §. XXXIV, 9. Impellit igitur ille et ad consuetudinem cum Deo colendam, coll. Joh. XVII. Rom. I: 8—10. Eph. III: 14 seqq. Phil. I: 3 seqq., et ad vita omni respondendum Dei menti voluntatique, Joh. XIV: 31. Rom. VIII: 3, 9, 13 seq. Eph. IV. 32. V: 1. I Joh. IV: 8, 11, 13. V: 2, 3, et ad Dei praestantiam omnibus patefaciendam, Matth. V: 16. Joh. VII: 18. XII: 28. XIII: 31. XV: 8. XVII: 1 sqq. XXI: 19. Rom. XI: 36. Phil. II: 11. I Petr. II: 9. De hisce et de modo, quo haec omnia regunda sunt, ut fini, quem ille erga Deum amor sibi proponit, respondeant, conf. omnino §. XXXIV, 9. — Unum hoc speciatim notandum est, hominem Christianum Dei amore etiam adduci, ut creaturas omnes ratione destitutas, imprimisque inter has excellentia animalia, rite adhibeat tractetque, neque tantum eas non corrumpat aut prae petulantia perdat, sed etiam ad fines optimos et divinos exsequendos easdem reddat inservientes, conf. §. XXXI, 5.

Denique quaecumque huic erga Deum amori aut contraria sunt aut etiam minus congruentia, odit fugitque homo Christianus. Itaque aversatur a Divinae excellentiae contemtu, Gal. VI: 7, a metu Dei, Rom. VIII: 15. I Joh. IV: 18, ab animo ingrato, Hebr. X: 29, a diffidentia, superstitione et defectu fidei, Matth. XVII: 17—20. Luc. XXIV: 37 seqq. Joh. XVI: 2. Hebr. VI: 4 seqq. X: 26. I Joh. V: 16—21. Item cavet ab intermittenda cum Deo con-

suetudine, Matth. XXVI: 41. Luc. XVIII: 1, a patrandis iis, quae Divinae menti adversentur, Rom. VIII: 13, 14. I Joh. II: 15 seqq. III: 8—10, aut Dei praestantiae hominibus patefaciendae obsint, I Cor. XIV: 23—25, 33. I Petr. II: 12. Scilicet abhorret ab eo, ut ipsi imprimis, sed et ut aliis desit erga Deum amor, Joh. XV: 23. I Thess. II: 15. II Cor. VI: 1. Hebr. XII: 15. Imo amoris vi actus, nunquam quiescit, sed eo tendit, ut semper magis fiat *τέλειος ὥσπερ ὁ Πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐςι*, Matth. V: 48.

10. Cum ad consuetudinem cum Deo colendam, modo Obs. 9 memoratam, pertineat etiam jusjurandum, de eo videtur hoc loco paulo uberius disserendum.

Sunt enim, qui negent oportere Christianum, imo licere ei, jusjurandum praestare. Causa id negandi praecipua videtur in eo esse, quod sentiant probi, verum se semper profiteri dignosque ideo esse, quibus fides habeatur constanter. Accedit, quod nonnulli ejusmodi poenae Divinae provocationem in semet, si deficiant, nimis audacem esse vereantur. Videntur etiam aliqui existimare, Deum ipsum jurejurando excitari ad eos, si id non teneant, puniendos. Ex quo facile nasci opinio potuit multorum, opinantium jusjurandum tum quoque servandum esse, quando postea videris te promisisse, quod praestare non liceat. Itaque alii jusjurandum esse superstitionis effectum censuerunt, cum Deus vel sine hoc perfidum sit puniturus, neque existimandus sit invocatione humana ad id excitari. Addunt etiam istiusmodi ritu labefactari magis, quam confirmari veracitatem humanam. Atque adeo hi fere omnes provocant ad JESU et JACOBI verba, Matth. V: 34 seqq. Jac. V: 12, ut jusjurandum omne vetantia.

Praeter Teleiobaptistarum sententiam notissimam, vid. imprimis KANT, *die Religion, innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft*, p. 240.

Alii contra licere Christiano homini, imo oportere eum interdum jusjurandum interponere, affirmant. Non esse hanc quasi formulam quandam magicam, qua ipse excitetur Deus, sed affirmationem promissionemve, cum diserta hac professione, te Deum cogitare testem et falsitatis perfidiaeque vindicem. Hominem autem Christianum, qui Deum semper talem cogitet, minime dedecere talem quoque sese profiteri, imo id eum oportere, quoties id gravi de causa vel singulis quibusdam vel reipublicae possit prodesse. Esse enim hanc imperfectam etiamnum societatis humanae conditionem, ut non semper certo confidere queas, omnes Deum constanter ob oculos habere omniscium et justum rerum humanarum vindicem. Itaque insignem et omnium summam vim animis addi hac cogitatione Dei graviter menti proposita. Quodsi omnes sint, quales esse debeant, perpetuo pii, tum jurejurando non amplius opus fore. Addunt, JESUM et JACOBUM locutos esse de juramentis in vita communi, sine idonea causa, leviter pronuntiatis facileque ideo etiam violatis, et propterea eos non vetuisse jusjurandum per ipsius Dei invocationem praestitum, quod solum lege Mosaica erat jussum, coll. Matth. XXIII: 16 seqq. Itaque ipsum JESUM jusjurandum solenne praestitisse, Matth. XXVI: 63, atque Paulum non raro graviora quaedam asseverasse invocato teste Deo, Rom. I: 9. II Cor. I: 23. XI: 31. Phil. I: 8. I Thess. II: 5, 10. Commendari id etiam ab utilitate, Hebr. VI: 16. Quam ob rem oportere quidem, ut raro postuletur jusjurandum et gravi ratione id exigatur, ne aut fre-

quentia rei aut modus perversus ipsius vim perdat. Atque in vita communi levioribusque in rebus eo esse abstinendum, cum affirmatio sola fidem facere debeat. Sin vero id requirat grave aliorum commodum, profitendum esse, te Deum cogitare testem justumque vindicem. Atque adeo tum probe videndum esse, num certo scias, quod affirmes, et num possis atque liceat tibi praestare, quae promittas. Quodsi vero vel sic tamen postea videas, imprudenter te promisisse, quod praestare non liceat, tum non agendum esse, uti egisse narratur Herodes Matth. XIV: 9, sed discedendum esse a re perversa, licet vel per jusjurandum promissa, jubente hoc JESU, Matth. XV: 4—6. Sed tum profitendum esse errorem coram Deo semper et coram hominibus quoque, nisi fide his data jam fueris solutus.

Vid. REINHARD, *Syst.* §. 355, et conf. qui laudati sunt non modo Theologi sed etiam Jure Consulti a P. HOFSTEDE DE GROOT in opusc. *Gedachten over de beschuldiging tegen de Leeraars, dat zij hunnen eed breken*, edit. 2, p. 5—7. Speciatim conf. GROTIUS ad Matth. XV: 4—6.

Et haec quidem bene monita videntur atque sufficientia etiam, ut videamus revera oportere, si opus est, rite jurare, eoque ipso nos sanctissime obstrictos judicare ad omnia bona. — Sed clarior fortasse certiorque etiam tota res erit, si eam ex universa hominis Christiani, Deum amantis, indole derivemus. Deum amans homo in perpetua vivit cum Deo consuetudine, non quasi hac flectere aut incitare Deum velit, quod omniscio et sanctissimo illi opus non esse novit, sed ut ipse praesentissimi illius et perfectissimi sensu fruatur eoque ipse flectatur et incitetur ad bona

sanctaque omnia. Itaque perpetuo Deum cogitat testem, a perversitate abhorrentem et bonitati faventem, perpetuoque sic coram praesente Deo et agit et loquitur. Itaque abhorret a juramentis levioribus omnibus, quibus per res Deo inferiores juratur; haec enim indigna judicat homine, Deum ipsum semper ob oculos habente. Ita vita communi Deum identidem disertis verbis nominare testem non vult, tum quia haec sensa sanctiora sunt, quam ut sine gravi causa aut coram profanis etiam hominibus tam frequenter verbis enuntientur, tum quia sibi conscius est, fidem se semper mereri. Velit igitur lubenter, ut ejusmodi singularis asseveratio nunquam sit necessaria, cum homines omnes semper Deum ob oculos habere atque ita sibi invicem, ut piis Dei cultoribus, semper fidem tribuere debeant. Sed ita nondum comparatam esse societatem humanam videt. Itaque quoties in re gravi verae hominum saluti provehendae atque adeo Dei consiliis promovendis id conducere potest, incitatum se sentit, ut piam Dei testis cogitationem, quam semper animo fovet, palam etiam profiteatur; quo ipso alii, aeque atque ipse, sentiant, quanta ipsi fides sit habenda. Ita saepius Paulus solebat. Imo, vir pius si quam habeat gravem asseverationem, Dei gloriae provehendae idoneam, cum hominibus communicandam, eamque requirant hi homines ut Deo diserte teste invocato profiteatur, paratissimus ad id est et lubentissime his obsequitur, quippe reputans, si quid unquam, hoc certe eam habere vim, ut fidem illi asseverationi, Deum δοξάζοντι, faciat. Sic coram Cajapha fecit ipse JESUS. Caeterum Deum amans homo perpetuaque cum eo consuetudine utens, nihil unquam serio aut affirmat aut promittit, de cujus veritate atque bonitate sibi persuasum non habeat. Quodsi

vero vel sic tamen accidat, ut, progrediente tempore et mentis animique cultu procedente, deinde cernat, minus id verum neque omnino bonum esse quod affirmaverit promiseritve; per illam Dei testis cogitationem non retinetur, quominus discedat a falso perversoque, imo per eam ipsam incitatur quam maxime, ut inde recedat erroremque suum coram Deo et, si id conducere iis queat, coram hominibus quoque profiteatur. Et, quod vix monitu opus est, talis vir justus piusque, si quid promiserit quod deinde videat sibi non licere praestare, aliud quid ejus loco praestiturus est, etiamsi vel hoc ipsi perquam incommodum noxiumque sit, ut ipse culpa, detrimento alii vacent. Sic cum agat semper homo vere Christianus, quandoquidem semper ut coram praesente Deo vivit; sane omnium maxime ita agit in rebus, in quibus deliberato animo eundem Deum diserte appellavit testem. Conf. II Cor. I: 15—23. coll. I Cor. XVI: 5.

10. Cum ad eandem cum Deo consuetudinem, Obs. 9 memoratam, pertineant quoque preces, eae nominatim strictiori sensu preces dictae, quibus aliquid cupimus et a Deo petimus; de his etiam videtur hoc loco explicatius agendum.

Etenim sunt, qui negent, hominem ita precari decere. Parum enim aptum esse, ut aliquem alloquaris, quem non videas, quasi ille praesens adsit. Deum quoque, quippe omniscium, non indigere eorum, quae cupimus, declaratione. Ejusmodi preces haberi posse adjumentum incultioribus hominibus congruens, sed non omnibus commendandum, cum non omnes eo opus habeant: veram enim vim animi pii positam esse in voluntate omnia Deo grata perpetuo agendi. Deinde, Deum immutabili sua voluntate constituisse omnia, neque mutari haec humanis precibus posse.

Fore item iniquum, si solis precantibus praebeat Deus, quod omnibus prae amore ab ipso est tribuendum. Esse porro preces animi, Dei regimine non contenti, signum, aut si submisso animo precandum dicas, esse animum sibi ipsi contrarium, idem et petentem et simul non petentem. Denique facile precandi negotium in cerimoniam inanem degenerare, qua te placere Deo existimes.

Vid. imprimis KANT, *Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft*, p. 302 seqq.

Contra affirmant alii decere, imo oportere nos, quae cupiamus, precibus a Deo expetere. Deum nos omnino cum ratione alloqui posse, quippe non adspectabilem quidem, sed tamen praesentem atque omniscium, coll. Matth. VI: 6, 8. Preces autem ipsas fundendas esse hac fiducia, qua persuasum tibi habeas, Deum et scire et velle praebere omnia, quae sint necessaria, Matth. VII: 7 seqq. Jac. I: 5 seqq.; sed ita, ut submissum Deo animum patefacias Deoque relinquas, utrum id, quod cupias, vere tibi profuturum atque ideo dandum sit, necne, Matth. XXVI: 39 seqq. Nunquam autem impuris cupiditatibus ductum oportere precari, Jac. IV: 4. Itaque Christianos non precari Deum, quia hic eo indigeat, Matth. VI: 8; sed quia ipsos deceat, suam reverentiam amoremque suum erga Deum declarare, imo honorificentissimum ipsis esse, quod liceat ita liberorum instar Patrem adire, Rom. VIII: 15. Eph. III: 12. Sic igitur esse hoc quidem adjumentum pietatis, quo ipse adeo uti solebat JESUS, Matth. XIV: 23. Luc. VI: 12. IX: 28. XXII: 41 seqq. Joh. XVII; sed esse praeterea patefactionem reverentiae et exercitium communionis cum Deo honorificentissimae. Promitti autem

Divinitus, preces exauditurum esse Deum, Matth. VII: 7 seq. Luc. XVIII: 1 seqq. Jac. I: 5. V: 16. I Joh. III: 21 seq.; sed non eo sensu exaudiri preces omnes, ut id ipsum, quod quis petat, Deus semper sit praebiturus. Matth. XXVI: 39. II Cor. XII: 8, 9. Ita si res explicetur, non esse in precibus animi non contenti signum, cum se Deo submittat homo; neque animum sibi esse contrarium, cum rem specialem a Deo petat, quam nondum novit, Deine voluntati congrua sit, nec ne, addat autem universe, velle se Deo esse submissum. Neque etiam eorum, quae Deus constituerit, immutatione opus esse, cum eae tantum preces exaudiantur, quae Dei voluntati sint congruae. Neque vero has esse inutiles aut superfluas; esse enim conditionem, ab ipso Deo positam, acquirendi quod bonum est, quam Deus ipse respexerit in rebus omnibus constituendis: imo saepe adjumentum esse, quo homo rite ad Dei beneficia accipienda componatur. Itaque non iniquum esse, ut Deus precantibus praebeat, quae precantes soli accipere possunt, dum omnibus largiatur, quae iis sunt necessaria. Denique facile quidem cerimonias fieri inanes; sed abusu non tolli usum. Usum autem hunc esse, quod exaudiantur preces bonae, et quod sint consolationi perfectionique provehendae inservientes.

Vid. REINHARD, *Syst. der Christl. Mor.* §. 351, et qui ab eo laudantur.

Et hae quidem argumentationes universe jam sufficere videntur ad preces commendandas, quamvis nonnullae ratiocinationes in iis sint minus nobis quidem placentes. Sic minus placet ejusmodi ratiocinandi modus, quo Deus proponitur, tanquam qui neque singulis temporibus rationem habeat eorum quae homines sentiunt petunt-

que, neque singulis temporibus velit agatque quae videat ipsis esse necessaria, quandoquidem omnia ex necessitate quadam inexorabili et ab aeterno constituta accidant. Hoc magis videtur inventum esse Scholasticae philosophiae, a Deo removere studentis perpetuam per omne tempus actionem, quasi ipso indignam, et magis adeo Stoicorum, qui Deos fato cuidam adstrictos existimabant, opinioni simile, quam placitum verae sanaeque philosophiae, quae si velit Deum cogitare vere viventem, non potest non eum sibi proponere perpetuo per omne tempus omnia respicientem, et iis, quae cernit, convenienter perpetuo volentem agentemque, amore suo immutabilem, sed propter id ipsum conditionum humanarum perpetuis mutationibus sese constanter accommodantem, eas respicientem iisque convenienter quovis tempore homines curantem. Verbo magis placet ratio Deum proponendi, qua ipse JESUS ejusque Apostoli semper usi sunt, Matth. V: 45. VI: 6, 8, 32. Luc. XVIII: 7. Joh. V: 17. I Joh. V: 14 seq. — Praeterea etiam minus placet ejusmodi argumentandi ratio, qua videantur preces proponi posse, tanquam beneficiorum accipiendorum conditio, ex Dei arbitrio constituta, licet per rei naturam caeteroquin fortasse necessariae non sint. Etenim omnia, quae Deus jubet, propterea jubet, quia in rerum natura sunt fundata, et vinculum necessarium habent cum effectibus, quos spectat. — Sed, haec quomodocunque statuuntur, argumenta illa modo laudata sufficere jam videntur ad preces illas omnino commendandas.

De Deo perpetuo agente conf. *Waarheid in Liefde*, 1840, II, p. 245 seqq.

Verumtamen et evidentior fortasse et certe multo

simplicior videtur haec tota res esse, si eam consideremus ut fructum naturalem amoris, quo Deum diligimus, et quo id spectamus semper, ut cum Deo intime conjungamur. Scilicet in hominis Deum amantis animo non possunt non oriri vota, cupiditates, desideria, e consideratione rerum ipsum tangentium et circumdantium profluentia. Itaque et cupit, quae novit esse bona Deoque placentia, et interdum dubitat, quid optimum sit, et ex corporis rerumque externarum naturali in animum vi oriuntur in ipso vota, terrestri ipsius conditioni consentanea. Haec vota in homine Deum amante non mala sunt aut perversas res spectantia, talia enim ille reprimit, conf. Jac. IV: 3. Sed interdum tamen ipsius modo commodum spectant aut ex incommodo liberationem, et hactenus a Dei causa divinisque consiliis sejuncta. Talia in Paulo, imo in ipso sancto JESU conspiciuntur, Luc. XII: 50. Joh. XII: 27. Matth. XXVI: 38 seq. II Cor. XII: 7 seq. Conf. §. XIII, 2, 3. Jam vero qui Deum amat, in omnibus perpetua utitur cum Deo consuetudine. Itaque quae cogitat sentitque, coram Deo cogitat, Deo praesente sentit; atque adeo quae cupit, etiam coram Deo cupit, noscens cupiditates suas Deo esse notas. Imo in omnibus etiam rationem habet Dei illius in cujus consuetudine vivit, et si grati quid sentit, Deum auctorem cogitans, ei gratias agit, si quid boni ipse agit, Deo, omnis boni fautori atque rerum omnium moderatori id commendat; atque adeo etiam si quid cupit, Deum eundem rerum omnium gubernatorem cogitans, a Deo id cupit. Hoc autem est, precatur: sive verbis illud votum comprehendat, sive verbis id comprehendere nequeat, conf. Rom. VIII: 26. Itaque hic est fructus naturalis illius amoris, quo homo Christianus Deum amat patrem laetaturque ho-

norifica sua cum patre Deo consuetudine. — Quid autem sibi vult, quid spectat homo Deum amans, ita precando? Non hoc sane, ut quid velit aperiat Deo scientissimo. Neque hoc, ut ad id, quod ipsi conducat, dandum commoveat Deum amantissimum. Imo vero ut omni suo erga Deum amore, ita omni sua cum Deo consuetudine, atque ideo precibus quoque suis omnibus hunc ille finem spectat, non ut suo inserviat commodo *φίλαυτος*, sed ut cum Deo intime conjungatur *φιλόθεος*. Itaque quicquid novit bonum esse Deoque placens, confidenter cupit atque exspectat, Matth. VII: 7—11. coll. VI: 9 seqq. Joh. XIV: 13 seq. Jac. I: 5 seq. I Joh. V: 14 seq. Quodsi ipse dubitat; spiritu, quo intus agitur, divino universe expetit quod bonum est, Deo relinquens quid sit bonum judicandum, Rom. VIII: 26—28. Sin vero sibi conscius est id, quod lubenter cupiat, suum ipsius commodum aut suam ex incommodo liberationem spectare; per ipsam suam cum Deo consuetudinem componit se magis magisque ad cupiditatem suam Divinae voluntati submittendam, quo vel fiat vel maneat constanter cum Deo unanimis intimeque conjunctus, Matth. XXVI: 39 seqq. Itaque laetatur adeo, quae ipse cupiat, Deum saepius denegare, et unum hoc ipsi dare, quod est optimum, nempe spiritum suum divinum, Matth. VII: 11. Luc. XI: 13. II Cor. XII: 8 seq. Phil. IV: 6 seq. Sic cum sapientioribus omnis aevi viris homo Christianus unum id precando expetit, quod vere est optimum. — Atque id etiam, quod optimum est, precando assequitur. Namque et ipsa haec cum Deo consuetudo eam vim habet, ut Deo similiorem eum reddat; et ipsi, utpote ita ad Divinis beneficiis rite fruendum magis idoneo facto, Pater vel id ipsum, quod expetivit, vel plura etiam et

excellentiora tribuit dona, quibus perfectior fiat beatiorque Dei filius. Conf. omnino §. XXX, 3, p. 226 seq.

Ad id, quod de omnis aevi sapientioribus viris dictum est, conf. quod XENOPHON, *Memor.* L. I, c. 3, §. 2, refert de Socrate, precante Deos, *ἁπλῶς τἀγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας, ὁποῖα τἀγαθά ἐστιν*, et quod vel PLATO, vel quisquis auctor fuerit, in *Alcibiade* II, p. 143, narrat de poëta, qui precabatur:

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.

Caeterum de toto hoc argumento conferantur HINLÓPEN, *Overdenkingen*, p. 1 seqq. HEMSTERHUIS, *Aristée*, Opp. T. II, p. 115. SCHLEIERMACHER, *Predigten*, *I Samml.* in orat. de Matth. XXVI: 38 seqq.

11. Conservatur autem, imo sensim magis perficitur ille, de quo nunc egimus, erga Deum amor tum per universam cum sanctis communionem, tum imprimis per consuetudinem cum Dei Filio excolendam, tum per communionem cum ipso patre Deo habitam, tum vero per ipsam vim universam hujus amoris, qui semet ipse alit, conf. §. XXIX, XXX et §. XXXIV, 11. — Effectus autem illius erga Deum amoris, quod luculentissime in Dei Filio JESU CHRISTO conspicitur, eximius hic est, ut reddat Deo quam simillimos. Hoc igitur acti erga patrem Deum amore, magis magisque fiunt Dei filii Deique in his terris imagines.

§. XXXVI.

De modo, quo Christiani homines animati sunt, sui ipsorum ratione habita.

Ex illo, de quo egimus (§ XXXIV, XXXV) erga CHRISTUM Deumque amore reliqua omnia sensa studiaque, Christiano homini propria, profluunt, de iisque adeo nunc disquirendum est, non qualia per se, sed qualia sint inde derivata.

Cumque in hac terra reliqui illi sensus voluntatesque hominis aut ipsum spectent aut homines alios, aut etiam res vel ad ipsum vel ad alios pertinentes; proximum jam est, ut videamus, quinam sint sensus voluntatesque hominis Christiani, habita ratione sui rerumque suarum.

Deum igitur per CHRISTUM videns sentiensque omnis perfectionis et felicitatis verae summaeque auctorem esse amantissimum, homo Christianus, ut decet, non sui amplius studio ducitur, sed Deum amat, semet autem huic amatissimo Deo totum confidit traditque, idque spectat unice, ut non sua ipsum mens voluntasque regat peculiaris, sed Dei spiritus ipsum ducat agatque perpetuo.

Qui vero ita Deo se totum confidit traditque, sentit sane sensu quodam sublimi sese Deo cognatum, modestissime vero etiam agnovit, a Deo sibi bona omnia atque divina et concessa esse et semper esse repetenda; qua autem praeditus jam est indole divina, hac et laetatur impense, et confidenter sibi utendum esse existimat. Atque ideo idem ille hoc vult agitque semper, ut et mentem suam ad sapientiam componat divinam ingeniique vires omnes divinae causae reddat inservientes; et animi sui affectiones, studia, voluntates voluntati Divinae conspirare cogat; et corpus suum vitamque et bona omnia et honores potestatesque curet adhibeatque, tanquam divini spiritus instrumenta; et sortem suam cum laetam tum tristem negotiaque ipsa sua atque bene aliquid agendi opportunitates, utpote quae cuncta a Deo sint sapienti amore ipsi disposita atque concessa, Deo penitus consecret divinisque rebus provehendis impendat. Qua in re ita versatur, ut contraria omnia vitet, opinionesque adeo suas et cupiditates et voluptates et vitam denique ipsam, si opus est, lubenter linquat Deoque sacrificet; utque perfectus perfecti patris Dei filius semper magis fieri studeat.

Uti autem Deo CHRISTOque amando ad haec adducitur homo Christianus, ita etiam sensus hi voluntatesque conservantur imo perficiuntur in eo perpetua cum Deo CHRISTOque consuetudine, juncta cum diligenti sui observatione. Atque ita magis magisque effectus hic erit, ut ille, divino actus spiritu, viribus omnibus, ipsius instar Dei vivat in generis humani salutem.

1. Multi Ethici solent hominis officia erga Deum, erga semet ipsum et erga alios ita juxta se invicem ponere, quasi eorum alia ex aliis vix aut ne vix quidem pendeant. KANTIUS de officiis erga nosmet et alios ita agendum censebat, ut in fine adjiceret, posse haec etiam considerari tanquam obedientiam Divinae legi praestandam. HEMSTERHUSIUS ex ipsa natura morali derivabat, esse alios aeque atque nos ipsos amandos. Huic similia interdum proponebat JESUS, quando ad solam provocabat moralem hominum naturam, Matth. VII: 12. XIX: 19. Universe vero et JESUS et ejus Apostoli sic censuerunt, virtutem omnem esse religiosam debere, atque ita ex amore erga Deum indoleque, per CHRISTUM informata, Deo simili profluere bonos omnes sensus voluntatesque, erga nosmet aliosque homines, Matth. XXII: 37 seqq. Rom. XIII: 9. coll. 1. Coll. II: 14. coll. 10 seqq. Gall. V: 14. coll. 6. et II: 20. Jac. II: 8. coll. I: 27. Et vero homo Christianus, per CHRISTUM ad Deum amandum adductus, divinam suscipit indolem et, ipsius instar CHRISTI Deique, amore erga homines agitur: atque ille erga Deum amor ita animum ipsius totum occu-

pat, ut illo omnia sensa studiaque plane omnia regantur, §. XXVI, 3. §. XXXV, 6. Vid. Joh. XIII: 34 seq. XIV: 15. XV: 1 seqq. 12—14. Rom. VI: 3—19. XII: 1. II Cor. V: 14 seqq. VII: 1. I Cor. VI: 19 seq. Coll. III: 1—14. I Joh. III: 6—10. IV: 7 seq. 11 seq. 19 seq. V: 1. et ll. ll. Ergo nobis certe, in hac Christiana institutione explicanda, reliqua omnia, de quibus nunc deinceps nobis agendum est, consideranda sunt ut effectus fructusque amoris erga Deum CHRISTUMque, sive, ut PAULUS dixit, *καρποὶ τοῦ πνεύματος*, Gal. V: 22.

KANTII vid. *Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre, Einl.* n. IV, p. 13. HEMSTERHUSII *Lettre sur l'homme*, Opp. T. I, p. 190 seq. *Aristée*, T. II, 69, etiam in annot. 2.

Itaque jam videndum est de sensibus studiisque, nosmet ipsos spectantibus. Licet enim rite observatum fuerit, in Ethica Christiana de hominis erga semet ipsum amore agendum non esse, ut mox videbimus, inde tamen perverse aliqui effecerunt, esse in eadem plane non separatim agendum de modo, quo erga se animatus sit homo Christianus. Quamvis enim sanctorum erga semet ipsum sensuum studiorumque *principium* in ipso non sit quaerendum, ipse tamen horum studiorum sensuumque *objectum* est; atque ideo, coll. §. XXXIII, 5, hoc loco sine dubio quaerendum est, non quidem quid propter se, sed quid de se sentiat velitque homo Christianus, conf. Col. III: 5, 8, 10, 12, item Gal. V: 19—22. II Petr. I: 5—7. Cumque haec erga se sensa studiaque arctissime proximeque cum ipsius erga CHRISTUM Deumque amore cohaereant, videtur de his nunc primo loco esse agendum.

Rectam illam, quam dixi, observationem videas apud RÜTENICK, *Sittenlehre* §. 4, n. 4. p. 45 seq. Perversam, cum ea junctam, sententiam expositam videas in *Allgemeine Kirchenzeitung*, 1832, n. 2.

2. Et fons quidem horum de semet ipso sensuum, uti reliquorum sensuum studiorumque omnium, in hominis Christiani indole alius est nullus, nisi erga CHRISTUM Deumque amor, ex quo ipsius vita omnis manat, §. XXVI, 3. Quodsi autem quaeramus, qualis igitur in ipso, sui si rationem habeat, sensus primarius, studium quodnam praecipuum sit; respondendum hoc est: ita ille, prae amore Dei CHRISTIque, erga se universe animatus est, ut mentem suam Deo admoveat Divinitus illustrandam, animum Deo applicet, Divino spiritu agendum, voluntatem Deo consecret, Divinitus regundam; verbo, confidit se traditque Deo, quem amat, vid. l. l. et §. XXIV. Itaque, quatenus consilium aliquod intra semet ipsum sibi proponit assequendum, hoc spectat Christianus homo, ut penitus ipsum regat Dei spiritus sapientemque reddat et perfectum eoque ipso beatum, conf. §. XXXI, 2. coll. §. XXXII, 1. Quod quidem consilium partem facit illius propositi, quod universo suo erga Deum amore assequi studet, ut semet ipsum aliosque omnes reddat Deo conjunctissimos.

3. Ita oportere ipsum esse animatum, sentit videtque Christianus, §. XXVI, 6. coll. §. XXXIV, 3. §. XXXV, 3. Et vero sive spectemus veram, ad quam per CHRISTUM nos evehere vult Deus, felicitatem, oportet nos sane non nostras opiniones cupiditatesque, falsa felicitatis specie decipientes, sequi, coll. §. XIII, 5. §. XIV, 2, sed Deo nos tradere, per Filium suum ad veram salutem praestantiamque nos ducenti, §. XIX, 11, 13. coll. §. XXXII, 4.

Vid. Marc. XVI: 16. Joh. III: 18. XIV: 1—6. Act. XVI: 31. Rom. I: 16. I Joh. V: 10—15. Sive respiciamus id quod bonum est et homine dignum, sane non cupiditates, ad perversitatem ducentes, sequendae sunt, imo ne in inferiori quidem aliquo virtutis gradu subsistere decet nos, excelsiora edoctos, coll. §. XVI, XVII. et §. XXXII, 6.; sed totos nos tradere oportet Deo perfectissimo informandos per JESUM CHRISTUM, unicum summae excellentiae auctorem, §. XIX, 16, 20. Vid. Matth. V: 46—48. Joh. I: 12—14. II Cor. III: 18 coll. 7 seqq. Gal. IV: 1 seqq. I Petr. I: 15 seq. I Joh. III: 1. coll. 3 seqq. IV: 7, 13. Sive denique reputemus, grata esse referenda omnia auctori datorique; sane neque mentis neque corporis vires neque bona ulla prae sui studio sibi praecipue et pro suo arbitrio adhibere decet hominem, qui neque sibi ipse horum quicquam dedit, neque suo merito hoc sibi comparavit, ut iis bene beateque vivere possit, coll. §. XVIII, 4, sed oportet eum, totum se consecrare Deo CHRISTOque, quorum amori omnia debet, conf. l. l. et §. XIX—XXI. Vid. Joh. XV: 1 seqq. 16. Rom. XIV: 8 seq. I Cor. I: 30 seq. IV: 7. VI: 19 seq. I Petr. I: 18 seqq. — Et vero talis revera est genuinus quisque Christianus, coll. §. XXVI, 7. §. XXXIV, 3. §. XXXV, 3. Est hic enim omnis veri, praesertim erga excellentiorem aliquem praestantioremque, amoris fructus, ut non aliam, quam ejus, quem diligas, voluntatem habere aut velis aut possis, non tibi, sed illi vivas, felicemque te sentias, si quam maxime illi totum te consecres, §. XXIII, 5, 6. Itaque id etiam in veris cernitur Christianis, ipsos Deo se tradidisse, atque consecrasse, vid. v. c. II Cor. V: 15. XII: 15. Gal. II: 20. Phil. II: 17. Et perfectum hujus rei exemplar

nobis est in ipso homine JESU CHRISTO, Matth. XVI: 24. XXVI: 39. Eph. V: 2. Phil. II: 4—8.

De amoris hac in re vi conf. imprimis CICERO, *Lael.* c. 7. HEMSTERHUIS, *Aristée*, Opp. T. II, p. 62.

4. Ut omnem huncce Christiani hominis erga semet animum distinctius etiam perspiciamus, primo loco tenendum est hocce: sensuum studiorumque optimorum fontem in ipso non esse sui amorem. Hoc statuunt quidem multi, a vili sui studio, quo externa sui unius commoda homo quaerit, distinguentes bene ordinatum sui amorem, quo verae suae, aeque atque aliorum, felicitati studeat. At, ne dicam improprie dici *amore sui* agi homo, cum amor sit studium alterum quemdam tecum intime conjungendi, coll. §. XXXIV, 5; intelligi hac dictione aliud nequit, nisi vel studium obsequendi suis opinionibus cupiditatibusque, quae ipsa est vilior illa *φιλαυτία*, qua homo est a Deo aversus, §. XIII, 6, vel studium naturae suae rite satisfaciendi, sive consulendi verae suae saluti. Jam vero felicitatis studium inest quidem homini naturâ: atque ideo Christiana institutio hoc etiam utitur tanquam incitamento ad virtutem, verae felicitatis effectricem; veruntamen vim ipsius virtutis nequaquam in eo ponit, quod haec felicitatis causâ expetatur, sed in hoc potius, quod propter insitam praestantiam et erga Deum CHRISTUMque amorem diligitur, §. XXIII, 4. Imo CHRISTI institutio naturale illud felicitatis studium ita dirigit, ut homo discat non in eo, ut sibi placeat suique studio agat, sed in hoc, quod Deum amet et Dei studio vivat, felicissimum sese sentire, §. XXIII, 4, 6. conf. §. XIX, 11. Itaque virtutis causae utile quidem esse hoc felicitatis studium potest. Est etiam homine pro-

bo non indignum, in mediis difficultatibus, caeteroquin facile animum impedientibus, incitamento salutis, in virtute ipsa rebusque divinis positae, sese erigere atque confirmare, conf. Joh. XVII: 1 seqq. Hebr. XII: 2. §. XXXII, 1. Sed si de principio omnium hominis Christiani erga semet sensuum studiorumque sive de vi praecipua animum hac in causa movente quaeras; inferius est hoc felicitatis studium. Homine Deum amante atque prae amore adeo sponte cupiente bona omnia et divina, indignum est, constanter et in omnibus quaerere, num ita ipse felicior sit evasurus; imo talis homo non potest hujus felicitatis suae causâ omnia agere. Dei causâ agit omnia, confidens ita simul se felicem futurum. Non tam felicitatem suam, sed ipsum illud, quod bonum divinumque est, cogitat, Dei actus amore. Ita scilicet, qui summo amore alterum diligit, ipsam felicitatem suam in eo ponit, ut non sibi sed alteri illi vivat. Omne sui studium resolvitur et abit in amorem illius beantem, §. XXIII, 5, 6. Similiter JESUM ejusque Apostolos judicasse de sui amore, naturâ quidem hominibus proprio, et ad virtutis causam utiliter dirigendo, videas Matth. XXII: 39. Eph. V: 29. §. XXIII, 4, sed et eodem ita convertendo, ut non *φίλαυτος*, sed *φιλόθεος* sit homo et Deo sese tradat sacrificetque totum, Matth. XVI: 24 seqq. II Tim. III: 2, 4. Neque vero ipse perfectus homo JESUS CHRISTUS quicquam sui sive amore sive studio egit, sed omnia unice Dei hominumque caritate fecit Deoque sese in hominum salutem consecravit. Neque etiam ullum in ipso Deo est sui studium, totus ille amor est. Vid. Phil. II: 4 seqq. I Joh. IV: 8.

Rite ergo judicavit RÜTENICK, *Sittenlehre*, loco ad Obs. I laud.

5. Deinde notandum, jam nunc facilius perspici, quid sit ipsum illud, sese confidere atque tradere Deo. Etenim genus quidem si spectes, talis est animus, qualis semper est homini, alium quemdam amanti, ipso excellentiorem. Scilicet homo omnisque natura Deo inferior, si se supra omnia diligit, confidit unice sibi, sibi se sufficere existimans; sed si alium amat semet ipso superiorem, huic se confidit, hunc solum sufficere ratus ad ipsum ducendum, formandum, perficiendum. Esse enim homini aliquid debet, in quo acquiescat hac persuasione, fontem in illo esse bonorum semper sufficientem. Hoc autem quaerit quisque in illo, quem supra alia diligit, homo *φίλαυτος* in semet, amantes vero liberi in parentibus, alumni in institutoribus, uxores in maritis, milites in belli ducibes. Similiterque homo *φίλαυτος* sibi impendit praecipue vires bonaque sua omnia; qui vero alium quemdam diligit, tradit se huic, vires suas bonaque ei devovet, vitam ipsam ei consecrat. Scilicet aliquid etiam homini esse debet, ad quod dirigat imprimis studia, operam viriumque omnium et bonorum suorum usum: dirigit autem ad id, quod summo loco habet. Qui ergo semet summo habet loco, *φίλαυτος*, omnia sibi impendit, sed amantes amici amicis, cives patriae, *φιλάνθρωποι* humanitati, Christiani Ecclesiae CHRISTI Deique vires, bona, vitam adeo ipsam consecrant. Conf. §. XXIII, 5. In omni enim erga superiorem quemdam amore duo sunt studia, sibi invicem respondentia, alterum, quo amans admiratur veneraturque amatum illum, alterum, quo semet illius curae confidit illiusque causae consecrat. Sic Deum amans homo, Deum quidem veneratur ab eoque expetit et sperat divina omnia, semet autem confidit illi ducendum formandumque et vires bona-

que sua omnia illi tradit atque consecrat. — Quam ob rem hominis vere Christiani de semet ipso animus omni omnino φιλαυτίᾳ est contrarius. Et vero quicquid ex sui amore quis facit, in hoc prudens, nondum autem vere bonus; miseriae metu, felicitatis studio ductus, nondum vero probus, generosus aut sanctus est dicendus. Ille contra Deo vivit unice, non sibi. — Neque ejusmodi de se sentiendi ratio naturae humanae adversari existimanda est. Inest naturae nostrae felicitatis studium. Sed naturâ item ita facti sumus, ut felices nos sentiamus in amandis aliis, §. XXIII, 5. Itaque contrarium naturae esset, si, quod, coll. §. XXXIV, 5, finxerunt nonnulli Mystici, revera posset homo Dei amore eo adduci, ut veram suam perderet salutem. Sed ut Deo, omnis perfectionis salutisque auctori, totum se confidat tradatque homo, et in eo ipso optimo amantissimoque Patre amando suam ponat felicitatem, ad hoc sane natura factus est natusque. Recte ergo JESUS ejusque Apostoli hominis Christiani de semet ipso animum arctissime junctum proponunt cum ipsius erga Deum CHRISTUMque sensu atque amore, cujus quippe quasi partem alteram facit, Matth. XVI: 24. I Cor. VI: 19 seq. II Cor. V: 15, 17 seq. VII: 1. Gal. V: 24. I Petr. I: 14. coll. 15—19.

Conf. DE WETTE, *Vorlesungen über die Sittenlehre*, I Th. II B. p. 266, 276 seq. 279, 282 seq.

6. Vidimus cujusnam generis sit hominis Christiani erga se animus. Videamus etiam, cujusnam in hoc genere speciei sit peculiaris. Quodsi quis enim perverso alicui se confidit, ut hujus votis impiis convenienter vivat, is naturae suae dignitatem contemnit et se ipse abjicit. Sin aequali cuidam bono totum sese

tradit, non abjicit se quidem, sed neque sese erigit. CHRISTO autem Deoque qui sese confidit consecratque totum, altissime se erigit et ad Dei se effert similitudinem. Vid. I Cor. VI: 15—19. conf. Eph. IV: 24. Col. III: 10. Deinde qui superiorem se sentit, generose quidem tradere se alteri potest, ut ei vivat; sed non huic se confidit, imo vult, ut ipsi hic sese confidat. Qui autem inferiorem se novit, superiori se confidit. Quodsi huic multum se debere sentit, ex debito se ei tradit, ut grata ei referat ab eo accepta. Quodsi insuper apud eum in culpa se esse agnoscit, ita se modeste ei consecrat, ut nunquam se quod debitum est satis persolvere posse agnoscat, Luc. XV: 18 seq. Ita se Deo CHRISTOque confidunt et tradunt Christiani, Joh. XV: 16. I Cor. I: 29—31. IV: 7. XV: 9 seq. Eph. II: 8—10. I Tim. I: 12 seqq. Denique hicce Christianorum animus eam habet speciem plane singularem, ut hic solus recte se non partim sed totum confidat tradatque. In reliquis omnibus homini amanti modus est tenendus, ne plane totum et unice se alteri consecret confidatque. Neque in institutoris verba jurare alumnis licet, *οὐ γὰρ πρό γε τῆς ἀληθείας τιμητέος ἀνήρ.* Liberi matura aetate non solis se parentibus totos consecrare possunt aut debent, cum societas, in qua vivunt, humanitasque etiam eorum animum viresque requirant. Conf. Luc. II: 49. VIII: 20 seqq. Joh. II: 4. Imo neque filios adultos decet parentibus, neque cives patriae principibusve indefinite obsequi, cum sit aliquis superior, cuncta studia regens et definiens, amor, Matth. X: 37. Act. V: 29. Sed hic ipse unus est, omnia superans, omnia regens, plane indefinitus amor erga Deum, coll. §. XXXV, 6. Quare Christiani Deo per CHRISTUM sese et totos confidunt et

penitus consecrant, Matth. X: 37. XVI: 24 seqq. I Cor. VI. 20.

Platonis sunt verba illa Graeca, *de Rep.* L. X, p. 595.

7. Atque ita simul jam denique intelligitur, quare huic Christianorum animo, coll. Obs. 3, consilium esse possit debeatque, ut non sua ipsum mens aut voluntas regat, sed ut Dei christique spiritus totum regat ipsum et in omnibus agat. Etenim omnis amicitia summam, quantum licet, sententiarum studiorumque consensionem expetit, et tanto magis sequi sententiam voluntatemque alterius quisque cupiet, quanto hicce magis sapiens est et optimus. Sed adeo infinite nos sapientia atque bonitate superat, et lucis amorisque et felicitatis omnis adeo est unicus auctor supremus Deus, ut huic se confidens atque consecrans homo suis ipsius opinionibus cupiditatibusque omnibus valedicat, et Dei ipsum spiritus totum ducat agatque penitus, vid. Joh. XVII: 21. Rom. VIII: 13 seq. I Cor. VI: 19 seq. II Cor. V: 15, 17. Gal. III: 20.

8. Hisce, Obs. 4—7, perspectis reliqua, hinc derivanda, facile intelliguntur.

Et sensus quidem quales sint homini Christiano de semet ipso, facile apparet, si recordemur, animum esse hominis non semet abjicientis sed erigentis, non sibi sufficientis sed desuper omnia accipientis, et volentis penitus spiritu Dei agi, coll. Obs. 6, 7. Hinc enim proprius ei est sensus sublimis suae cum Deo cognationis, animum erigens persuasione hacce, ingenio ipso se esse Deo similem Divinorumque omnium capacem, eumque ideo a vilibus omnibus revocans. Qui sensus sublimis tantum abest ut Christiano homini non insit, ut huic prae reliquis hominibus omnibus inesse possit debeatque, quippe per christum revera

Divina omnia suscipienti; vid. Act. XVII: 28—30 et conf. §. IX. — Sed junctum cum hoc homo Christianus sensum habet modestissimum conditionis suae, Deo indigentis, sive sensum et dependentiae et imperfectionis suae, qua opus est, ut Dei CHRISTIque χάριτι constanter illustretur, emendetur, perficiatur, coll. Obs. 6. conf. etiam Luc. XVIII: 9—14. Ut ergo a Stoica omni arrogantia longissime abest, ita sublimem illum sensum in animo gerit modestissimo, coll. §. XXVII, 2, 3. Deinde propria est Christianis laetitia spiritus sancti, sive laetus sensus animi, qui persuasum sibi habet, se, licet imperfecte, vere tamen Dei CHRISTIque mente atque voluntate duci agique. Neque enim falsa modestiae specie decipi se patitur, sed Dei per CHRISTUM in se collata beneficia grato agnoscens animo, hilaris et laetus vivit. Vid. Matth. V: 4. Luc. XXIV: 52. Joh. XVI: 22. Act. V: 41. XVI: 25. Rom. V: 3—5. XII: 12. XIV: 17. II Cor. VI: 10. VII: 4. XIII: 11. Gal. V: 22. Phil. II: 17 seq. III: 1. IV: 4. Col. I: 24. I Thess. III: 9. V: 16. Hebr. X: 34. Jac. I: 2, 3. I Petr. I: 8. IV: 13. I Joh. I: 4. — Denique fiducia ei est propria in divino suo spiritu patefaciendo, sive quies animi et constantia, in eo fundata, quod novit, spiritum, quo animatus est agitque, praestantissimum esse vereque divinum, atque ideo, adspirante ipso potentissimo Deo, a nemine unquam vincendum, imo magis magisque victorem evasurum. Vid. Matth. XVI: 18. Joh. XVI: 33. II Tim. I: 7 seqq. I Joh. IV: 4. V: 4 seq. conf. §. XXXIV, 8. XXXV, 8.

Quod ad Stoicam illam arrogantiam conf. imprimis SENECA, *de Providentia*, c. 6. De laetitia spiritus sancti vid. HERINGA, *Leerredenen ter aanprijzing van Christelijke deugden*, p. 50 seq.

9. Voluntates autem agendique rationes quaenam sint Christiano homini, si semet ipsum respicit, propriae, intelligitur, quando singula, quae ille habet, lustramus omnia. Confidit enim sese consecratque Deo et mente, et animo, et corpore, et bonis externis, et sorte sua, et negotiis sive aliquid boni agendi opportunitatibus sibi concessis. — Mente se Deo confidens, comparare sibi studet sapientiam vere divinam, qua et consilia optima sibi proponat semper et mediis haec optimis assequi studeat. Quare et veri amans, et excelsae mentis est, et in rebus agendis sapiens, et aperti pectoris minimeque fallacis aeque atque prudentis consilii, Matth. X: 16. Luc. XVI: 8. Joh. XVI: 2, 3. Rom. X: 2. I Cor. XIV: 20. Eph. V: 8—17. Jac. III: 14—17. conf. §. XXVI, 8. Mente item tota Deo se consecrans, omnes omnino ingenii vires intendit, ut Divinae voluntati obsequatur divinaeque serviat causae. Quare ut memoriae copiam, acumen judicii et vim ingenii inventricem cuncti, ita et peculiares sive naturae dotes sive doctrinae divitias singuli, maxima cum intensione eo conferunt, Matth. XIII: 52. Luc. I. I. Rom. XII: 6—8. I Cor. IV: 20. XII: 8 seqq. II Cor. VIII: 17—19. I Petr. IV: 10 seq. — Animum suum Deo confidere atque tradere Christianus, vix opus est ut diserte affirmetur; in animo enim proprie et maxime vis sita est religionis pietatisque omnis. Quare divina omnia et sentit et cupit et maxima cum vi exsequi studet, §. XXVI: 3. Sed hoc ipsum, propter multorum errores, notandum est, oportere eos animi sensa studiaque naturalia non perdere et quasi immolare Deo, quod sane parum placere queat Creatori, qui iis ipsis naturae sensibus studiisque instructos nos procreavit; sed illa viventia atque vigentia Deo tradere

atque consecrare, ut vis vitaque eorum omnis Dei creatoris patrisque consiliis respondeat. Itaque genuinus Christianus gaudii dolorisque sensa non fugit, ut Stoicam quamdam referat ἀπάθειαν, neque felicitatis, honoris, libertatis excellentiaeve studia aut a contrariis aversationes delere et exstirpare studet, sed regi haec omnia et Dei spiritu sic dirigi vult, ut conspirent ad divina omnia, §. XXIII, 3. XXVI, 3. Similiter vim animi incitantem, τὸν θυμὸν, (*de drift*) non delere studet, sive sit vis ad bonum incitans, enthusiasmus (*geestdrift*), sive a malo avocans, ira (*toorn*); sed regit eam ita, ut et apte et opportune cum indignatione rejiciat perversa, cum incitatione expetat divina bonaque omnia: etenim sic demum divinus ipsum spiritus intus agit totumque ad divina expetenda incitat, Marc. III: 5. Ephes. IV: 26, 31 seq. Pariter denique ipsas, e corpore rebusque corporeis ortas cupiditates non exterminare, sed regere studet et menti Divinitus illustratae subjicere, et cogere ut ad Dei consilia exsequenda conspirent, §. XXVI, 4.

Nota est egregia PLATONIS de τῷ θυμῷ sententia, quem ille in sapienti bonoque homine describebat non ταῖς ἐπιθυμίαις, sed τῷ λογῷ opitulantem, uti aurigae equum bonum. Vid. *de Rep.* L. IV, p. 436, 439 seq. et *Phaedro* p. 246. Caeterum de ira conf. REINHARD, §. 246 seq. et imprimis HERINGA, *Leerredenen over Christelijke deugden*, in sermone de Eph. IV: 26.

Corpus etiam suum Christiani Deo consecrant confiduntque totum. Igitur curant, ut corporis sanitatem, vires vitamque conservent, quibus Divinae convenienter voluntati ad Dei consilia exsequenda uti possint, Matth. IV: 5—7. I Tim. V: 23. conf. Eph. V: 29. Uti autem iis volunt semper unice, ut serviant Divinis propositis: quare et sobrii sunt continen-

tesque, et a rebus etiam caeterum bonis abstinentes, si hac abstinentia Divinae causae magis prodesse possunt, Matth. XIX: 12. Luc. XXI: 34. Rom. XIII: 13. I Cor. VII: 5, 7. IX: 5, 12, 27. VIII: 13. Eph. V: 18. conf. §. XXVI, 4. Imo parati sunt ad eandem quoque sanitatem, viresque et vitam ipsam linquendam atque devovendam, si id Dei voluntati conveniat Deique consiliis exsequendis conducat. Neque enim prae sui studio corpori vitaeque suae prospiciunt. Sed aeque cura illa corporis atque haec ad vitam linquendam promptitudo nil spectat aliud, quam ut Dei propositis exsequendis inserviant, Matth. XVI: 24 seqq. Phil. I: 20 seqq. II: 17. Col. I: 24. II Tim. IV: 6 seqq. I Joh. III: 16. — Similiter bona terrena omnia Deo consecrant CHRISTOque. Itaque rem familiarem, honorem inter homines, libertatemque et auctoritatem atque vim externam omnem minime vilipendunt imo et expetunt et curant, sed non propter se, verum propterea quod haec media sunt, quibus bona divinaque consilia sunt assequenda. Adhibent ergo ea, tanquam divini spiritus instrumenta. Quodsi autem divinorum consiliorum exsequendorum causa opus est, laeti etiam, bonis illis et honore atque libertate sua privati, in paupertate, ignominia carceribusque vivunt, Matth. V: 10—12. XIX: 21—29. Joh. XV: 20. Act. V: 41. XVI: 25. Rom. VIII: 35 seqq. II Cor. VI: 4 seqq. Eph. IV: 28. Col. I: 24. I Thess. IV: 11 seq. II Tim. II: 9 seqq. Hebr. X: 34. I Petr. IV: 14. De honoris studio speciatim vid. Joh. V: 41, 44. I Cor. IV: 3. II Cor. III: 1, 2. Gal. I: 10. I Thess. II: 6. conf. §. XXXII, 4. — Sortem etiam suam cum laetam tum tristem Christianus homo Deo confidit Deoque consecrat. Res ad vitae usum commodumque et jucunditatem per-

tinentes si ipsi contingant, grato erga Deum animo eas adhibet, non autem ut earum tantummodo fruatur jucunditate, quasi sibi vivat; sed hunc in finem, ut iis sustentatus atque recreatus eo felicius efficaciusque Deo CHRISTOque vivat, quippe horum amans. Ideo etiam, si illius summi totius vitae propositi causâ, Deo judice, requiritur, ut iis careat bonis; licet iis carens omnibus, laetus vivit moriturque, vid. Joh. II: 1 seqq. I Cor. VI: 13, 20. VIII: 13. I Tim. IV: 3—5. Phil. IV: 11—13. Ipsamque adeo sortem hancce adversam adhibet, ut ipse perficiatur Deoque ideo gratior evadat, et ut aliis suâ in rebus etiam adversis constantiâ exemplum praebeat, Divinaeque igitur causae apud hos quoque prosit, Rom. VIII: 17 seqq. Hebr. XII: 3—13. I Petr. I: 16. Caeterum futuram suam sortem omnem indefinite Deo committit, quippe in quem fiduciam suam omnem habet repositam, §. XXXV, 8. — Denique negotia etiam sua homo Christianus Deo CHRISTOque consecrat et confidit. Negotia, in rebus adspectabilibus atque terrenis sibi peragenda, Dei providentia atque amore sibi data censet, et eo quidem consilio data, ut his etiam peragendis prosit Dei exsequendis propositis. Itaque in iis sic versatur, uti per CHRISTUM Deus vult, ut Deo CHRISTOque placere possit, et Dei confidens favori. Labore suo id assequi studet, quo indiget ipse ad sustentandam vitam, quam universam Deo consecret, et quo adjuvare etiam alios possit, Divinique adeo amoris consiliis satisfacere, Eph. IV: 28. VI: 5—9. Coll. III: 22 seqq. I Thess. IV: 11 seq. II Thess. III: 7 seqq. Quotquot autem ei vel certo constituta et per societatem humanam ipsi imposita negotia sunt, vel etiam fortuito oblatae opportunitates, quibus quod vere bonum, pulcrum divinumque est, provehere ei

contingat; haec omnia tanquam munera, ipsi a Deo per CHRISTUM data, diligenter adhibet, ut Patris Conservatorisque sui sancta proposita exsequatur; vid. Rom. XII: 4 seqq. I Cor. XII: 5, 28 seqq. I Petr. IV: 11, omninoque Matth. XXV: 14 seqq.

10. His sensibus voluntatibusque (Obs. 8, 9) contraria omnia aversatur fugitque Christianus homo. Singula haec enumerare et longum et non opus est. Ne de ipsa quidem *αὐτοχειρίᾳ* sive sui caede opus est ut agamus, cum pateat abunde, quanto jure ab ea abhorreat, coll. Act. XVI: 27 seq., homo CHRISTO Deoque addictus, qui vitam suam censet donum eximium, ad excellentissima divinaque adeo consilia exsequenda ipsi datum, Obs. 9. Unum hoc restat notandum, ipsum illud contraria ista omnia fugere, nihil esse minus, quam nolle suis opinionibus, cupiditatibus, voluptatibus indulgere, nolle omnino sibi obsequi aut sui studio vivere, sed haec sua omnia velle linquere, devovere et unice se Deo CHRISToque consecrare; sive esse illud sibi renuntiare et sese sacrificare, (Belgice *zelfsverloochening* en *zelfsopoffering*) Matth. XVI: 24. Eph. V: 2. — In illis autem sanctis omnibus sectandis et his contrariis fugiendis nunquam sibi sufficit, semperque ulterius progredi ad perfectionem studet, quisquis vere Deum CHRISTUMque amat, et ideo toto se animo illis confidit atque consecrat, Phil. III: 12—14. Quod quo magis diutiusque facit, eo magis facilia ei fiunt, quae initio difficilia fuerant, neque igitur *sibi* amplius, ut homini mundano, *renuntiat*, sed *sibi*, ut homini coelesti, *indulget*, Dei voluntati obsequens, I Joh. V: 3.

11. Hicce hominis Christiani de semet ipso animus, quo se Deo confidit traditque totum, conserva-

tur perficiturque per universam cum sanctis communionem, speciatim per consuetudinem perpetuam cum Deo CHRISTOque, addita diligenti sui observatione. De his vid. §. XXIX, XXX. Quo autem melius conservatur feliciusque perficitur, eo magis hominis mens animusque Dei agitur spiritu, corpus fit *ναὸς πνεύματος ἁγίου,* bona omnia et res ipsum circumdantes et negotia cuncta fiunt instrumenta, quibus Dei attingantur consilia. Atque ita sane homo, utpote Dei his in terris imago, Dei patris ad instar vires suas omnes in salutem gentis humanae adhibet divino ductus amore.

12. Quodsi jam haec, quae de Christiani hominis erga semet animo vidimus, rite teneantur, apparet, tantum abesse, ut, quod nonnulli recentissimo imprimis tempore praedicarunt, coelestis CHRISTI spiritus terrestrem vitam obscurare dicendus sit, ut hanc ipsam plane unica ratione illustret.

Et veris quidem vitae deliciis percipiendis minime inepti sunt Christiani. Abjectas et homine indignas amoenitates omnino fugiunt. Neque etiam eo, ut praecipuo, vivunt atque omnia sua agunt consilio, ut quam plurimis maximisque deliciis fruantur, imo contra ut quam plurima optima cum Deo CHRISTOque peragant. Sed non, Eremitarum aut Monachorum instar, vitae hilaritatem fugiunt genuini Christiani. Imo veri Christiani ad veris delectationibus rite fruendum unice apti sunt. Ipsis enim, intensissimo opere laborantibus, delectationes sunt, quod esse debent, relaxationes vim reficientes; quarum suavitatem omnem ipsi percipiunt maxime, positam in eo, quod vires suas refici sentiunt, quibus ad novos se accingant optimosque labores. Soli adeo Christiani, Dei semper praesentis faventisque sensu gaudentes, et

deliciis illis, ut Dei amantis beneficiis, fruuntur, et ad rerum naturae pulcritudinem sublimitatemque Divinam observandam persentiendamque apti sunt, et ad verae sanctaeque amicitiae suavitatem percipiendam idonei, et vero hi soli, si vel rerum externarum deliciis careant omnibus, in mediis adeo carceribus atque in ipso mortis periculo, hilares esse vitamque totam agere laetam possunt iidem. — Neque vitae communis atque terrenae negotiis inepti sunt. Verum quidem est, eos non negotii commodique sui causâ omnia sibi per fas et nefas agenda judicare, neque etiam in negotiis, vitae sustentandae causa susceptis, summum totius vitae consilium ponere; imo in vera potius sua suorumque et aliorum salute provehenda elaborandum censent, a Deo ad id informati. Sed minime partem pietatis magnam aliquam in eo ponunt genuini Christiani, ut, neglectis vitae communis negotiis, in multis diebus festis sanctisque celebrandis versentur ignavi. Imo omnium cultissimi sunt homines illi populique, qui ex vero Deum per CHRISTUM colunt, et, quo cultiores sunt, eo minus in desidia vivunt. Hi unice ipsa illa negotia existimant provinciam, a Deo ipsis demandatam, in qua elaborent. Maximo cum ardore operantur, quia vita, vires opesque iis sunt dona Dei, quibus bona omnia Dei consilia et salutem humanam exsequantur. Imo nova adeo Christiani sibi gignunt negotia, posita in pauperibus, imbecillibus, mutis, coecisque juvandis, et incultis terrae tractibus colendis ad indigentes alendos et excolendos: quo similiores sint JESU CHRISTO, qui in miseris juvandis magnam vitae partem consumebat. — Neque etiam artibus, vitam terrenam exhilarantibus, elegantioribus inepti existimandi sunt Christiani. Lasciviam quidem omnem et impietatem in artium monumentis impro-

bant. Et si poësis aut theatra moribus corrumpendis conducant, non minus sane illi hoc damnant, quam philosophus hoc antiquitus jam damnavit PLATO. At CHRISTI spiritus quo magis totum occupat hominem, eo magis etiam artis monumenta ad id, quod vere decorum, honestum bonumque est, componit. Quid? quod novam adeo et sacram picturae, poëseos theatrorumque speciem CHRISTI spiritus excitavit, omniumque maxime procreavit eloquentiam sacram, cujus exemplum primum ipse JESUS dedit. Neque naturam modo imitantur artifices Christiani, quod summum arti propositum statuunt multi, sed ipsum sequuntur naturae Artificem supremum, qui et eleganter omnia composuit et forma eleganti et varia vere bonum sanctumque commendat.

De PLATONIS sententia vid. ipsius *de Rep.* L. III, X.; de vero artium consilio VAN HEUSDE, *Socratische school,* P. I, p. 125 seqq.; de vita per CHRISTI spiritum hilari et jucunda conf. *Waarheid in Liefde*, 1840, II, p. 400—415.

§. XXXVII.

De Ecclesiae sociorum erga se invicem animo.

Jam vero ut homines Christiani, Divino acti spiritu, revera una cum Deo CHRISTOque bona omnia et divina efficiant, Deus eos per CHRISTUM in unam quandam conjunxit societatem. Itaque prae caeteris nunc videndum est, quomodo hujus Ecclesiae socii erga se invicem sint animati.

Christiani igitur cum omnes gratuito atque salutari unius Patris uniusque Conservatoris amore sint beati, cumque hunc Patrem Conservatoremque eundem omnes ament totosque iis se tradant; sese invicem vident et ejusdem salutis participes et eadem indole cognatos. Atque hac, quod et decere sentiunt, consortione sua et cognatione animorum componuntur ad mutuum fraternumque amorem, ei simillimum amori, quo ipsos et princeps omnium frater Dei Filius et pater communis Deus amat. Uti autem animorum consensio ad hunc amorem efficiendum plurimum confert; ita hicce vicissim propositum primarium id ipsum habet, ut consensionem conjunctionemque sociorum secum invicem et cum Deo CHRISTOque intimam provehat perficiatque.

Ita vero consortes spirituque cognati fratres et sentiunt se fraterna ratione συμπαθοῦντες atque inter sese aequales, et sunt erga se invicem cum lenes tum benigni, et, secum in unum conjuncti, sunt fortissimi. Volunt autem aguntque id semper socii, ut et inter sese consuetudinem colant, et in communem societatis salutem cum vires suas omnes facultatesque conferant, tum ei, si opus est, bona, honorem, libertatem vitamque ipsam suam sacrificent, tum

vero ut causam suam communem apud omnes homines laudabilem reddant et commendabilem. Contraria huic fraterno amori vitia, ut sensus fraterni defectum, superbiam, invidiam, ambitionem, iracundiam, inertiam, rei communis neglectum, dissensiones, dissidia omnemque *φιλαυτίαν* oderunt et conjunctis mentibus animisque tollere student. Imo nunquam satis se egisse rati, sine fine progredi student et societatem suam perficere.

Fraternum hunc CHRISTI fratrum Deique filiorum amorem conservat alitque perpetuo ipsorum cum Deo CHRISTOque et secum invicem consuetudo. Quo autem magis alitur perficiturque ille amor, eo quoque magis et singulos socios excolit, perficit Deoque similiores reddit, et societatem totam efficit magis consummatam, ita ut fiat haec sensim magis conservatrix et beatrix generis humani.

1. Non solent praecipuo quodam loco de τῇ *φιλαδελφίᾳ* agere Moralistae Christiani plerique, sed vel cum *φιλανθρωπίᾳ* eam confundere, vel paucis monere, ut erga amicos et patriae cives, ita etiam erga Ecclesiae socios animatum esse oportere Christianum. Quo magis autem systematum philosophicorum jugum excutere incipit Ethica Christiana, et sanctorum communio vim suam denuo sentiendam praebet; eo magis primarium quendam locum hic Ecclesiae socio-

rum amor apud nonnullos occupat. Et sane Deus, ut homines redderet bona omnia atque divina efficientes, per CHRISTUM non doctrinam aliquam aut legem dedit, sed viventem vigentemque his in terris societatem hominum, Divino ipsius spiritu actorum conjunctorumque, condidit, Ecclesiam Christianam, §. III, 5—9. §. XXI. Itaque cum jam eo pervenerimus, ut disquirendum sit, quomodo Divino CHRISTI spiritu acti homines revera his in terris divina agere atque efficere possint debeantque, ante omnia inquirendum est in hanc communionem conjunctionemque illius societatis et in ipsius vinculum, fraternum amorem. Ita etiam praecipuo loco de hac φιλαδελφίᾳ agebant JESUS ejusque Apostoli, Joh. XIII: 34. XV: 12—14. Rom. XII: 4 seqq. I Cor. XII, XIII. Eph. 4: 2—16. I Joh. II: 8 seqq. III: 10 seqq. IV: 7 seqq. — Et prius quidem rite de hac agi a nobis non poterat. Namque ut JESUS ipse suos secum eoque ipso cum Deo jungere primum studuit, tum hac excelsiori indole communi eos secum invicem consociare, atque ita versus vitae finem demum novum hocce dedit iis praeceptum: ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, Joh. XIII: 34.; atque ut Apostoli cum CHRISTO jungere studebant homines et CHRISTI Deique eos reddere amantes, quo facto hi sponte sua fiebant μία καρδία καὶ ψυχὴ μία, Act. II: 44. IV: 32: ita et res ipsa docet, eum, qui Divino spiritu ipse non agitur, neque dignoscere hunc spiritum in aliis posse, neque eo se sentire cum iis conspirantem, conjunctum cognatumque, conf. Joh. XV: 19. I Joh. III: 1, 13. Itaque cum per communem erga CHRISTUM Deumque amorem in hominibus, CHRISTO Deoque sese confidentibus, naturâ suâ oriri φιλαδελφία soleat, hujus naturae ordini

consentaneum est, ut nunc demum nos de hoc mutuo eorum amore disquiramus.

Notum est, recentissimo tempore prodiisse librum, jam antea a nobis laudatum, K. A. RÜTENICK, *Sittenlehre, aus dem Begriff des Reiches Gottes entwikkelt*, Berl. 1832.

2. Uti sensuum studiorumque omnium in singulis quidem Christianis fons est positus in ipsorum erga CHRISTUM Deumque amore, ita in iisdem conjunctis mutuorum erga se invicem sensuum studiorumque fons proprie dicendus est communis ipsorum erga Deum CHRISTUMque amor. Quodsi vero jam quaeratur, quodnam sit, ex hoc fonte ortum, primarium studium sociorum erga se invicem, unde reliqua sensa studiaque eorum mutua profluunt, id facile perspici potest. Etenim singuli Christiani, per suam cum CHRISTO Deoque conjunctionem, a *φιλαυτίᾳ* conversi, ad amandum proni sunt et *πνεύματι τῆς ἀγάπης* aguntur, ut amorem colant simillimum illi amori, quo ipsos Deus CHRISTUSque diligunt. Jam vero ita animati socii socios suos vident eadem mente atque voluntate ductos, atque haec ipsa divinae indolis similitudo eos ad se invicem trahit, mutuoque conjungit. Sic ergo componuntur ad mutuum erga se invicem amorem, ipsius CHRISTI Deique amori simillimum. Conf. §. XXVI, 3. §. XXVII, 4. Quod cum sit primarium Christianorum erga se invicem studium; finis, quem hoc ipso sibi proponunt, sane alius esse nequit, nisi ut, per communem suam cum Deo CHRISTOque consociationem, socii invicem fiant conjunctissimi, eoque ipso conspirent ad omnes omnino homines cum Deo CHRISToque et secum invicem conjungendos, conf. §. XXXI, 4. coll. XXXII, 1.

3. Ita oportere socios amore conjunctos esse, vident ipsi sentiuntque, coll. §. XXVI, 6. Et vero si quis spectet veram, quam hominem ratione praeditum sectari decet, felicitatem, oportet eum sane conjunctissimum se tenere cum societate eorum, in quibus Divinus viget spiritus, quorumque vi ipse unice sapientissimus optimusque atque ideo vere beatissimus fieri potest. Sive boni honestique studium, natura homini proprium, spectet, oportet ipsum sane diligere eos, in quibus Divinae sapientiae sanctitatisque videt imaginem, quosque cum ipse Deus singulari prosequatur amore, multo etiam magis a se existimare debet singulari amore distinguendos. Sive denique attendat ad sensus humanissimos quosque, quibus homo, nisi omnem exuere velit humanitatem, obtemperare debet; his sane maxime trahi impellique socii debent ad Ecclesiae Christianae amorem. Per hanc enim Deus singulos ipsos instituit informavitque; per hanc amoris amicitiaeque verae et coelestis documenta perpetuo ipsi experiuntur; per hanc constanter magis perficiuntur beanturque, §. XXI. His igitur rationibus omnibus JESUS etiam Apostolique ad τὴν φιλαδελφίαν incitabant, vid. v. c. Joh. XIII, XV. Rom. XII. I Cor. XII, XIII. I Joh. II, III, IV. — Et vero, quotquot institutione Christiana rite utuntur genuinique sunt Christiani, revera ita secum invicem sunt conjuncti, coll. §. XXVI, 7. Scilicet ita comparata est natura humana, ut et qui ex uno sint patre nati unaque instituantur, hac ipsa communione atque sortis bonorumque communitate arctissime jungantur, et ut universe animorum similitudo atque quasi cognatio amicitias gignat. Jam vero in societate Christiana conjunguntur omnes ex uno patre generati Deo, omnes per unum JESUM CHRISTUM instituuntur

fratres, unaque omnes mente voluntateque inter se sunt similes, et bona animi cuncta habent vere communia. Neque mirum ergo inde ab initio sponte sua ejusmodi fraternum inter Christianos exstitisse amorem, Act. I: 14. II: 44. III: 32. II Cor. VIII: 1 seqq.; et hodieque illam *κοινωνίαν* Christianorum non arctis unius civitatis aut regionis limitibus contineri; adesse adeo sententiarum animorumque communicationem per universum orbem Christianum. Nihil enim est appetentius similium sui, nihil rapacius quam natura; ideo bonos boni diligunt adsciscuntque sibi, quasi propinquitate conjunctos atque natura.

Ultima haec CICERONIS sunt verba, *Laelio*, c. 14. Caeterum conf. idem, c. 4. XENOPHON, *Mem. Socr.* L. III. c. 3. §. 4. PLATO, *Rep.* L. V, p. 462-464.

4. Quodsi accuratius etiam omnem *φιλαδελφίας* Christianae indolem perspicere velimus; primo loco tenendum est, eam esse ab amore erga quoscunque homines distinguendam, cum et alii sint, qui amantur, et alia ratio ob quam amantur, et propter id ipsum etiam quodammodo natura ipsius amoris sit alia. — Qui *τῇ φιλαδελφίᾳ* diliguntur, non sunt homines quicunque etiam perversissimi, sed sunt *οἱ γεγεννημένοι ἐκ τοῦ Θεοῦ*, et indole sua ideo *θείας κοινωνοὶ φύσεως*, *τοῦ Θεοῦ υἱοὶ*, *ἀδελφοὶ τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ*, atque ita inter se *ἀδελφοί.* Vid. maxime I Thess. IV: 9 seq. II Petr. I: 7. I Joh. IV: 20. V: 1. — Fundamentum illius fraterni amoris non est communis ratio, ob quam omnes cujuscunque indolis homines amari possunt. Sunt enim socii a se invicem amandi propter id ipsum, quod fratres, Dei filii, e Deo nati, cum JESU CHRISTO cognati sunt animo, sive quia communis ipsis est

una eademque indoles divina, a Deo per CHRISTUM in ipsis informata, qua uti a reliquis hominibus, τῷ κόσμῳ, distinguuntur, ita unum aliquod constituunt, uno spiritu animatum, corpus, cujus singuli sunt membra, CHRISTUS autem caput est, Joh. XV: 19. XVII: 16. I Cor. XII: XIII. Eph. IV: 2 seqq. I Joh. IV: 20 — V: 2. — Itaque natura etiam τῆς φιλαδελφίας a τῆς φιλανθρωπίας natura quodammodo est diversa. Fratres enim illi alter alterius indole delectantur, suam mutuo consuetudinem intimam expetunt, et secum invicem ad communem tendunt finem uno eodemque acti Divino spiritu, Joh. XIV: 19. I Cor. XII. XIII: 6. Eph. l. l. Phil. II: 1. I Joh. II: 15 seq. II Joh. 9—11. conf. Rom. XVI: 17. I Cor. V: 11. XVI: 22. II Tim. III: 5. Est ergo verissime novus dicendus hicce, quem inter Christianos CHRISTUS excitavit, amor, novi, quod condidit, Foederis naturae unice conveniens; conf. Joh. XIII: 34. I. Joh. II: 7 seqq. II Joh. 5.

Conferri potest KNAPP, *Exercitatio in locum de novo praecepto Christi*, in *Scriptis varii argumenti*, T. I, ed. 2. p. 327 seqq.

5. Jam nunc, quod deinde monendum est, facile intelligitur, cujusnam generis sit hicce amor. Est enim genere suo amor mutuus, in animorum consensione fundatus. Ejus generis in antiquitate erat Pythagoreorum et Socraticorum sodalium amor et celebratissima sapientium amicitia, estque universe omnis vera amicitia in sententiarum studiorumque de rebus humanis divinisque consensu fundata. Sociis Divinae CHRISTI societatis genuinis communis fides est, communia studia, et, quod omnium fortasse maxime animos jungit, communes iis sunt amores. Unam enim

omnes mentem voluntatemque Divinam habent, spiritum unum, omnesque patrem unum amant Deum, unum conservatorem ducemque JESUM CHRISTUM; et eorum ergo quisque, quod sibi proprium sentit, id ipsum in altero quoque inesse videns, ad id se applicat; unde fit quasi unus animus ex pluribus, Joh. XV: 19 coll. Act. IV: 32. Eph. IV: 4—6.

Conf. §. II, 7, 8, 9. CICERO, *Laelio.* c. 14, 27. item Oratio mea, *De animo non minus Theologorum, quam ingenio, Academica institutione informando.* Gron. 1832, p. 21.

6. In hoc autem mutui amoris genere singularem suam speciem habet ἡ φιλαδελφία Christiana. Neque enim talis est, qualis mutuus est amor parentes inter et liberos aut universe auctoritate superiores inter et inferiores. Sed amor est, qualis inter amicos, commilitones, fratresque esse solet, dignitate et loco aequales, qui et sua communicant et vicissim accipiunt, alii in aliis aestimant quod bonum est, vicissimque ab iis ob hoc ipsum aestimantur. Sunt enim Christiani omnes fratres, unum patrem habentes Deum, unum dominum JESUM CHRISTUM. Ex qua fraterna aequalitate libertas haec nascitur, qua nemo reliquorum dominus sit, nemini serviant socii: sed lubenter omnes ab omnibus discunt lubenterque vicissim eos docent, unice ad Dei CHRISTIque mentem voluntatemque sese componentes, Matth. XX: 25 seqq. XXIII: 8 seqq. Rom. XIV: 1 seqq. conf. §. XXVIII, 3. — Idem hicce amor, ut jam sentitur, talis est, qualis esse solet inter homines, qui per unum aliquem communiter ad suam consensionem communionemque adducti sunt. Sic ex iisdem parentibus nati, ab iisdem educati et instituti fratres ad parentum fere mentem parentumque exemplar

sese componunt. Pythagorae sententiam, sed serviliter, Pythagorei, Socratis φιλοσοφίαν exemplumque libere Socratici sequebantur. Christiani ab uno patre Deo per unum institutorem CHRISTUM formati atque beati, ad consensum cum CHRISTO Deoque libere suam communionem omnem componunt. Illlud quo consentiunt ἓν πνεῦμα, est ipsius CHRISTI Deique πνεῦμα et amoris fraterni exemplar est amor, quo ipsos diligit CHRISTUS ipseque eos amat Deus, Joh. XIII: 34. XV: 12 seq. XVI: 13—15. I Cor. XII: 4 seqq. 13. Eph. IV: 32. V: 1, 2. I Joh. III. 16. IV: 11 seqq. — Atque ita hicce amor talis est, qualis unice esse potest inter homines, divinis rebus consociatos. Neque enim ad literas cultumve, ut sodalitatum literariarum socii, neque ad τὴν φιλοσοφίαν, ut Socratici, sed ad Divinam sapientiam sanctitatemque provehendam referunt consuetudinem suam mutuumque amorem omnem, idque ergo spectant, ut habeant κοινωνίαν μετ᾽ ἀλλήλων, κοινωνίαν δὲ μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριςοῦ, Joh. XVII: 21. I Joh. I: 3. Atque ita hoc amore Christiani non modo cum sociis, nunc hac in terra viventibus, sed etiam cum iis, qui jam in coelo vivunt et cum coelitibus omnibus, eodem modo animatis, conjunctos se sentiunt, Eph. I: 10. Col. I: 20. Hebr. XII: 1.

7. Atque sic denique sponte intelligitur, finem propositumque hujus fraterni amoris hoc esse, ut omnes conjungantur secum invicem ea animorum consensione, qua simul cum CHRISTO Deoque conspirent. Hoc ut demonstremus, opus non est. Vid. Obs. 6. Sed videatur facile ejusmodi propositum attingi nullo modo posse, cum ne duo quidem Christiani inveniantur, qui in omnibus opinionibus

et dogmatibus consentiant, Ecclesiae autem Christianae dogmata, mores, instituta in infinitum varia sint in variis ejus sodalitiis, apud varias gentes variisque temporibus. Et sane multa diversissimorum ingeniorum millia in omnibus moribus formisque, in omnibus placitis et placitorum formulis qui conjungere velit, plane *ἀδύνατον* agat. Sed longissime abest, ut hocce voluerit JESUS. Conf. tantum Eph. IV: 4, 6. I Joh. IV: 6, 12 seq. et §. XXII, 5. Non ritibus, non formulis, non dogmatibus, non legibus convenire, sed animo, sed spiritu, sed universa totius mentis voluntate consentire debent. Mens omnium divinam veritatem sectari, animus omnium in divino amore conspirare debet, *τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας* et *τὸ πνεῦμα τῆς ἀγάπης* insit omnibus, hoc est illud omnium *πνεῦμα ἕν*. Atque si modo omnes, quod et possunt et debent, magis magisque in suis amoribus conspirent, consentiant in amando Deo et in diligendo CHRISTO, si modo sit *εἷς Κύριος*, *καὶ εἷς Θεὸς πάντων καὶ ἐν πᾶσι*, tum etiam semper magis in omnibus erit *ἓν πνεῦμα*.

8. Hisce, quae de *τῆς φιλαδελφίας* natura exposuimus Obs. 4—7, perspectis, reliqua inde facile derivantur.

Et sensus quidem huic amori proprii quinam sint, intelligitur, si teneamus; esse hunc amorem fratrum inter se aequalium, eumque et compositum ad exemplum amoris erga eos Dei CHRISTIque, et eos ita jungentem, ut una omnes conspirent ad rem communem Divinamque provehendam. — Hinc enim qui primo oritur, sensus, ad eos consociandos et ad se invicem trahendos maxime pertinens, est *συμπάθεια* fratrum inter se aequalium; sive sensus communitatis, per quem alter alterius bonam malamque conditio-

nem, non modo externam, sed et imprimis internam atque spiritualem, cordi habet, ut suam, alter alterius commodum veramque salutem caram sibi reputat, ut suam, idque vicissim, uti inter pares et aequales oportet. Qui sensus se patefacit imprimis studio succurrendi aliorum necessitatibus provehendique eorum bonam, animi praesertim, conditionem actionemque; idque ita, ut neque dominari in te alios, tibi succurrentes, sinas, neque vero etiam ipse, aliis succurrens, dominari in eos velis. Conf. Obs. 6, et Rom. XII: 15 seq. I Cor. XII: 25 seqq. atque speciatim XII: 26. XIII: 6. — Deinde, ad mutuas fratrum actiones regundas imprimis pertinens, proprius iis est sensus cum lenitatis tum benignitatis, ad ipsius Dei CHRISTIque erga nos μακροθυμίας et χρηςότητος exemplum exactae; sive animus ita nobis est compositus, ut et errores vitiaque fratrum, etiamnum superstitia, perversam etiam in nos agendi rationem leniter feramus, et ut nihil habeamus gratius, quam ut erroribus vitiisque emendati fiant sapientissimi perfectissimique. Conf. Obs. 6, et Matth. XVIII: 1 seqq. Marc. IX: 33. Rom. XIV, XV. I Cor. XIII: 4. Col. III: 12 seq. — Denique, ad conjunctam fratrum vim actionemque confirmandam pertinens, iis est sensus fiduciae, ex eo ortae, quod noscant reputentque, uno se spiritu conjunctisque viribus communem rem agere, eamque gratissimam CHRISTO atque omnipotenti Deo, conf. §. XXVII, 4.

9. Voluntates autem agendique rationes fratrum erga se invicem tales sunt, quales omni propriae sunt veri nominis amori atque amicitiae. Etenim id magnopere expetunt, ut et privatim de se invicem resciscant atque imprimis secum invicem

praesentes versentur, et publice etiam consuetudinem communionemque sanctorum colant, Rom. I: 11 seqq. Eph. VI: 21 seq. I Thess. II: 17. III: 1 seqq. II Joh. 12. III Joh. 2 seqq. 13 seq. conf. §. XXX, 2, 3. — Deinde, non sibi quisque soli, sed cuncti fratres communi societatis saluti vivunt: ita quidem ut singuli vires suas omnes, eas etiam quibus ab aliis distincti sunt, in communem adhibeant utilitatem, et ut suo quisque ipsius commodo ideo tantum prospiciat, quo magis meliusve possit in cunctorum salutem vivere, et ut, si opus sit, cum bonorum, honoris, libertatis, imo vitae ipsius jactura totum se societatis universae saluti consecret, Matth. XX: 25 seqq. Joh. XII: 1 seqq. XV: 12 seq. I Cor. XII. XIII: 5, 7. II Cor. VI: 1—10. Eph. IV: 7—16. Phil. II: 4—17. I Petr. IV: 9—14. I Joh. III: 16—18. — Denique prae amore fratres etiam laudabilem reddere et commendabilem omnibus hominibus student causam societatis suae communem, cum verbis eam defendendo commendandoque, tum imprimis exemplo moribusque non modo famae Ecclesiae Christianae consulendo, sed etiam omnes ad ejus societatem alliciendo, Matth. V: 16. Rom. XII: 17. I Cor. XIV: 23 seqq. Eph. V: 11 seqq. Phil. II: 15. I Petr. II: 12. III: 15, 16. IV: 15.

De commodo cujusque, saluti communi postponendo, conferri meretur PLATO, *Rep.* L. IV, p. 420. L. VII, p. 519 seq.

10. Denique sensibus hisce voluntatibusque (Obs. 8, 9.) quaecunque contraria sunt, oderunt Christiani et communi studio ex semet ipsis sociisque tollere cupiunt. Sic sensus fraterni atque *συμπαθείας* defectum, I Cor. XII: 25 seq., superbiam arrogantiamque,

I Cor. IV: 6. XIII: 4. Jac. II: 1 seqq., invidiam, I Cor. XII: 15 seqq. XIII: 6., ambitionem, prae aliis efferre sese conantem, Matth. XX: 25 seqq. XXIII: 8 seqq., iracundiam et laesiones fraudesque, I Cor. VI: 6 seqq. XIII: 5, 6. Eph. IV: 25, 31 seq. Col. III: 13, inertiam, in re communi non studiose provehenda conspicuam, I Cor. XII: 7, 15 seqq. XIII: 7, omniumque maxime dissidia atque discordias ferre nolunt, I Cor. I: 10 seqq. XII: 25; omnemque *φιλαυτίαν*, impurum vitiorum illorum omnium fontem, oderunt I Cor. XIII: 5. Phil. II: 4 seqq. Imo contra prae amore cuncti semper ulterius societatem suam et extendere et perficere student, I Cor. XII. Eph. IV: 13—16.

11. Hujus fraterni amoris conservandi perficiendique ratio maxime naturalis est mutua fratrum consuetudo, experientiâ ipsâ amorem alens, et auctae inde identidem sapientiae pietatisque fructu eundem incitans: addenda autem est perpetua etiam cum CHRISTO fratre primogenito et cum patre Deo communio. De his conf. §. XXIX, XXX. — Quo magis autem perficitur hic amor, eo magis effectus habet sane egregios. Etenim uti per se invicem emendantur perficiunturque fratres, ita etiam singuli eo ipso, quod amant, excolunt sese et purgant vitiis et vires omnes intendunt ad optima quaeque. Imo non modo quod bonum est unice expetunt, sed et id quod pulcrum est et decorum sectantur, I Cor XIII: 5. Atque ita ipsi fiunt sensim magis Deo similes, I Joh. IV: 7 seqq.; conjuncti autem totam magis magisque perficiunt Ecclesiam, in generis totius humani salutem, I Cor. XII, XIII. Eph. IV: 16. Col. II: 19. III: 14.

Conf. *Comment. mea de* I Cor. XIII. p. 107 seq., 110 seqq.

12. Quo magis hujus *φιλαδελφίας*, quam per CHRISTUM Deus excitat, vis atque praestantia persentiatur, lubet paulo explicatius indicare, veram animorum conjunctionem in genere humano per CHRISTI spiritum magnopere esse provectam.

A multis quidem, de doctrina Mosaica, de doctrina Zoroastris, Mohammedis, de doctrina Socratis, atque ita pariter de doctrina JESU CHRISTI ejusque ad beandos homines vi paene unice quaerentibus, parum attendi solet ad vim, quam animorum conjunctio ad perficiendos beandosque homines habet. Videtur autem ita vis praecipua, gentem humanam excolens et beans, negligi. Homo unus aliquis solus plerumque parum aut nihil boni ad effectum perducit. Separatim etiam viventes homines vim suam non omnino exserunt; amor enim unus facit, ut quisque, compluribus vivens, omnes intendat vires, quibus complurium communem salutem tueatur et provehat. Imo vel optima legislatio aut doctrina parum efficiat brevique pereat, nisi a conjunctis quibusdam hominibus suscipiatur et propugnetur. — Sane animorum conjunctio per omnia saecula vim praecipuam habuit ad perficiendos beandosque homines, ex sapientissimorum sententia. Patriarchae in conjuncta sua gente praeibant, atque sic suos in unam aliquam Dei cultorum familiam jungebant, ex qua novi identidem etiam Patriarchae nascebantur. Moses regnum condidit theocraticum, in quo ipsius leges servabantur, posteritati tradebantur, imo vim suam exserebant per conjunctam sacerdotum, magistratuum, poëtarum, prophetarum et patrum familias quoque conspirationem. Similiter in Oriente Zoroaster et postea Mohammedes. In Graecia autem Lycurgi et Solonis leges maximam habuere vim, quia per civitatis vires conjunctas, per

civium erga patriam amorem, et per ipsam imprimis quoque puerorum institutionem semper vigebant et vigentes viventesque subsequentibus tradebantur aetatibus. Deinde per Graecarum civitatum inter se invicem juncta foedera et per Romanorum eximiam legislationem, cum imperio immenso junctam, gentes aliae ad alias excolendas vim habuerunt, ut denique jam laudari inciperet caritas generis humani. Et vero cum optimi nonnulli perspicerent, haereri universe nimis in externis moribus ad civilem legem compositis; virtutem animi magis et vere boni studium, *τὴν φιλοσοφίαν*, commendandam censuerunt. Sed et hoc pariter conjunctionibus animorum imprimis et amoribus agendum existimarunt, unde Pythagorae sodalitium, Socraticorum amicitiae et Academicorum etiam atque Peripateticorum conjunctae exstitere scholae. Cumque perspicaciores viderent, haec quoque omnia imperfecta esse, perfectiorem conditionem aut optarunt finxeruntque, aut etiam praedixerunt futuram. Sed Prophetae hi vaticinabantur, per unum perfectum aliquem principem aliquando rectam iri societatem, in qua omnium tribuum Israëlitae, imo omnium gentium homines conjunctim ad colendum Deum essent conspiraturi. Et pariter Philosophi rempublicam fingebant, in qua princeps esset vere *φιλόσοφος*, cives omnes essent fratres, conjunctione atque amore suo civitatem conservaturi, et conjuncta per *τὸν φιλόσοφον* institutione magis magisque perfecti felicesque futuri. — Jam vero hanc tam efficacem animorum conjunctionem CHRISTI demum spiritus in genere humano perficere potest. Hoc enim solo non una aliqua familia, aut gens modo una, aut unum philosophorum genus, sed omnium familiarum, generum, gentium homines conjungi possunt et optimi quique

maxime conjunguntur amore. Neque hi per CHRISTUM junguntur modo parentibus terrestribus, aut ejusdem gentis legibus, aut bonis quibusdam externis. Sed cuncti illi in toto genere humano una fiunt gens sacra, cum ipso conspirans patre Deo, et communibus sapientiae, sanctitatis summaeque animorum salutis bonis conjunctissima. Atque ita paucorum sapientum antiquorum amicitiam longissime superat haec innumerorum in genere humano universo amicitia, divinae sapientiae perfectionisque communi studio juncta. — Et, historiam si consulis, revera jam sensim magis optima haec et latissime patens animorum conjunctio per CHRISTI spiritum provecta est in gentis humanae salutem. JESUS parvum ipse Apostolorum sodalitium amore circum se junxit. Dein auctore atque fautore CHRISTO Apostoli in Palestina primum, mox per orbem cultiorem universum societates condiderunt, quae ipsae, communi fide atque amore junctae, unam aliquam societatem magnam efficiebant. Atque hujus Ecclesiae vi, per saeculorum decursum factum est, ut conservatum, illustratum, praedicatum sit Euangelium, ac novi semper CHRISTI legati informati sint, qui conjunctis viribus, saepe etiam animis conjunctis generi humano Euangelium commendarint; factum item illius Ecclesiae vi, ut qui olim in urbibus et magis etiam in agris negligebantur penitus homines plerique, jam excolerentur, et, ad intimam cum Deo CHRISTOque conjunctionem adducti, perficerentur, imo ut innumeri existerent parentes institutoresque, qui liberos suos alumnosque sancte informarent, et ad eandem divinam animorum conjunctionem componerent. Sic conspiranti omnium opera et conjunctis omnium amoribus fit, ut et illustretur, identidem reformetur, atque sensim perfi-

ciatur ipsa haec ingens societas, et ut per hancce sensim magis in toto orbe terrarum homines ad eandem invitentur et perducantur salutem. Atque quo magis ille CHRISTI spiritus in sociis omnibus viget societatemque totam amore conjunctam et ad optima quaeque et divina conspirantem reddit; eo sane felicius illa res progredietur. Itaque quod JESUS CHRISTUS in terris adspectabilis incepit, id CHRISTI spiritus deinceps constanter magis perficit; estque ejus Ecclesia, ipsius animata spiritu, verissime dicenda conservatrix atque beatrix generis humani. Vis autem hujus excellentissimi divinique corporis cum posita sit in eo, quod uno omnes spiritu acta membra omnia omnibus viribus id agant, ut sanitati atque incremento totius societatis consulatur; sane vis praecipua, humanum genus servans et beans, dicenda est illa Christiana animorum conjunctio, mutuus ille fraternusque Christianorum amor. Conf. omnino I Cor. XII, XIII. Eph. IV. Col. III: 14.

Conf. J. F. VAN OORDT, JGF. *Disp. Theol. de religione Christiana, ad conjunctionis et societatis studia alenda et promovenda, cum aptissima tum efficacissima.* Traj. ad Rhen. 1821.

§. XXXVIII.

De Christianorum Ecclesiaeque Christianae animo erga reliquum genus humanum.

Quamdiu societas Christiana nondum universum genus humanum omnesque omnino homines complectitur, inquirendum etiamnum restat de sensibus, voluntatibus agendique rationibus cum sociorum, tum societatis Christianae erga reliquam gentem humanam.

Cum ergo conjuncti secum invicem Christiani Deum ament, eumque summo erga homines omnes, licet errantes perversosque, amore insignem atque genus humanum universum per CHRISTUM beare unaque Christiana societate conjungere volentem; hinc et oriri debet et oritur Christianorum, cum Deo CHRISTOque et secum invicem conjunctorum, amor erga reliquos homines omnes. Cujus amoris finis hic est, ut magis magisque universa gens humana ad intimam cum Deo CHRISTOque conjunctionem adducatur atque ita fiat una aliqua divina fratrum familia.

Qui autem, ita conjuncti, amore ducuntur generis humani, universos quidem homines ejusdem secum naturae participes esse sentiunt

ingenioque ejusdem capaces divinitatis; quos vero indole etiamnum ab hac divinitate alienos aversosque vident, horum propterea maxime miserentur, nihilque magis optant, quam ut hi ad summam atque communem cum ipsis adducantur salutem; et eam ipsam universi generis humani conversionem atque conservationem confidenter sperant. Atque adeo et singuli cum Deo CHRISTOque conspirantes, et vero secum invicem conjuncti socii id volunt aguntque, ut cum reliquis hominibus eatenus consuescant, quatenus id ad eos cognoscendos et ad spiritum suum cum iis communicandum prodesse potest; et omnibus, iisque conjunctis, viribus in gentis humanae commodum, maximeque in ejus illustrationem perfectionemque, quam plurimum conferre, cum suo etiam incommodo maximo, student; quo ipso magis magisque ejus generis nostri miseria et dedecus tollatur naturaeque humanae honori atque excellentiae divinae consulatur. Quamobrem interiorem quidem atque amicam cum hominibus, Deo CHRISTOque adversantibus, consuetudinem vitant, et errorum perversitatisque osores sunt, et errantes malosque in sua perversitate requiescere et progredi non sinunt; sed neque in eo ipso quic-

quam sentiunt aut agunt, quod amori gentis humanae sit contrarium, neque omnino aut humani quicquam, licet etiam imperfectius sit, contemnunt, neque hominis ullius, quamvis nocentis infensive, malefacta injuriasque ulcisci cupiunt, neque ab humana societate unquam se avellunt, neque quicquam negligere volunt, quod ad hancce feliciorem melioremque reddendam prudenter afferri queat. Imo plura semper et perfectiora ad gentem totam humanam conservandam beandamque instituta parere atque alere societas Christiana studet.

Conservat vero hoc studium perpetuoque magis inflammat sancta sociorum cum Deo CHRISTOque et secum invicem consuetudo. Atque ita sensim magis efficitur perficiturque gentis humanae cum Deo CHRISTOque et cum coelitibus conspiratio atque totius universi divina harmonia.

1. Ut indicaremus, quomodo Christiani divinum sibi proprium amorem revera ostendant, divinaque consilia reapse exsequantur, disquirendum ante omnia erat de societate ipsa Christiana, quam eum in finem Deus his in terris condidit. Vid. §. XXXVII, 1. Sed praeter hanc genuinorum Christianorum societatem alii tamen etiam supersunt, in quos iis agendum est, nempe homines reliqui, partim Deum CHRISTUMque ne cognoscentes quidem, partim, licet cognos-

cant, ab iis animo aversi. Itaque, antequam de peculiaribus quibusdam hominum generibus agamus, hoc unum restat disquirendum, quomodo erga homines illos quoscunque animati sint Christiani. Hoc reputandum semper erit, quamdiu his in terris versaturi sunt Christiani; namque etiamsi vel aliquando gentes omnes ad Ecclesiam CHRISTI erunt adductae, in hac tamen ipsa supererunt cum pueri Deum CHRISTUMque nondum cognoscentes tum adulti nondum genuini Christiani. Et hoc quidem his in terris restat unum; namque praeter homines illos hic quidem alii, in quos agamus, supersunt nulli; olim demum in coelo videndum etiam erit de amore, quibuscunque coelitibus demonstrando. Conf. tamen §. XXXVII, 6, p. 325. Non autem quaerendum est modo de singulorum Christianorum erga quoscunque homines sensibus studiisque, sed, cum CHRISTUS informare societatis suae socios secum invicem conjunctos velit, coll. §. III, 5, videndum etiam de hujus Ecclesiae conjunctae in gentem humanam sensu studioque. Imo id in omnem hancce disquisitionem vim habere insignem debet. Namque quod singuli de gente humana emendanda, perficienda beandaque sentire, sperare, atque ideo etiam velle et agere aut plane nequeunt, aut vix possunt, id et possunt conjuncti, et revera sponte sua vult atque agit conjuncta societas.

2. Fons horum etiam erga quoscunque homines sensuum studiorumque est Christianorum erga Deum amor. Conf. §. XXXVII, 2. Studium autem primarium, unde reliqua illa sensa voluntatesque profluunt, quodnam sit habendum, facile ex antecedentibus derivatur. Etenim qui Deum amant, cum Deo conspirant; Dei autem hic est spiritus, quo homines omnino omnes maximo diligat amore et ad summam in

societate Christiana salutem perducere velit: ergo Christiani cum Deo CHRISTOque amant homines omnes eodem, quo Deus illos diligit, amore. Conf. §. XXVI, 3. Quod si ita singuli volunt Christiani; magis etiam vult ipsa conjuncta CHRISTI Ecclesia, quippe naturâ suâ eo tendens, ut Dei consiliis convenienter se perficiat, atque ideo etiam complectatur magis magisque universum genus humanum, §. XXXVII, 11. cf. §. XXI. Finis ergo hujus *φιλανθρωπίας* Christianae esse nullus alius potest, quam ut homines omnes cum CHRISTO Deoque et secum invicem divino jungantur spiritu; quo ipso totius mundi efficiatur harmonia, conf. §. XXXI, 4. coll, §. XXXII, 1.

3. Oportere Christianos ita amare homines cunctos, ipsi sentiunt atque norunt, §. XXVI, 6. Et sane veram felicitatem si spectet, ita animatum esse Christianum decet. Est enim singulis hominibus innata erga naturae socios *συμπάθεια*, cui resistens vere felix esse ejus animus nequit, quippe qui aliis quibusque felicibus videndis reddendisque unice potest esse beatus, §. XIX, 11, 13. Multo etiam magis id decet societatem Christianam conjunctam, cujus felicitas omnis in hoc est posita, ut increscat semper et perficiatur. Conf. Matth. VII: 12. Luc. X: 30—37. Act. XIII: 1—3. Eph. IV: 16. V: 11 seqq. Sin ad boni honestique studium attendas, hoc sane optimum est vereque divinum, quod ipsi faciunt CHRISTUS Deusque, genus humanum universum amantes. Et societati Christianae nihil potest esse magis bonum honestumque quam hoc ipsum, quo unice respondere proposito suo potest; eo enim consilio per CHRISTUM Deus ipsam condidit, ut conservatrix esset et beatrix totius gentis humanae. Conf. Matth. V: 13—16. VI: 43—48. Luc. XV: 1 seqq. I Tim. II: 1—6. I Pet. II: 9—12, item I Joh. IV: 7,

imprimis autem Eph. IV: 4—13. coll. I: 10, 22 seq. Sive denique sensus quosque humaniores spectes, Christianum hominem ad id cogit et gratus erga Deum CHRISTUMque, qui ipsum tali *φιλανθρωπίᾳ* servarunt, animus; et universus erga eosdem amor, quippe quo cum iis conspirare vult; et honoris etiam atque principatus veri in societate Christiana studium, utpote in qua is vere eximius et princeps habendus est, qui de humano genere optime mereri studet; et studium quoque societatis Christianae consulendi honori, in hoc posito, ut quam plurimi fiant ipsius socii genuini. Conf. Matth. VI: 45. XX: 25—28. I Cor. X: 32. Tit. III: 2—6. I Petr. II: 12. — Neque mirum ergo, societatem Christianam et genuinos ejus socios singulos revera istiusmodi amore duci, in hominum veram salutem tendente. Quisquis enim pulcra quaedam bonaque animo possidet, non potest haec in pectore recludere; parturit animus et parere optima quaeque gestit et sua cum aliis communicare studet, ut hi cum ipso laetentur. Ita poëtae, ita sapientes quique, ita in moralibus ad mortem usque SOCRATES, ita in spiritualibus omnium maxime JESUS: atque si hujus divinus Christianis vere insit spiritus, in his quoque spiritus hicce intus agens fons est perennis, unde sponte sua et necessario profluunt veluti aquae in omnium animos quaquaversum redundantes. Praeterea qui amat, non potest non lubentissime cum eo, quem diligit, conspirare; nihilque adeo gratius Christianis accidere potest, quam quod liceat ipsis esse *συνεργοῖς τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ εἰς χαρὰν πάντων.* Denique qui societatis cujusdam sive literariae sive beneficae genuinus socius est, aut qui patriae suae vere est amans, et societatis civitatisve hujus communi spiritu agitur, is non

potest non velle, ut quotquot possint, revera etiam fiant boni illius socii, boni cives. Ita et *πνεύματι κοινῷ* acti Christiani quam plurimos Ecclesiae reddere bonos socios student. Quod uti inde a primo Pentecostes die in Christianis conspicitur, imprimis in Apostolis atque omnium maxime in PAULO, ita et omnibus deinceps temporibus cernitur in eo, quod parentes liberos suos ad CHRISTUM ducere student, amici amicos, cives alii alios, antistites fere innumeros adducunt, societas autem ipsa et informat et mittit semper quoque legatos, qui in universa gente humana id agant, ut cunctos ad communem adducant salutem.

4. Ad universam hujus *φιλανθρωπίας* indolem accuratius perspiciendam conducere primo loco potest, si eam a *τῇ φιλαδελφίᾳ* distinguamus, ratione habita et eorum qui amantur, et fundamenti quo nititur, et naturae quam habet hic amor. Etenim non soli sunt Dei filii, divina indole conspicui, quales fraterno illo amore se invicem complectuntur; sed homines, ingenio quidem divino praediti, verum quoquo modo animati, licet vel a Deo CHRISTOque alienissimi et aut nobismet ipsis aut rei Christianae inimicissimi, sunt universe omnes, qui hac *φιλανθρωπίᾳ*, hoc erga *πάντας ἀνθρώπους* amore sunt comprehendendi, Matth. V: 43—47. Luc. X: 29 seqq. I Thess. III: 12. coll. V: 15. Tit. III: 2—4. II Petr. I: 7. Fundamentum ergo etiam hujus amoris non est in indolis cognatione studiorumque similitudine quaerendum, sed in eo positum est, quod illi omnes, aeque atque nos, homines sunt, naturaeque adeo humanae cognatione ingeniique divini similitudine nobiscum sunt juncti, Matth. VII: 12. XXII: 39. Luc. X: 36 seq. Jac. III: 9. Ex quo fit, ut natura etiam hu-

jus amoris alia sive modus amandi alius sit, quam qui τῇ φιλαδελφίᾳ est proprius. Etenim homines, a Deo CHRISTOque aversos, cum amant Christiani, neque illorum indole delectantur, neque mutuo semper ab iis amantur, neque amicam cum iis consuetudinem habent, I Cor. V: 11. XV: 33. I Joh. II: 15—17. II Joh. 10.

5. Quamvis autem a fraterno illo amore diversa sit, est, quod deinde monendum, φιλανθρωπία haecce vel sic tamen genere suo veri nominis amor. Non modo beneficentia est, solis constans factis, quibus aliorum hominum proposito non modo eorumque saluti consulamus; quod fere KANTIUS interdum statuebat, et multi statuunt, perhibentes hoc solum in nostra esse potestate positum, non vero posse nos vere animo amare homines non amabiles. Est autem hoc virtutem in actionibus externis ponere, sive veram virtutis vim penitus tollere, conf. §. XXVI, 1. Et si quis animo non bene dispositus est, fieri nequit, quin imprudens etiam dictis factisque suis identidem id patefaciat. Imo vero ἡ φιλανθρωπία non tantum est benevolentia animi, factis etiam se prodens. Ita multi quidem judicant Moralistae, dicentes, intelligi non posse amorem, quo alii nobis placeant (*amorem complacentiae*), cum placere homines omnes nobis nequeant atque a nobis non pendeat, utrum placeant, nec ne; sed solum amorem intelligendum esse, quo aliis simus benevoli (*amorem benevolentiae*). Verum et hoc est fonti fluctum, arbori unum aliquem fructum substituere, si amoris loco substituamus benevolentiam, ex amore oriundam. Conferri quodammodo potest §. XXXIV, 5. Et sane si id a nobis nullo modo pendeat, ut aliquis nobis placeat vereque eum amemus, perire dicenda est vera moralitas omnis, quae tota in amore est posita. Omnino

φιλανθρωπία dicenda est veri nominis amor, sive studium homines quoscunque, ut nobis cognatos, intime nobiscum conjungendi. Conf. §. XXXIV, 5. Quodsi deesset ingenii similitudo, oriri verus amor non posset. Sine ingenii divini similitudine ne ipse quidem Deus vere amare homines posset, sed tantummodo, ut brutis animalibus, iis bene velle atque benefacere. Ut quis enim alterum amet sive velit intime eum secum conjungere, requiritur sane ut conjunctionis illius capax hicce sit naturâque adeo illi cognatus. Sed cum ingenio similes Deo sint homines, Deus et iis, utpote talibus, delectatur, neque tantum necessitatum ipsorum cum physicarum tum spiritualium magna cum benevolentia rationem habet, sed et cum caritate paterna vult eos indole sibi simillimos reddere intimeque conjunctos. §. XX, 6—9. §. XXXI, 3. Similiter CHRISTUS homines usque adeo caros sibi habebat, ut de eorum malis, tanquam suis, doleret, eorum erroribus vitiisque imprimis intime moveretur, eosque sibi similes et secum conjunctissimos reddere vellet, §. XX, 3—5. Jam vero Dei CHRISTIque instar, Christiani reliquos hominos amant, eosque secum intime conjungere student. Sentiunt eos natura ingenioque sibi similes esse, ideo ipsis delectantur, ipsosque secum conjungi posse, laetantur. Itaque de eorum malis, ut suis, dolent, eorumque necessitatibus atque infelicitate usque adeo afficiuntur, ut inquirant, expetant, agant lubentissime omnia, quibus illi ad eandem cum ipsis lucis, sanctitatis beatitatisque communionem ducantur. Conf. Matth. V: 45—47. I Thess. III: 12. coll. V: 14^{c}, 15. Tit. III: 2—5, et omnino Joh. XVII: 21—23, item Eph. I: 10.

Ut beneficentiam tantummodo proposuit philanthropiam KANT, *Metaphysische Anfangsgründe der Tugendlehre*,

Einleit. n. XII, c., edit. 2. Königsb. 1803, p. 39 seq. Contrarium videas apud GARVE, *Anmerkungen über Cic, Büchern von den Pflichten*, ad L. II, c. 25, p. 174 seqq. maxime p. 192 seq. Ut benevolentiam proposuit eam quoque, ubi uberius rem explicuit, idem KANT, l. l. p. 41, imprimis §. 25, 26, p. 118 seq. item REINHARD, §. 181. Melius et hac de re GARVE, l. l. p. 193, 194—196.

6. Porro *φιλανθρωπίας* Christianae natura distinctius etiam perspicitur, si reputemus, qualem referat amoris speciem peculiarem. Est igitur, specie sua, amor erga ejusdem naturae exterioris consortes ejusdemque ingenii participes. Naturae exterioris consortio *συμπάθειαν* afferre solet; namque ut Angeli nequeunt experientia ipsi sua edocti sentire humana, nosque ipsi cum inferioris naturae plantis nullam *συμπάθειαν* habemus, ita animalibus externa corporeaque natura similes nos sentire possumus. Hominibus autem omnibus intercedit ejusdem corporis similitudo, eoque ipso et consortio laetitiarum atque calamitatum, et, per corporis etiam in animum vim, consortio tentationum et veri bonique impedimentorum, imo, cum Christiani et ipsi olim magis minusve a Deo fuerint alieni, eatenus etiam consortio perversitatis: itaque in omnibus possunt *συμπάσχειν*. Conf. §. XIII, 3—5. Sed et cum ipsis reliqui homines omnes ingenii divini sunt participes, eoque ipso spes adest, posse eos, aeque atque nos, ad divinam adduci indolem. Etenim si qui sint ingenii poëtici aut philosophi, hos adsciscere sibi poëta aut philosophus potest ea spe, fore ut eos veros poëtas aut philosophos reddat, de reliquis desperat. Christiani autem de nullis omnino sanae mentis hominibus ad Deum ducendis desperant propter id ipsum, quod norunt eos omnes divino ingenio esse, divinae

institutionis divinaeque indolis capaci, §. IX. Vid. Matth. XXII: 39. Luc. X: 33. Act. XVII: 28. Rom. XII: 15. Tit. III: 2, 3. Jac. III: 9. Conf. §. VIII, 1—7. Deinde, si quidem eorum, qui amantur, rationem habeas, est hic Christianorum erga eos amor semper gratuito, saepe etiam generose amantium. Scilicet ut generose amantibus debitam referimus gratiam et sapientia aut probitate insignes merito amamus: ita eos, qui nil ipsi praestiterunt, cur amari mereantur, gratuito et ex proprio animi nostri motu diligimus; qui autem mali quid agendo meruerunt, ut non amarentur, hos, licet indignos, generose amamus. Ita Christiani gratuito amant reliquos homines a Deo CHRISTOque alienos, atque adeo vera sapientia atque sanctitate destitutos, neque raro ita ipsis ipsorumve societati inimicos, ut a Christianis aeque atque a Deo CHRISTOque sit ostendenda *χάρις εἰς ἁμαρτήσαντας καὶ ἐχθρούς*, Matth. V: 45. Luc. XV: 1 seqq. Rom. IX: 2 seq. X: 1. Tit. III: 2, 4, 5. Denique, si ipsos spectes amantes, est hic amor Christianorum, non sibi relictorum singulorum, sed conjunctorum cum Deo CHRISTOque et saepe etiam secum invicem. Hoc vim magnam habet. Namque uti ratione eorum, qui amantur, hominum Christiani gratuito et saepe generose amant, ita id ipsum ex debito faciunt, ratione habita Dei CHRISTIque, quibus id omnino debent, I Cor. IX: 19 seqq. coll. 12. II Cor. VI: 4 seqq. coll. V: 14—20. conf. §. XXXIV, 6. §. XXXV, 6. Praeterea, quod singuli, sibi relicti, vix sperare possent, fore ut amoris sui consilia effectum unquam haberent, conjuncti secum invicem et maxime cum Deo CHRISTOque certa cum spe et invicta fortitudine in amoris sui opere versantur, Matth. XVI: 18. XXVIII: 19 seq. Joh. XVI: 33. XVII: 21, 23. Phil. I: 27 seq. I Joh. IV: 4. V: 4 seq.

conf. §. XXVII, 2, 3, 4. Insuper, uti cum parentibus juncti liberi, parentum exemplum sequuntur et ad eorum consilia in amando sese componunt, ita Christiani reliquos homines amant, uti eos per CHRISTUM amat ipse pater Deus, et divina utentes lenitate atque benignitate, et divinis hac in re ducti consiliis, I Cor. III: 9. X: 31, — XI: 1. II Cor. V: 20. VI: 1. Tit. III: 2 seqq.

7. Atque ita ex ulteriori hacce de τῇ φιλανθρωπίᾳ disquisitione etiam sponte liquet, consilium ipsi debere esse, ut homines magis magisque omnes cum Deo CHRISTOque, et cum societate Christiana jungantur intime. Requiritur hoc tum ideo, quod amor studium est alios nobiscum vere conjungendi, tum, quia hic speciatim amor Deum CHRISTUMque in amando imitatur et cum ipsis συνεργὸς esse studet. Requiritur autem, non ut Christiani se cum reliquis hominibus, sed ut reliquos hosce homines secum conjungere velint, hosce, utpote mente animoque inferiores, ad se erigendo, Matth. XXVIII: 19. Joh. XVII: 21, 23. Eph. III: 6. IV: 14. coll. I: 10, 22 seq. Col. I: 19, 20, 28 seq.

8. Ex hisce, Obs. 4—7, jam facile derivantur sensa studiaque singula, huic φιλανθρωπίᾳ propria.

Et sensa quidem ei propria quaenam sint, sponte intelligitur, si teneamus esse hunc amorem et erga ejusdem naturae ingeniique participes, et gratuitum illum generosumque erga errantes atque perversos, et demonstratum a Christianis cum Deo CHRISTOque et saepe etiam secum invicem conjunctis. — Sensus igitur, qui fundamentalis dici queat, utpote in quo reliqua in hoc amore sensa fundata sint, hic est, quod Christiani cunctos homines ipsis et natura et ingenio cognatos esse persentiunt. Quare neque gen-

tium, neque generum, neque ordinum civilium, neque religionis ipsius diversitate impediuntur, quominus illorum naturae sociorum dolores gaudiaque sentiant, ut sua: neque ullius ignorantiae, erroris, perversitatis, imo injuriae vexationisque nullius cogitatione aut experientia retinentur, quo minus illos, utpote divino ingenio cognatos, reputent atque confidant capaces esse communis secum perfectionis salutisque. Quod ut universe in iis tractandis et ope iis ferenda patefit, ita imprimis in periculis eorum emendandorum perficiendorumque confidenter faciendis. Conf. Obs. 5, 6, atque omnino Luc. XXIII: 34. XXIV: 47. Act. XVII: 28 seqq. et §. V, 6. — Deinde, cum ita naturae universae cognationem suam cum hominibus omnibus sentiant Christiani, miserentur etiam conditionis illorum miserrimae, praesertim moralis, et hanc emendaudi eosque beandi spe laetantur. Scilicet quemadmodum ipsi gratuito amore generosaque benevolentia Dei e peccati miseria liberati et ad sanctitatis beatitatem adducti sunt, ut jam per Dei *μακροθυμίαν* et *χρηστότητα* non ei adversantes sed eum amantes sint; ita erga alios homines cum universe errantes, tum etiam ipsis adversantes et inimicos, *μακρόθυμοι* sunt atque *χρηστοί*. Conf. Obs. 5, 6. Qua in re observandum est, eos a perversitate summopere aversari, non ab hominibus, licet perversis. Oderunt peccatum, peccatorum miserentur, uti Deus CHRISTUSque, et propter id ipsum, quod peccatum oderunt, peccatores eo liberandi spe laetantur, conf. Marc. III: 5. — Denique sensibus illis confirmandis ipsique amoris exercitio incitando et sustentando succurrit haec ipsa, ei propria, spes, qua confidunt Christiani, fore ut universa gens humana conservetur. Scilicet CHRISTO confidentes, hominum omnium

Conservatori, omnium salutem volenti, Ecclesiamque Christianam ad id constanter conspirantem videntes, et vero Deum noscentes summo, sapientissimo atque omnipotenti amore homines omnes perpetuo amantem, confidenter sperant, de quo caeteroquin desperaturi essent, totam gentem humanam conservatum, perfectum atque beatum iri. Tali spe ut jam se antiqui erigebant Prophetae, ita hac imprimis spe Dei Filius μεσίτης πάντων factus est, et hac spe animati ejus Legati, PAULUS imprimis, cum precati sunt ipsi vixeruntque, tum alios precandum esse vivendumque monuerunt. Et vero hac spe sustentati incitatique Christiani, neque de ullo homine, licet perversissimo, desperant, neque unquam, quamvis diu resistat, ab ejus emendandi conaminibus omnino desistunt, et vero in tota gente humana perficienda summo cum ardore progrediuntur. Vid. Joh. XVII: 21b, 23b. Rom. XI: 25 seq. 32 seq. I Cor. XV: 27 seq. Eph. I: 10, 23. Phil. II: 9—11. Col. I: 12, 20, 28. I Tim. II: 1—7. IV: 10.

Conf. Jes. XI: 9.

9. Voluntates agendique rationes τῇ φιλανθρωπίᾳ propriae sunt, quales omni sunt vero amori naturales. — Expetunt consuetudinem cum reliquis hominibus Christiani, quatenus id ad eos cognoscendos beandosque conducere potest. Neque enim inferioris conditionis homines contemnunt, neque miseriae eorum adspiciendae metu retinentur, quominus eos adeant, sed fidem amoremque erga semet in iis excitare student atque non adulando aut iis parcendo, sed benefaciendo, illustrando, emendando sibi eos devincire eoque ipso similes CHRISTO Deoque reddere. Conf. omnino Matth. IX: 10 seqq. 36 seqq. XI: 4 seqq. Luc. XV: 1 seqq. Amicam ergo, sese oblectandi causa, consuetudinem

cum iis non expetunt, probis enim impiorum consuetudo placere per se nequit; sed miseriae eorum succurrendi causa eos, ipsos adeo scelestissimos adeunt. Atque adeo plane contrarium faciunt ejus, quod *ὁ κόσμος* solet, qui inferioris abjectique generis homines adire juvandi causa non consuevit, dum delectandi gratiâ cum hominibus jucundis, licet malis, amice versatur. Conf. I Joh. II: 15. II Joh. 10, 11. — Porro vivunt aliis hominibus universaeque humanitati Christiani. Neque enim in eo subsistunt, ut non noceant, imo ne in hoc quidem, ut opes quasdam aliis impendant; sed et bona sua et vero etiam mentis animique vires aliis consecrant, vereque iis vivunt. Idque non, ut externis tantum eorum commodis, sed ut verae eorum saluti prospiciant: quare externis quidem aliorum necessitatibus succurrunt, ut his miseriis liberati illi tanto felicius excoli et perfici queant, sed hunc ipsum cultum veramque hanc perfectionem humanam supra omnia curae cordique habent. Et eum in finem non id modo agunt, quod sibi commodum est, Christiani; sed et commodum et honorem et, si opus est, vitam ipsam sacrificant pro vera aliorum salute. Vivunt autem ita Christiani conjuncti cum Deo CHRISTOque et secum invicem, atque ideo precantes rem humanitatis Deo commendant, et, ut cum Deo CHRISTOque conspirantes, agunt, et, ubi soli tollendis hominum generisque humani miseriis non sufficiunt, amicos sibi adsciscunt societatesve erigunt, quibus rem suam divinam eandemque humanissimam efficiant. Verbo, JESUM imitantur, qui et ipse prodesse ita studebat, ut non in externis subsisteret donis, sed spiritum suum communicaret, qui eam in rem et vixit totus et mortem adeo obiit, quique idem, ut cum Deo conjunctus semper, omnia agebat, et amicorum

quoque sodalitium societatemque suorum condidit, per quam propositum suum exsequeretur. Conf. Matth. V: 44 seq. Rom. XII: 20. XIII: 7—10. I Cor. IX: 19—22. II Cor. V: 4. Eph. V: 11 seqq. Col. I: 28 seq. I Tim. II: 1 seqq. I Joh. III: 16. Ex quo simul liquet, Christianos minime ita aliis vivere, ut quacunque demum ratione largiantur, quod illi cupiant, aut nunquam resistant perverse agentibus, aut nunquam molesti sint hominibus, a virtute atque pietate alienis. Quod perversae indulgentiae sit, non veri amoris. Contra, uti Deus prae amore saepe duriorem quoque sortem hominibus infligit, uti CHRISTUS opem interdum non praestabat, fortiterque se cum aliorum, tum imprimis principum virorum, perverse factis opponebat, et increpando monendoque malis erat saepe molestissimus; ita etiam Christiani, si vera id salus humana postulat, etiam opem negando, resistendo duriusve tractando verum amorem suum sanctumque manifestant, quamvis id ipsis ingratum sit, et ipsis quoque, aeque atque JESU CHRISTO, calumnias, odia vexationesve aut mortem ipsam pariat, Matth. XIII: 58. XXIII: 13 seqq. Joh. VIII: 44. XVIII: 4—8, 23, 33—38. Act. XXII: 25. XXV: 11. Phil. I: 27 seq. — Atque ita denique id student voluntque Christiani, ut dedecus generis humani tollant et naturae humanae dignitati consulant. Neque enim, qui ipsi homines sunt, ferre possunt, homines aut ad brutorum animalium humilitatem aut omnino infra suam dignitatem humanam se abjicere; et, qui ipsi omnium maxime sentiunt divinitatis capaces ingenio esse homines, facere omnia student, ut huic ingenio convenienter genus humanum divinam quoque referat indolem. Conf. Act. XVII: 28 seqq. II Petr. II: 12.

Amicam malorum consuetudinem fugere bonos, jam notavit CICERO, *Laelio*; c. 20.

10. Hisce sensibus studiisque (Obs. 8, 9) quaecunque vere contraria sunt, fugiunt, et quae imperfectiora sunt perficere volunt Christiani. Verae φιλανθρωπίᾳ contrarium non esse, quod ei contrarium a multis habetur, amicam cum impiis consuetudinem fugere, erroris perversitatisque osores palam sese ostendere, et durius etiam increpare malos fortiterque resistere perverse agentibus, jam vidimus Obs. 9. Sed vere ei contraria universe quidem sunt irae, odia, dissidia, injustitia, invidiae, calumniae, caedes similiaque, vid. Rom. II: 29 seqq. Tit. III: 2 seqq. et conf. §. XII, 7, 9. §. XXXVII, 10; speciatim vero etiam quaedam, quae a nonnullis tanquam non mala habentur. Ita piis non raro accidit, ut perfectae religionis suae admiratione ad contemtum eorum, quae imperfecta sunt, ducantur; hominis autem vere Christiani est huncce contemtum vitare, et, dum quod perfectum summumque est sectetur ipse, lubenter observare quicquid aliis hominibus inest humanum, licet imperfectius, imo id ipsum velle sensim perficere; Marc. X: 21. XII: 34. Joh. I: 48. Act. XVII: 22 seqq. 28. conf. §. VIII, 2, 3. Ab omnis porro, quamvis excusari aut etiam a multis laudari solitae, vindictae studio abhorret Christianus. Etenim, licet, uti vidimus Obs. 9, resistat saepe male agentibus, causam suam aut societatis suae ipsiusque Dei et CHRISTI fortiter defendendo et interdum etiam increpando duriusque perversos tractando, facit et hoc unice prae Dei CHRISTIque et societatis Christianae amore, imo prae amore ipsorum quoque illorum perversorum, quos ad meliorem, si fieri queat, men-

tem adigere studet; nunquam vero prae odio eorum aut vindicta sui: quippe est ille, uti Deus CHRISTUS-que, condonanti lenique animo et nil, nisi quod vere bonum omnibus sit, volenti. Denique, quod non modo Monachi et Eremitae fecerunt, sed et summis quibusdam accidit viris, ut hominum societatem, quippe perversam linquerent, id contrarium est verae φιλανθρωπίᾳ Christianorum, nunquam societatem humanam, quantumvis perversam fugientium, neque prae metu contagionis, neque prae desperatione de aliorum emendatione; sed in media societate a tentatione malorum cavendum est, ad mortem usque, prouti JESUS fecit, confidenter in ipsius salutem vivendum. Conf. omnino Joh. XVII: 15 seqq. Imo vero, haec vis est amoris, Ecclesiae Christianae sociis proprii, ut semper magis secum invicem jungere se studeant, in sua φιλανθρωπίᾳ imperfectiora omnia emendent, atque ita identidem perfectiora efficiant et societatem suam ad universum extendant genus humanum, Eph. IV: 16.

De vindicta omni fugienda vid. GARVE, l. l. imprimis p. 198—200 et H. G. J. VAN DOESBURGH, *Comment. de φιλεχθρίᾳ*, in *Annal. Acad. Gron. a.* 1820—1821. Quod ad viros quosdam magnos, societatem fugientes, vid. I. Reg. XIX: 3 seqq. et PLATO, *Rep.* L. VII, p. 519 seq.

11. Haec φιλανθρωπία Christiana, quae ex Dei CHRISTIque amore originem et in Christianae Ecclesiae conjunctione insigne suum sustentaculum habet, conservatur perficiturque per consuetudinem cum Deo, CHRISTO sanctisque perpetuam. De hac vid. §. XXIX, XXX. Cum reliquis hominibus consuetudo ad exercendum quidem illum erga eos amorem necessaria est, sed ad illum in ipsis Christianis alendum saepe

parum valet; imo divini ingenii neglectus animique perversitas illorum saepe ad horum amorem extinguendum magis, quam inflammandum, valere queat. Vel sic tamen, quo magis hi, cum Deo CHRISTOque conspirantes, constanter pergunt in quorumvis hominum ad Deum perducendorum opere, eo magis in eorum nonnullis certe divini ingenii vestigia et divinae indolis capacitatem laeti vident, atque sic ipsum hujus quoque amoris exercitium vim ejus atque ignem alit; sed et ita simul erga hosce, ad Deum CHRISTUMque se convertentes amor sensim in *φιλαδελφίαν* mutatur. — Quo magis autem haec *φιλανθρωπία* constanter exercetur perficiturque in Ecclesia Christiana, eo magis eximios habet effectus. Tollit in genere humano mala physica multa, aut tolerabilia reddit eadem, bonaque externa praebet complura. Imprimis errores vitiaque tolluntur et sapientia probitasque provehitur in genere humano: atque sic, per Ecclesiam hancce Christianam genus totum humanum magis magisque revera experitur amorem Dei CHRISTIque summum. Quo autem magis id locum habet, eo felicius terrigenae omnes cum Deo CHRISTOque et cum coelicolis omnibus conspirant, et eo magis Divini amoris propositum summum, in totius mundi harmonia positum, attingitur, Eph. I: 4. 10. Col. I: 20. III: 14. §. XXXI, 5, 6.

12. Lubet adjicere brevem contemplationem historicam verae *φιλανθρωπίας*, per CHRISTI spiritum demum in his terris excultae, quo luculentius hujus vera vis atque praestantia perspiciatur.

Quodsi terram hancce ante CHRISTI tempora contempleris, in ea *φιλανθρωπίαν* vix aut ne vix quidem invenies. Neque mirum, cum gens humana sensim modo ad excelsiora procedere soleat, atque ita non nisi

tandem ad hocce virtutis culmen se evexit, quod in caritate totius gentis humanae est positum. In minus cultis igitur gentibus videmus summum quidem erga familiam amorem, sed conjunctam cum hocce sanguinis vindictam, in reliquos facile furentem. Apud Hebraeos, religione in antiquitate praestantes, celebratum illud MOSIS praeceptum, de proximis amandis datum, ad gentis amorem pertinet, proximique sunt MOSI iidem, qui populi ejusdem progenies. Sanguinis vindicta ab eo mitigata quidem est, et pauperibus Israëlitis leges ipsius magnopere favebant, servis etiam, qui e gentibus devictis orti erant, multa concedebantur bona, et semina universalis φιλανθρωπίας continentur in praecepto Mosaico de peregrinis etiam, inter Israëlitas versantibus, amandis. Sed vel sic tamen in servitutem redigere licebat homines ex aliis gentibus devictos; atque necessaria ipsius gentis Israëliticae a populis idololatris separatio, cum universo Theocratiae Mosaicae consilio juncta, parum favebat universorum hominum amori. Et vero apud Hebraeos ipsos, imprimis apud posterioris aevi Judaeos invaluit fere solius gentis suae, ut sacrae, aestimatio, reliqui generis humani odium. Quapropter JESU tempore illi ignorabant, Samaritanos etiam, ut proximos, esse amandos, mirabantur, JESUM his quoque favere, imo oderant Apostolos, PAULUM imprimis, quia hi eandem cum reliquis populis, atque cum gente sua, salutem communicare volebant. Apud Graecos Romanosque unice civitatis habebatur ratio, patriae vigebat amor. Cives habere civitati utiles volebant. Spartae trucidabantur infantes, si civitati existimarentur proficui fieri non posse. Ibidem Hilotae, quippe non genuini Lacedaemonii, paene servorum instar tractabantur. Ubique autem in servitutem redigebantur ex aliis gentibus devicti.

Ubique regnabat contra hostes odium, et id praecipiebant cultissimi etiam summique philosophi. Ita SOLON:

Εἶναι δὲ γλυκὺν ὧδε φίλοις, ἐχθροῖσι δὲ πικρὸν,
Τοῖσι μὲν αἰδοῖον, τοῖσι δὲ δεινὸν ἰδεῖν.

Et SOCRATES censebat *ἀνδρὸς ἀρετὴν εἶναι, νικᾷν τοὺς μὲν φίλους εὖ ποιοῦντα, τοὺς δὲ ἐχθροὺς, κακῶς.* Qui commendabatur fere et summis laudibus efferebatur patriae amor, erat saepissime reliqui generis humani odium. Et quae a Cicerone paucisque aliis laudari incipiebat caritas generis humani, vix ulterius procedebat, quam ut, quae sine ullo detrimento suo quis posset, commoda externa etiam ignoto homini concederet.

Ad ea quae de MOSE dicta sunt vid. Levit. XIX: 18, 34. conf. HINLÓPEN, *Overdenkingen*, p. 243 seqq. SOLONIS locum vid. apud BRUNCK, *Poëtae Gnomici Graeci*, p. 74; SOCRATIS dictum in *Memor. Socr.* L II, c. 3. §. 14. c. 6. §. 35. De patriae amore apud Romanos vid. CICERO, *Rep.* L. III, c. 9, in fragmento e *Lactantio*, *Inst.* L. VI, c. 6; de caritate generis humani, quam ipse celebrat ut in omni honesto summum, *de Fin.* L. V, c. 23, conferri omnino debet *de Offic.* L. I, c. 16.

Sin vero oculos jam in JESUM CHRISTUM, hac in terra olim viventem, convertas, *φιλανθρωπίαν* summam ab ipso patefactam vides. E coelo veniens, hunc erga omnes amorem secum de coelo duxit et in terra vigentem reddidit. Ipse coecis, surdis, mutis, aegrotis saepissime cinctus, miserorum omnium sospitator erat. Externa autem haec beneficia, ex ipsius consilio, inservire eum in finem debebant, ut illi beneficiorum capaces fierent, animum illustrantium eumque

ad sanitatem perfectionemque ducentium. Ita vivebat totus in salutem hominum omnis, etiam infimi, generis. Quantum licebat, Samaritanis quoque prospexit, viamque ille stravit, qua omnium omnino gentium homines ad veram pervenire salutem queunt. Ita vixit, et vero etiam omnia pertulit et mortem ipsam subiit prae φιλανθρωπίᾳ. — Et si jam nunc terram hancce post CHRISTI in ea apparitionem contemplaris, vides, illo praeeunte et coelitus Ecclesiam suam regente, veram φιλανθρωπίαν per ipsius demum spiritum esse excultam. Primi jam Christiani suos pauperes egregie curabant, ne cogerentur hi a fide, CHRISTO habita, discedere. Aevis primis CHRISTI sectatores pauperibus et miseris et, in ipso adeo pestis horrore, aegrotis cum suis tum universis curandis admirationem omnium moverunt. Deinde per saeculorum decursum invaluerunt sensim magis instituta curandis coecis, mutis surdisque, aegrotis, pauperibus senibus, infantibus rejectis, pueris orphanis destinata, et eum plerumque in finem fundata, ut non externis tantum consuleretur miseriis, sed et homines ad veram humanitatem, imo divinitatem, excolerentur. Et vero ut egeni rudesque plane erudiantur, scelesti emendentur, pueruli informentur, incultae gentes reformentur totae, nulli rei parcent Christiani; novas excolunt regiones, carceres visunt, scholas condunt, societates jungunt, barbaras gentes adeunt, et, cum commodi sui jactura et vitae suae periculo exercent τὴν φιλανθρωπίαν, qua homines, utpote divino praeditos ingenio, amant, ut ad divinam eos instituant indolem, divina eos societate secum invicem et cum CHRISTO et cum coelitibus et cum Deo jungant. Ita per CHRISTI spiritum apparuit et regnare hac in terra coepit vere divinus generis humani amor.

§. XXXIX.

De modo, quo in variis vitae conjunctionibus animati sunt Christiani.

Ex his sensibus voluntatibusque erga CHRISTUM, Deum, semet ipsos, socios reliquosque homines, Christianae societati propriis (§. XXXIV—XXXVIII), tanquam ex fonte fluviisque primariis promanant Christianorum hominum sensa studiaque divina per varias vitae humanae conjunctiones omnes.

In hisce igitur singulis principium quidem sensuum voluntatumque Christianarum ex eo oritur, quod omnes vitae humanae conjunctiones a Deo creatore, moderatore atque patre suo ordinatas esse et CHRISTO duce ad divina in genere humano consilia exsequenda tendere, persuasum sibi habent Christiani. Quare etiam propositum hoc habent, ut, prouti id fert et capit singularum conditionum vinculorumque natura, in iis singulis ad exsequenda Dei CHRISTIque consilia, provehendamque societatis Christianae conservationem perfectionemque et generis humani salutem quam plurimum conferant. Atque adeo sic in singulis sentiunt, volunt vivuntque, uti erga Deum

CHRISTUMque amor jubet et uti vult amor cum erga singulos illos, quibuscum juncti sunt, homines, tum erga universam societatem suam gentemque humanam.

Igitur in vita domestica, ex qua omnis vitae humanae initium, conservatio et salus primaria oritur, omnia ad Dei CHRISTIque mentem exiguntur et ad divina componuntur consilia. Maritus amanda procurandaque conjuge, conjux amando juvandoque marito; parentes educandis instituendisque liberis, liberi grato animo parentibus obsequendo seque invicem mutuo diligendo; heri cum benevolo amore regunda familia, cumque lubenti amoris studio ei ministrando; cognati cognatorum commodis salutique favendo; singuli autem vita exemploque suo cunctos ad vera, decora et divina omnia ducendo perficiendoque, ita vivere student, ut domus ipsa familiaque verissimum sit, a Deo constitutum, seminarium societatis Christianae.

In vita autem civili et societate humana externa, per quam omnia certo optimoque ordine ad gentium singularum universaeque familiae humanae salutem componi debent, quo magis Christiana viget indoles, eo magis suum quisque negotium summo cum studio aget in

communem salutem; cunctique amore juncti gentis suae causam ita provehent, ut simul generis totius humani saluti non nocere, sed prodesse studeant. Quotquot in principatu aliquo sunt positi, cum sapienti, justo sanctoque amore non modo ordinem, justitiam libertatemque fortiter vindicant, sed et omnium cultui perfectionique benevole prospiciunt. Reliqui cives non tantum legitimo regimini nunquam resistunt, bonis legibus lubenter obtemperant et ad justam causam cum principibus vindicandam conspirant; sed et optimum quemque principem ut patrem diligunt, veris civium ut fratrum commodis sponte sua prodesse student, et gentis suae atque generis humani salutem curae cordique habent. Utrique non nisi per rei naturam coacti, sine perversorum hominum odio, perversitati per vim et arma resistunt. Utrique lubenter, cum generoso hominum omnium amore, viribus suis vitaque tota inserviunt cunctorum illustrationi, perfectioni, conjunctioni summaeque felicitati. Quo fiat, ut civitates externaeque societates magis magisque conspirent et coalescant cum divina animorum per CHRISTUM conjunctorum societate.

In reliqua item vitae consuetudine, quam

sua quisque sponte sibi contrahit, velut in beneficiis cum dandis tum accipiendis, atque in contrahendis colendisque amicitiis, et CHRISTI exemplum imitantur Christiani et ad sanctissimae suae societatis salutem toto conspirant animo.

Denique in hac ipsa Christiana societate qui singularibus praediti sunt dotibus et peculiaribus funguntur muneribus, communis omnium salutis studio ducti cuncta eo conferunt, ut uno omnes eoque divino spiritu agantur atque beëntur. Illorumque beneficia confidenti, grato amantique animo recipientes, omnes magis magisque Dei CHRISTIque consiliis respondent, societatis divinae perfectionem provehunt, gentis humanae salutem unanimi studio perficiunt. Quo ipso magis magisque perfecta totius universi harmonia efficitur, summum illud, quod per Filium Pater perficit, divini amoris opus.

1. De vario, quo in variis vitae conjunctionibus Christiani animati sunt, modo separatim etiam agendum est. Namque, licet illi, erga quos pro varietate illa varie animati sunt, non alii sint quam iidem illi aut socii aut homines, de quibus actum jam est §. XXXVII et XXXVIII; tamen, per ipsas illas varias conditiones atque vincula varia (barbare dicas: *relationes varias*; nos: *verschillende betrekkingen*)

illi ipsi sunt *objecta* varia, de quibus aliter sentiendum volendumque est iis, qui in ea conjunctione cum ipsis positi sunt, quam hominibus reliquis. Sic parentes eorumque liberi ab aliis pariter diligendi sunt ut homines; sed sibi invicem diversa sunt objecta, sive aliter a liberis parentes, aliter a parentibus liberi sunt diligendi. — Et facile quidem cuiquam magis naturae consentaneum fuisset visum, si prius de familia et civitate, posterius demum de universa societate Christiana totoque genere humano egissemus. Neque tamen in Christiana Ethica hujusmodi ordo vere probandus est. Christiani enim non solius familiae causâ, neque civitatis tantummodo gratiâ quicquam agunt; sed prae Dei CHRISTIque amore, etiam in familia atque civitate spectant societatis Christianae emolumentum gentisque humanae salutem. Quare quaenam in illis variis vitae conjunctionibus sint sensa studiaque vere Christiana, nunc demum clare cerni intelligique posse videtur, postquam de universalibus erga societatem hanc Christianam gentemque humanam omnem sensibus jam egimus. Conf. Apostolorum exemplum, v. c. Rom. XIII. Eph. V: 21 seqq. VI: 1 seqq. Col. III: 18 seqq. IV: 1 seqq. I Petr. III: 1 seqq. Fons omnium sensuum studiorumque in homine Christiano est amor erga Deum; ex hoc majora illa quasi flumina profluunt; ex quibus porro rivuli dimanant quaquaversum per omnem omnino, quam late patet, vitam humanam.

2. Si igitur quaerimus de principio, unde proficiscantur, de fine, ad quem tendant Christianorum sensa studiaque in variis vitae conjunctionibus omnia, et de horum sensuum studiorumque natura universali; haecce tenenda videntur.

Initium illa sensa studiaque Christiana ab eo ducunt, quod Christiani persuasum sibi habent, omnes vitae conditiones etiam peculiares, omnia vincula, quibus cum hominibus variis juncti sunt, ordinata esse a Deo et, duce Dei Filio, inservire debere ad efficienda Dei consilia. Sic Christianus homo et de conjunctionibus ab ipso non pendentibus judicat, v. c. de vinculo cum parentibus, e quibus natus est, atque cum civitate, in qua vitam est nactus; et de iis etiam conjunctionibus, in quibus suo ipsius delectu vivit, v. c. de amicitia et matrimonio. Quamquam in hisce, si de ipso delectu faciendo quaestio est, videndum est, quales conjunctiones et cum qualibus ineundas Deus velit nolitve. Sed postquam eas Christianus iniit, quicquid in iis ipsi contingit, Deo gratum refert, quippe qui et vires et opportunitates ipsi praebuit et spiritum etiam illum, quo delectum Divinae convenienter voluntati fecit. — Ita sane decet Christianum hominem statuere, cum noscat Deum creatorem, moderatorem patremque suum, et certo sibi persuadeat, omnia omnino ex Dei voluntate per CHRISTUM tendere debere ad ipsius sapientissima, sanctissima et benignissima consilia exsequenda. Ita vero etiam ille, per vim indolis suae, revera statuit. Namque cum erga Deum amor ipsum in omnibus ducat, in omnibus rebus, atque adeo in his quoque conjunctionibus suis et Deum videt semper et Divina consilia exsequenda esse persentit. Matth. XIX: 6. Joh. XV: 15, 16. I Cor. IX: 14, 16. Eph. VI: 4.

Ex his de principio dictis jam liquet, finem propositumve Christianorum in eo esse, ut Dei illa consilia faciant sua atque ideo ad Divina consilia exsequenda tendant in variis suis conjunctionibus.

Et sunt quidem consilia haec Divina diversa pro diversitate ipsarum conjunctionum, et ex harum igitur singularum naturâ ipsâ cognoscenda. Sic v. c. cum mariti utpote viri robustior sit natura et uxori debiliori protegendae procurandaeque apta, ex hoc ipso Divinum intelligitur consilium, in illa procuratione positum; cumque infantum puerorumque plane inops et rerum omnium indigens sit conditio, parentum vero ratio apta sit ad iis succurrendum, ex eo ipso jam intelligitur Divinum hoc esse consilium, ut parentes educent atque instituant suos liberos. Verum in his omnibus tamen simul Christiani uberius spectant et ad summa ultimaque etiam Dei CHRISTIque consilia respiciunt in eo, quod vere bonum divinumque est, provehendo omniumque salute procurandâ posita. Itaque, quos hi sive procurare, sive juvare debent, in his haec proposita ita exsequuntur, ut simul haec sint media, quibus fines etiam superiores ulterioresque assequi studeant. Conf. §. XXXI, 1. Vid. Joh. XV: 16. I Cor. VII: 14, 16. Eph. V: 23—28. VI: 4.

Cum ergo sic a Deo CHRISTOque initium faciant in sensibus etiam voluntatibusque, singulis in conjunctionibus suis, regendis, et ad finem tendant huncce Christiani, ut consilia Divina, in societatis Christianae gentisque humanae salute posita, provehant; sponte definita sunt sensa haec studiaque, quibus se duci patiuntur. Ita enim incipientibus et ad eum finem tendentibus via alia esse non potest, qua procedant, nisi ut Dei illius CHRISTIque amore regi se patiantur in singulis, et hoc ipso componantur ad verum divinumque amorem erga ipsos illos singulos homines, quibuscum peculiariter juncti sunt, diversum illum pro ipsarum conjunctionum diversitate, sed eundem

semper ita rectum, ut conspiret cum amore erga universam societatem Christianam gentemque humanam.

Quodsi ita rite rem nobis proponimus, videmus nullam unquam veram esse posse pugnam inter voluntates actionesque, quas singularibus quibusdam hominibus debeamus, et eas, quas vel universis debeamus hominibus, vel Christianis, vel etiam Deo CHRISTOve. Ejusmodi de pugna sive collisione officiorum disquisitio originem in eo habet, quod saepe de officiorum, legibus regundorum, generibus variis, quasi a se invicem separatis, actum est. Quodsi de virtute ipsâ, ut est, unâ rite agatur, perit sponte vera pugna omnis. Fons enim sensuum voluntatumque omnium unus est erga Deum amor, et si modo rite attendatur, qualia esse sensa studiaque debeant, quae vere dici possint inde profluere, nulla inter haec pugna esse potest, cum haec ipsa tum demum vere bona sint, si alia per alia definiuntur suisque terminis continentur et ad unum finem ultimum cuncta conspirant. Dubitare quidem et incertus interdum haerere aliquamdiu homo bonus potest, quia nondum satis est provectus. Sed quo magis perficitur homo Christianus, eo minus ei opus est, ut computet et quasi calculos subducat; eo magis et mens acute facileque cernit, et extemplo bene sentit animus, et voluntas statim rectum sensum sequitur. Conf. §. XXVIII, 2, 4.

De postremo hoc conf. SCHLEIERMACHER, *Predigten*, I edit. I Samml. n. XI, p. 247 seq. De collisione officiorum conferri possunt REINHARD, §. 200 et auctores ibi laudati, quibus addi meretur DE WETTE, *Christl. Sittenlehre*, III Th. §. 435, 436, qui et recte monuit, §. 435 initio, si de virtute ipsa una rite agatur, veram cogitari pugnam nullam posse.

3. De vita domestica jam acturis, optime vide-

tur, coll. Obs. 2, sic institui disquisitio, ut singularum in ea conjunctionum indagetur et ratio naturalis, Divinitus ordinata, et consilium Divinum Christianis per CHRISTUM cognitum, et finis quem ideo Christiani in illis singulis spectant, et natura sensuum studiorumque ad hunc finem assequendum compositorum.

4. Conjugii ratio naturalis haec est, ut in eo habeatur virium omnium cum corposis tum animi et omnium opum utilitatumque summa communio, sive, ut antiquitus jam dictum est, individuum vitae consortium. Conjux ergo conjugi vivat, sed ita ut maritus uxorem unice possit debeatque defendere et procurare, fortior debiliorem, eaque ipsa de causa uxor hactenus ei obsequi debeat, ut ille eam defendere et procurare queat. Hanc naturalem rationem homo Christianus agnoscit a Deo ordinatam; conf. Matth. XIX: 4 seqq. Eph. V: 22 seqq. — Idem autem Dei consilium per CHRISTUM cognitum habet hocce, ut conjux conjugem, alter alteram habeat et agnoscat et perficiat, ut sibi aequalem, CHRISTI spiritu aeque donatam; atque ita uterque omnia Deo CHRISTOque consecret, omnium maxime sobolem communem Deo sacram existimet; Gal. III: 28. I Cor. VII: 14. I Petr. III: 7. — Itaque propositum conjugum Christianorum hoc est, ut non modo externa ratione alter alteri prospiciat, altera alterum juvet, atque ita conjuncti liberos externa ratione educent; sed etiam ut conjux conjugis verae animi saluti consulat et uterque progeniem quoque ad communionem cum Deo CHRISTOque informet; I Cor. VII: 14, 16. Eph. V: 23 seqq. VI: 4. I Petr. III: 1 seqq. — Regnat igitur inter conjuges amor, et is quidem incomparabili modo intimus, quippe in summa communione fun-

datus, Eph. V: 28 seqq.; consilio autem suo divinus, quippe ad divinam perfectionem salutemque tendens, I Cor. VII: 14, 16; et, si uterque conjux vere Deo CHRISTOque adhaeret, sanctissima etiam vitae communione conspicuus, cum et ejusdem spiritus communitatem in se invicem diligant, et perpetua consuetudine vitam hanc spiritualem secum communicent et in se invicem alant, vid. ll. ll. ex I Cor. VII. Eph. V. I Petr. III. Uti autem jam hac in re cernitur similitudo magna hujusce conjunctionis cum vitae communione CHRISTUM inter et Ecclesiam Christianam; ita ad hocce exemplum etiam conjuges sese componunt in regunda, quae inter ipsos intercedit, diversitate. Maritus enim non pro arbitrio dominari in uxorem, sed cum amore eam sic regere studet, ut verae ipsius salutis conservator sit, CHRISTUM, Ecclesiam ita regentem, imitatus. Uxor non coacta atque servili ratione obtemperat, sed cum amore lubenter libereque ei se jungit et cum bonis ipsius consiliis conspirat, conf. l. l. ex Eph. V. I Petr. III. — Ex hisce simul sequitur, conjugium contractum a Christiano homine nunquam dissolvi per divortium, nisi propter unam adulterii causam, utpote per quam facto ipso conjugium jam est dissolutum; Matth. XIX: 3 seq. I Cor. VII: 10 seqq.; in conjugio autem contrahendo id a Christiano homine spectari praecipuo quodam loco, ut uterque sit CHRISTI spiritu conjunctus, sive ἀδελφὸς ἀδελφὴν habeat conjugem; I Cor. IX: 5. Luculenter item cernitur, sanctitatem perfectionemque Christianam nullo modo positam esse in abstinentia a conjugio, nisi peculiares sint causae illud dissuadentes; sed positam esse eam in hoc, ut in ipso conjugio sancta ratione perfectisque et divinis consiliis vivant Christiani; Matth. XIX:

10 seqq. I Cor. VII: 1 seqq. I Tim. IV: 3. Hebr. XIII: 4.

5. Parentum et liberorum ea est naturalis ratio, ut et corpore et animo plane indigentes parentum cura sint liberi, parentes ipsi corporis animique viribus ita praevalentes, ut et possint et debeant liberos cum educare tum instituere. Hoc Divinitus ita ordinatum esse, agnoscunt cum parentes Christiani, tum et, quando adolescere incipiunt, liberi; Eph. VI: 1 seqq. Coll. III: 20 seq. — Consilium autem Divinum per CHRISTUM cognorunt hocce, ut liberi, quippe divino praediti ingenio, Deo CHRISTOque sic tradantur informandi, ut Christiani fiant genuini, divina indole praediti; I Cor. VII: 14. — Quapropter propositum et parentum, et, quando ejus capaces facti sunt, ipsorum etiam liberorum hoc est, ut per parentes liberi sic educentur et instituantur, ut aliquando adulti vere libereque Dei et CHRISTI spiritu acti, Ecclesiae Christianae sint socii; vid. ll. ll. ex I Cor. VII. Eph. VI. Col. III. — Itaque inter utrosque regnat amor, consilio quidem sanctus divinusque, I Cor. VII, ratione autem sua in parentibus generoso atque leni benevoloque animo instituens, in liberis grato lubentique animo obsequens illis amanter instituentibus, Eph. VI. Col. III. — Caeterum ad omnem parentum liberorumque caritatem universamque Christianam puerorum institutionem eo melius perspiciendam, observari meretur, in toto Euangelio Deum appellari patrem, Deo lubenter obsequentes homines ejus filios, parentesque humanos a JESU saepissime comparari cum patre Deo, vid. v. c. Matth. VII: 9 seqq. Luc. XV: 11, et ipsum illum Deum proponi, ut per generis humani pueritiam adolescentiamque ad adultam usque aetatem institutorem hominum, Gal.

III: 23 seq. IV: 1 seqq. Et sane parentes boni amore suo sunt optimae imagines Dei, *ἀγάλματα τοῖ Θεοῦ*, sive amoris *αὐτοκινησίαν* et *χάριν* spectes, sive omnigenam curam providentiamque, sive etiam divina consilia. Institutionis autem exemplar optimum est ipse ille Deus, qui amore agit omnia, et primum pueritiam gentis humanae severius saepe et cogendo legibusque coërcendo formavit, deinde vero, quam primum hujus rei capacia fierent ingenia, liberius ita coepit instituere, ut sponte ipsius filii paternum susciperent, sequerenturque spiritum; conf. §. X, XVII, XXII, XXIII. Atque ita liberi etiam initio quidem saepe legibus parentum obsequantur licet coacti, sed adolescentes magis magisque diligere grato animo parentes discant, non tantum ob externae ipsorum conditionis curam providentiamque, sed etiam ob ipsum parentum amorem et mentis animique informationem. Sic parentes suos, tanquam Dei locum hac in terra tenentes, cum ament, prae amore etiam ipsorum spiritu magis magisque agentur, et per ipsos adeo Divini spiritus fient participes, conf. §. XXI, 6.

Parentes, ut Dei *ἀγάλματα* egregie jam proposuit PLATO, *de Legg.* L. XI, p. 931.

6. Herorum et famulorum ratio naturalis exinde oritur, quod heri indigent operariis, pro ipsis laborantibus, famuli libere se iis offerunt, ut victum nanciscantur pro iis laborando. Itaque illorum est, regere familam, cujus victui prospiciunt, horum vero, servire commodis herorum, a quibus victum nanciscuntur. Haec Christiani agnoscunt ordinata esse a Deo, varia membra in uno societatis humanae veluti corpore disponente; conf. I Cor. XII: 13 seqq. Imo

si heri, nondum Christiani, aliquos vi subactos in servitutem redegerint et coactos in servitute teneant, hi servi, si Christiani sunt, hanc etiam conditionem suam, moderante Dei providentia sibi accidisse neque violenter excutiendam esse existimant; heri vero ipsi, si Christiani fiunt, conditionem vi partam tenere amplius nolunt; I Cor. VII: 17, 20 seq. — Utrique per CHRISTUM consilium Divinum hocce cognoscunt, ut homines omnes ad Christianam societatem adducantur in eaque sint fratres sibi aequales, libere omnes Deo CHRISTOque servientes: norunt ergo heri ad id ducendos esse a se quoque famulos, famulique persuasum sibi habent libere se, prae amore erga Deum CHRISTUMque, probos esse debere et negotia sua agentes; I Cor. VII: 22 seq. Gal. III: 28. Col. III: 11. conf. I Cor. XII: 13. — Ergo propositum hoc utrisque est summum, ut praestent se germanos Ecclesiae socios fratresque, qui lubenter et libere alter alterius commodis salutique inserviant; Eph. VI: 5 seqq. Col. III: 22 seqq. IV: 1. — Regnat igitur apud utrosque, si quidem Christiani sunt, amor, fundatus ille in aequalitate naturae humanae et indolis etiam, si utrisque inest, Christianae; idem autem consilio divinus veramque spectans perfectionem; conspicuus autem in eo, quod heri non tyrannica ratione dominantur, sed cum amore regunt familiam ita, ut verae etiam animorum saluti apud famulos consulant, famuli vero non servili et coacta ratione ministrant, sed lubenter atque studiose commodis salutique herorum serviunt. Verbo, heri Dominum imitantur CHRISTUM, cum amore Ecclesiam regentem, famuli ministrantis CHRISTO et lubenter studioseque ipsi Domino servientis Ecclesiae exemplum sequuntur; vid. ll. ll. ex I Cor. VII. Eph. VI. Col. III, IV. Et, si utrique genuini sunt

Christiani, heri famulos, communi secum indole praeditos, fraterno diligunt amore eosque magis amicos sibi opitulantes habent, quam famulos, ipsorum jussis obtemperantes; Philem. 11 seqq. 16 seq. conf. 21. — Ex his omnibus simul liquet, indolis Christianae vim eo tendere, non ut servitutem proprie dictam servi ipsi frangere violenter studeant, sed tamen, si juste possint, liberi evadere cupiant, ut vero heri Christiani sibi subjectos homines nunquam tanquam servos, animalibus quam hominibus similiores, tractent, imo eos reddere studeant Christianos, non modo libere sed etiam cum amore ministrantes servientesque, vid. ll. ll. ex I Cor. VII, et Philem.

7. De fratribus et sororibus in eadem domo non opus est, ut pluribus agamus. Est enim inter eos, si genuini Christiani sunt, fraternus amor, qualis inter omnes Christianos est, sed idem propterea arctior majorque, quia universali communioni sacrae accedit etiam communio eorundem parentum, ejusdem educationis institutionisque domesticae et earundem ergo utilitatum ad domum paternam communem spectantium. — Neque etiam opus est, speciatim agere de cognatis, qui ad familiam, latiori sensu dictam, pertinent, iisdemque ergo, licet paulo latioribus, vinculis sunt conjuncti, similique amore atque cura sunt comprehendendi.

De fratribus et sororibus conferri meretur SOCRATES, *Memorab.* L. II, c. 3. §. 4 seqq.; de cognatis GARVE, *Anmerkungen*, ad Cicer. de Off. L. I, c. 14—18. p. 95.

8. Sed juvat etiamnum monere, omnem hunc in vita domestica amorem esse conjunctum debere cum amore erga Deum CHRISTUMque et societatem Christianam universosque homines. Nunquam illum huic con-

trarium esse, licet. Sic, verbi causa, liberis non licet obsequi parentibus, si contraria Divinae voluntati hi unquam jubeant, neque famulis, si id agant heri: Eph. VI: 6ᵉ. Col. III: 25. Neque vero etiam, prae familiae cura studioque, licet Dei CHRISTIque causae nocere aut negotium, quod in societatis Christianae gentisve humanae salutem tibi incumbit, negligere; Luc. VIII: 20 seq. Imo vero, uti vidimus, ex Dei CHRISTIque amore Christianus ita amat suos familiaeque ita prospicit, ut hac ipsa curanda prosit Ecclesiae Christianae atque adeo genti humanae. Coalescunt igitur haec omnia et plerumque sponte conspirant. Quodsi vero accidat, ut familiae suae adhaerendo vel ipsius commodis consulendo infidus fieri debeat Deo CHRISToque et turpem perfidumque Ecclesiae socium se ostendere, non dubitat familiae utilitatem Deo CHRISToque sacrificare; mavult enim, si opus sit, displicere parentibus familiaeque, et eorum adeo gratia privari, quam deesse iis, quae ipsum decent, ut virum bonum, Dei CHRISTIque amantem atque societati Christianae salutique humanae viventem; Matth. X: 35 seqq. XIX: 28 seq.

De vita domestica universe conferri meretur SCHLEIERMACHER, *Predigten über den christlichen Hausstand*, 1. edit. IV *Sam.*; item RÜTENICK, *Sittenlehre*, § 6—10.

9. De vita civili Christianorum eadem disquirenda videntur, quae de vita domestica, conf. Obs. 3. In quibus tamen ita procedemus, ut a civitatis totius natura indagando incipiamus, de singularibus principum reliquorumque civium sensibus officiisque deinde demum acturi.

10. Scilicet, si quaeritur, civitatis et conjunctionis civilis quaenam sit naturalis ratio, de hoc non

constat inter omnes. Alii civitatis propositum latius extendunt, ita ut consilium ejus sit salus publica, alii arctius limitant, ut propositum ei sit tantummodo jus tutum omnium praestare omniumve vindicare externam libertatem. Quodsi autem historiam gentis humanae et insuper etiam philosophiae politicae historiam consulimus, videntur haec praecipue tenenda. — Primis temporibus unaquaeque familia separatim fere vivit, et parvam quamdam facit civitatem, in qua regit pater, conjunctim inter se aequales sunt fratres, omnes autem conspirant, certe conspirare debent ad communem suam salutem, quem fere finem sibi propositum habent supremum. Quod si recte agunt, prouti, verbi causa, id agi in sua familia Patriarchae Hebraei volebant, ita id faciunt, ut reliquis familiis non noceant, sed potius prosint. Deinde vero vel una familia in totam gentem increscere solet, vel etiam complures familiae, ad eandem stirpem pertinentes, in unam coalescere societatem. Ex priori ratione sponte nascuntur civitates sive imperia patriarchalia, ex posteriori respublicae, quae sunt *φρατρίαι*, in quibus seniores, sive patres complures, fraterna ratione juncti regunt. Procedente tempore, ut per se intelligitur, haec aliis atque aliis modis magis minusve mutantur et ad certas etiam formas varias componuntur. Sed ex hac civitatum prima origine satis intelligitur, esse eas singulas naturali sua ratione majores quasdam familias, in quibus regunt et regere debent, patrum instar, principes, reliqui obsequi ut filii, qui inter se fratres sunt: idque si recte agunt, ita faciunt ut familiis similibus aliis non nocere studeant, sed potius prodesse. — Itaque antiqui philosophi, naturae humanae observatores seduli, hisce convenienter plerique statuere solebant,

salutem communem civitatis esse spectandam. PLATO τὴν δικαιοσύνην, id est rectum omnium animi habitum, et inde oriundam totius reipublicae salutem spectari volebat, cives inter se esse debere fratres docebat, qui communes cuncti haberent patres, ipsorum rectores institutoresque. Similiter ARISTOTELES honestam et beatam omnium vitam proponebat propositum civitatis. Pariter philosophus idem atque vir politicus, CICERO. Atque ita etiam permulti recentiores semper statuerunt, unde celebrata haec inter eos sententia est: Salus publica suprema lex esto! Sed cum Principes permulti, salutis publicae nomine, abuti jure suo saepe viderentur; hinc imprimis factum videtur, ut multi potius statuerent, propositum civitatis determinandum esse eo, ut jus tutum praestaretur omnibus. Accessit etiam, ut videtur, subtilius apud recentiores, idque meritissimo factum, discrimen juris et moralitatis; ex quo vero minus bene derivarunt nonnulli, civitatis esse modo jus tutum praestare aut externam tueri libertatem, unius vero cujusque hominis esse, prospicere vitae honestae atque beatae. Vel sic tamen hodie permulti Juris Consulti et Philosophi statuunt, consilium civitatis omnino esse in communi perfectione atque salute positum, licet vi et cogendo hanc civitas efficere nequeat, sed unice ordinem servare vi possit debeatque, salutem illam ipsam aliis institutis provehens. Et vero docet historia, pluribus adjumentis, a civitate praebendis, non indigere vel artes, vel doctrinas, vel Ecclesiam CHRISTI: florent hae et increscunt et fructus ferunt, favente iis civitate; civitate eas regente, marcescunt et facile perduntur. — Ex his igitur nobis quidem satis liquet, naturalem conjunctionis civilis hanc esse rationem, ut in ea viri

principes regere debeant, quo possint prospicere omnium saluti, reliqui cives obsequi regimini principum, omnes autem conspirare ad hunc finem, ut omnium efficiatur, servetur, perficiatur vera salus: caeterum, non posse salutem hanc effici, neque licere eam efficere velle, vi et cogendo; cogendo et vi adhibenda unice jus omnium servari tutum posse libertatemque socialem et ordinem licere tueri; reliqua condendis aut eliciendis, ac tuendis provehendisque aliis institutis, ad id naturâ factis, esse conanda. Quapropter, licet hoc a recentioribus philosophis et Juris Consultis distinctius sit explicitum, idem hoc placitum est, quod antiqui jam enuntiarunt, praecipuum civitatis consilium esse, ut sit civium beate et honeste vivendi societas; et id effici debere, partim institutis, alia legibus. — Jam vero hanc in civitate conjunctionem viros principes inter et subjectos atque ipsos inter cives, aeque atque conjunctionem inter familiae rectores ipsamque familiam reliquam, homo Christianus agnoscit a Deo ordinatam. Ordinatam autem dicentes a Deo ipsam civitatum rationem naturalem, universam, ideo non dicimus, ullam civitatem in singulis rebus a Deo regi, acsi sit theocratia, per quam imperantium legibus jussisque omnibus, quasi Divina auctoritate latis, sine ulla exceptione sit obtemperandum: quod neque in ipsa civitate Israëlitica JESUS ejusque Apostoli fecerunt, et vero non licere professi sunt, Act. V: 29. Sed et eandem illam naturalem civitatum rationem non tantummodo Dei providentia tolerari dicimus, quasi auctoritas Principum universe, tanquam malum quoddam necessarium, modo ferenda sit: quod tum demum est existimandum, quando auctoritate sua Principes abutuntur, coll. Joh. XIX: 11.

Imo civitatis ratio sapienter a Deo ordinata est in salutem societatis humanae, quam ita ille creavit disposuitque, ut membra varia totius corporis saluti consulere debeant, vid. Rom. XIII. 1 seqq. coll. I Cor. XII: 14 seqq.

PLATONIS vid. *de Republica* libri, ARISTOTELIS imprimis locus, *de Rep.* L. I, c. 2. CICERONIS, *de Rep.* L. IV, c. 2, initio et *de Legg.* L. II, c. 5. Conf. VAN HEUSDE, *Diatribe in Civitates antiquas*; M. LENTS, *Disp. de forma consociationis ejus, quae civilis dicitur deque proprio hujus consociationis fine*, Gron. 1808; W. H. DE SAVORNIN LOHMAN, *De notione civitatis.* Gron. 1827; C. STAR NUMAN, *Oratio inauguralis de Jure publico, nostris imprimis temporibus recte excolendo*, in Ann. Acad. Gron. a. 1833—1834; atque A. G. WICHERS, *Dissert. continens criticam disquisitionem loci, qui est in codice poenali Gallico, de facinoribus contra bonos mores*, Gron. 1839. Cap. I. Non inepte fortasse distinguere queas *propositum juris publici*, in libertate sociali servanda positum, et *propositum ipsius civitatis*, in publica salute provehenda quaerendum; et si doctrinam utrique rei exponendae separatam destinare velis, illi inserviet *juris publici doctrina*, huic autem *ethica politica.* De hac inter Ethicos egregia multa monuit GARVE, in *Einige zerstreute Betrachtungen über die Moral der Politik*, in *Anmerkungen*, ad Cic. de Off. L. III, p. 121 seqq. et in *Abhandlung über die Verbindung der Moral mit der Politik*, adject. in fine totius operis.

11. Christiani autem Divina per CHRISTUM consilia summa in hoc norunt esse posita, ut ad veram salutem, in veri, boni divinique studio sitam, perducantur homines omnes; eamque in rem sciunt conjungendos esse ipsos secum invicem; neque unius tantum populi, sed gentium omnium homines: ideo supra omnes omnino singularum gentium Principes

elatum esse CHRISTUM, totius generis humani Principem; Eph. I: 20 seqq. II: 12 seqq. Col. I: 16, 19 seq. II: 14 seq. — Itaque propositum summum, quod Christiani per vitam quoque civilem attingere student, hocce habent, ut magis magisque omnes ad veri bonique cognitionem et amorem veniant, tutoque vivant veritati, pietati salutique humanae efficiendae atque provehendae. Id propositum habent cives Christiani omnes, atque ideo, si Principes quoque vere Christiani sunt, hi etiam hoc ipsum habent consilium summum in civitate regunda; I Tim. II. 1—6. I Petr. II: 12—17. conf. Rom. XIII: 4[a].

12. Regnat ergo in civitate quoque apud Christianos amor. Et amor quidem hicce fundatus est non modo in communi hominum natura, sed etiam in arctiori cognatione gentis ejusdem, et ejusdem patriae regionis earundemque utilitatum externarum communione, imo communitate etiam rerum ad cultum perfectionemque animi pertinentium et opportunitatum in re religionis: quodsi gens universa sit Christiana, accedat praeterea communio Christiana tota; Matth. XV: 24. Luc. XIX: 42. Act. II: 39. VII: 2. XIII: 26, 32, 46. Rom. IX: 1 seqq. X: 1. conf. Philem. 6. Idem autem ille amor Christianorum conspicuus est in eo, quod non legibus coacti modo sic agunt, ut non noceant, aut etiam ut prosint civitati, sed sponte, lubenter et Divinitus ad id excitato studio abstineant a nocendo, inserviantque saluti omnium; Rom. XIII: 5—10. I Petr. II: 12 seqq. Denique est idem ille amor consilio suo divinus, spectans quippe et civium ipsorum et vero etiam universae gentis humanae veram summamque salutem; I Tim. II: 1—6.

13. Quodsi jam singulos in civitate spectes; Prin-

cipes quidem Christiani prae amore fortiter tuentur, etiam contra adversarios, ordinem, justitiam, civiumque et ipsius civitatis libertatem, sine quibus salus nulla esse potest, quaeque ergo qui turbant aut tollere conantur, eo ipso sibi consciscunt poenas sequelasque inde orientes malas; Rom. XIII: 3 seqq. I Petr. II: 14.; sed et prae amore consulunt verae saluti omnium, et bonorum quorumque maxime, provehendae; Rom. XIII: 4. I Petr. l. l. Cives autem Principibus obsequi volunt lubenti animo sanctoque amore. Regimini ergo civitatis universo, eique non tantum bono, sed, etiam per civitatis leges constituto, legitimo cuicunque, se subjiciunt, nunquam ei se subtrahere studentes; illigitimo unice, aut non legitimum se ostendenti, in rebus malis resistunt; Matth. XXII: 21. Joh. XVIII: 23. Act. XXIII: 1—5. Rom. XIII: 1 seqq. I Petr. l. l. Jussis autem legibusque Principum bonis lubenter obsequuntur; idque prae amore agunt, atque ideo lege etiam superiores sunt, quippe eam quidem ut normam sic servantes, ut nihil unquam contra eam agant, sed prae amore ita superantes, ut multo etiam plura lubenti animo agant, bona quippe Principum consilia prae amore sua facientes; I Tim. I: 8 seqq. et ll. ll. ex Rom. et I Petr. Tantummodo, si quid manifesto mali in singulari aliqua re jubeant agantve Principes, cives Christiani, prae Dei hominumque amore, non silent, sed libere mentem suam profitentur, et Deo magis quam hominibus obsequendum censent: at vero tum quoque, quando contra leges jussave ejusmodi singula quaedam loquendum agendumve est, vel sic tamen universo civitatis regimini legitimo ita se subjiciunt, ut ne mortem quidem, si infligatur, subire detrectent: quod ut ex JESU Apos-

tolorumque exemplo liquet, ita etiam ex eorum dictis, v. c. Matth. XXII: 21. XXIII: 2 seqq. XXVI: 55. Joh. XIX: 11. Act. IV: 10. V: 29. XXV: 11. Speciatim ergo etiam cives Christiani cum Principibus conspirant in civitatis causa per vim vindicanda, justa nempe; in injusta tantum nolunt et poenas, si quae propterea infligantur, potius ipsi luunt; justam vero causam a Principibus per vim quoque vindicandam esse noscentes, cum iis se jungunt; conf. Rom. XIII: 4. Caeterum secum invicem cives sponte et prae amore se conjungunt, non ad nocendum, sed ad salutem communem provehendam. Imo ad id apti paratique sunt Christiani, uti alii nulli, quippe qui, JESUM imitantes, verae saluti civium patriaeque suae consulunt, etiamsi vel propterea mala multa et mors ipsa sint perferenda; Rom. XIII: 9 seq. conf. Matth. XV: 24. Luc. XIX: 42. Act. XIII: 26, 46. Rom. IX: 1 seqq. X: 1.

14. Quod igitur attinet ad rationem propositi sui assequendi, et principes et cum his reliqui cives, non ad salutem quidem ipsam comparandam aut provehendam, sed ad ordinem, justitiam libertatemque cum singulorum tum civitatis totius, sine quibus salus esse nulla potest, tuendam contra adversarios vi eam aggredientes, utuntur vi et armis; idque non lubenter, quippe amore ducti, sed per rei naturam coacti, quippe prae amore volentes omnium, bonorum maxime, vindicare causam, etiamsi id fieri aliter nequeat, quin perversi meritas experiantur perversitatis sequelas: imo prae amore tum etiam optant, ut ipsis hisce perversis id in emendationem veramque adeo salutem cedat, et universe non desinunt ipsis quoque inimicis et benevelle et benefacere, Matth. XXVI: 52. Rom. XIII: 4. coll. XII: 20. conf. §. XXXVIII, 9, 10. Hoc au-

tem ita fit, ut cives quidem singuli suam ipsi causam vi non vindicent, sed constitutis id judicibus tradant, siquidem civitatis intersit, ut id agatur, Rom. l. l. coll. I Cor. VI: 7.; principes autem in ipsa civitate contra perversos causam hujus civitatis armis etiam poenisque vindicant; atque sic quoque Principes et his obsequentes cives id ipsum agunt contra extraneos hostes, Rom. l. l. Unde simul perspicitur, quare non modo licere, sed etiam necesse esse existimet homo Christianus, ut bellum gerat, justa de causa, si Principum suorum jussis aut voluntate ad id impellatur, sed et tum id agat non prae hostium odio, sed prae amore patriae causaeque humanae, et cum ipsorum hostium amore, ipsis, ubi fieri potest, parcente et benefaciente. — At vero neque cives, neque Principes, si Christiani sunt, subsistunt in causa communi per vim vindicanda. Imo sapientibus beneficisque institutis cum provehendis tum et novis erigendis, imprimis autem puerorum institutione, artium doctrinarumque exercitatione religionisque verae propagatione promovenda veram civitatis salutem perficere student. Atque sic prae amore id agunt, ut omnes magis magisque genuini fiant Christiani, qui neque vi neque legibus amplius cogendi sint, sed sponte consentiant in omnium salutem; ut ita poenarum bellorumque loco adsit summa omnium amoris conspiratio; Rom. XIII: 4ª. I Petr. II: 14. conf. I Cor. XII: 13 seqq.

De quaestione, inter Christianos agitata, bellumne gerere Christiano homini liceat, conferri potest REINHARD, §. 340. F. J. J. JUNIUS, *Commentatio* in Annal. Acad. Rheno-Traj. a. 1833—1834.

15. Quodsi ergo res eo perducatur, ut et Princi-

pes et cives omnes genuini sint Christiani, egregia habetur in civitate et vere divina conjunctio. Principes tum regunt, uti regit filios suos, ex animo ipsum colentes, Deus paterno amore, et sunt Dei patris hac in terra imagines. Cives talibus Principibus patribusque suis, ex amore verae ipsorum saluti consulentibus ipsorumque informationi prospicientibus, obsequuntur, prouti Dei filii prae amore hujus patris sui consilia lubenter suscipiunt et exsequuntur, conf. Rom. XIII: 4. I Petr. II: 14. — Atque sic, quod per se leges nullo modo efficere valent, quippe quae cogendo amorem instillare nequeunt, id institutio Christiana, ubicunque vim suam rite exercet, efficit, ut civitates revera fiant bene constitutae familiae majores, in quibus patrum instar sunt Principes, filiorum similes et inter se tanquam fratres cives reliqui. Imo id efficit Christiana institutio perfectissimo modo, cum eo rem adigat, ut familia fiat divinâ indole praedita, divinoque amore juncta.

Ad totum de vita civili locum, Obs. 10—15 tractatum, conferri meretur SCHLEIERMACHER, *Predigten*, 1 edit. II *Samml.* n. 3. et in sermone, separatim edito, *Ueber das rechte Verhältniss des Christen zu seiner Obrigkeit*, Berlin 1809, qui et insertus est Operibus omnibus SCHLEIERMACHER, II *Abtheil*, IV *Band*, Berlin 1835.

16. De reliquis, in ipsa §° notatis, vitae conjunctionibus variis non opus est, ut separatim nunc exponamus. Jam antea, oblata opportunitate, satis dictum est de amore benefaciente et grato erga benefacientes animo, §. XXXIV, 6; de amicitia, §. XXXVII, 5, 6; de variis donis muneribusque in societate Christiana et de iis, qui hicce beantur, sociis reliquis, §. XXXVII, 8.

17. Quo magis vero institutionis ipsiusque religionis Christianae praestantia perspiciatur, lubet adjicere brevem contemplationem vitae cum domesticae tum politicae per CHRISTI spiritum et emendatae et illustratae.

Et in vita quidem domestica apud gentes, quae ante CHRISTUM floruerunt quaeque ipsius cognitione destitutae vivunt, duo praecipue cernuntur regnantia vitia. Alterum hoc est, quod naturae humanae aequalitas in viris mulieribusque non agnoscitur. Ita in Oriente polygamia regnat, qua mulierum concubinarum copia in luxuria ponitur, amor paene solum physicus cognoscitur. Apud Graecos ipsos Romanosque non raro optimi viri *μισογυνείᾳ* conspicui erant, aut, prouti Plato, mulierum hanc praestantiam judicabant, si virorum negotia et ipsae agerent. Contra inter JESU sectatores primos et ipsius amicae et mater magno jam habebantur loco, Act. I: 14, atque deinceps propter divinae indolis communitatem virorum foeminarumque aequalitas in Ecclesia Christiana sentiri coepta est. Idque usque adeo invaluit, ut ipse etiam Mohammedes in Corano aequalitatem mulieres inter et viros, utpote ab eodem Deo creatos, laudaret. Medio aevo in Equitibus, pro Deo et amica sua pugnantibus, cernitur, quanto pretio sexus alter haberetur. Quo autem magis invalescit ille CHRISTI spiritus, qui debilioribus prospicere lubenter studet, quique unice delectatur indolis divinae communitate; eo sane magis regnabit verus et eximius virorum erga foeminas amor; unde cum reliqua beatitudo, tum vitae domesticae justa aestimatio et efficacia salutifera profluet. — Alterum in rebus domesticis antiquitus regnabat vitium hocce, quod ab hominibus homines in servitutem redigebantur et animalium magis quam hominum loco

habebantur. Jam vero in Ecclesia Christiana ab initio inde lenius tractati et saepe emancipati sunt servi. Dein in Europa ipsa plane in desuetudinem servitus abiit. Recentioribus temporibus societates institutae et leges adeo latae sunt, ad omnem servitutem tollendam tendentes. Et quamvis videatur probe cavendum, ne subita servorum emancipatione ipsis hominibus, servituti assuetis libertatemque novam non extemplo bene adhibere valentibus, noceatur; id certo constat, quo magis regnat CHRISTI spiritus, eo magis id acturos esse Christianos, ut, aeque atque pueros, homines illos reddere vere Christianos studeant atque sensim eo erigant, ut libere cum negotia sua omnia agant, tum et libere lubenterque operâ suâ aliis ministrent.

PLATONIS locus vid. *Rep.* L. V, initio.

In rebus politicis egregia sane habebantur multa apud antiquos, imprimis Romanos, quorum legislatio admirationem etiamnum movet. Sed regnabat vitium hocce palmarium, quod solos paene cives haberent socios aequalesque suos antiqui, reliquos homines despicerent. Unde universe, a philosophis etiam, patriae amor commendabatur ejusmodi, qui erat verissima erga reliquas gentes injustitia, ut ipse fassus est CICERO. Speciatim in bellis summa regnabat crudelitas. Et, si contra ejusdem gentis adversarios arma sumenda essent, hos quidem sapientissimi tractandos existimabant ut cognatos fratresque, et contentionem, *ϛάσιν*, non verum bellum, *πόλεμον*, inter eos adesse volebant; sed caeterum, ex ipsorum etiam cultissimorum philosophorum sententia, licebat in bello crudeliter tractare ex alia gente hostes, eosque spoliare, et aut in servitutem redigere aut animalium instar sine causa

trucidare. Jam vero inter Christianos bellorum crudelitas magnam partem est sublata. Jus etiam belli, aeque atque pacis, tractari coeptum est. Et viget adeo in philosophorum politicorum disquisitionibus haec quaestio, an non possit, prouti civium et familiarum inter se dissensiones tribunalibus dijudicantur, similiter tribunal institui, a quo causae dissidiaque integrarum inter se civitatum dirimantur: ut sancto foedere junctae secum invicem civitates per legatorum suorum concilia res suas communes componant.

De hostibus tractandis vid. PLATO, *de Rep.* L. V, p. 469—471; de patriae amore CICERO, loco a nobis p. 354 laudato.

Neque ad emendandam tantum, sed et ad illustrandam vitam cum domesticam tum politicam tendit CHRISTI spiritus. In domestica vita docet hicce et liberos instituere atque informare ad summam perfectionem sanctitatemque atque ideo etiam ad indolem verae saluti gentis humanae proficuam, et ministros etiam reddere vere Christianos, libere aliorum saluti servientes. Itaque per CHRISTUM usque adeo immutatum est in genere humano institutionis negotium, ut in ipsius historia sit plane nova haecce periodus et tota aliqua conversio dicenda. Et domus Christiana, in qua et conjuges et famuli et imprimis liberi excoluntur appellari vere seminarium potest Ecclesiae Christianae. In vita autem politica quo magis CHRISTI regnat spiritus, eo magis etiam civitatum principes et moderatores favebunt institutis, cultui perfectionique cum mentis tum animi inservientibus, et omnibus societatibus philanthropicis ipsique imprimis religioni et Ecclesiae Christianae: ut adeo illi cum hac conspirent idemque saepe agant, quod semper agit unice

ipsa haecce Christiana Ecclesia. Imo, quo magis Principes esse poterunt veluti patres. amore regentes, et quo magis cives ipsi omnes lubenter optima quaeque efficient; eo minus opus erit legum poenarumque et tribunalium vi cogente, eoque magis genus humanum ita perficietur, ut sine externa ejusmodi auctoritate, sola vi indolis bonae divinaeque agat et conspiret ad optima quaeque. Quod quidem omnino fieri in hac terra non posse unquam videtur; atque adeo politica illa ratione in hac terra semper opus erit. Sed si id unquam fiat, uti in coelo olim fore speramus, omnis omnino evanescet vis civilis et cogens; una tantum aderit ipsa divina animorum socitas, per CHRISTUM Divinitus informata.

Aetatem in historia institutionis novam plane a CHRISTO incipere, docuit H. C. SCHWARZ in suo opere *Erziehungslehre*, I Band, *Geschichte der Erziehung*, II Abth. Quae ultimo loco dixi, e diametro opposita iis sunt, quae perhibet D. F. STRAUSS, *Die christliche Glaubenslehre*, §. 99, Ecclesiam Christianam in civitate magis magisque resolvendam esse atque ita perituram.

Quodsi jam conjungamus, quae §. XXXVI—XXXIX vidimus, per CHRISTI spiritum, qui homines cum ipso Domino coelesti Deoque in aeternum jungit, simul illustrari perficique et vitam singulorum terrestrem, et eorumdem conjunctorum vitam cum domesticam tum civilem, et vero ipsam sanctissimam animorum consociationem omnem; apparet profecto et CHRISTI institutionem et ipsam indolem societatemque Christianam cum maximi aestimandam esse, utpote plane divinam, tum omnibus viribus provehendam, quippe ad summam salutem generis humani omnibus omnino modis tendentem.

SECTIO III.

DE INDOLIS CHRISTIANAE INITIO ATQUE PERFECTIONE.

§. XL.

De indolis Christianae initio.

Institutio CHRISTI divina, si hominibus gentique humanae recte adhibetur, effectum apud multos nanciscetur; atque ita et orietur et incrementa capiet indoles in hominibus divina societasque Christiana (P. II. P. III, S. I.). Ut vero haec institutio eo melius adhibeatur, omnisque ratio hujus indolis societatisque accuratius perspiciatur, conducere potest, ut jam tandem distincte etiam videamus, quomodo et oriatur et progrediatur in homine atque in genere humano indoles Christiana.

Gentium autem hominumque, divino CHRISTI spiritu destitutorum, alia indoles est quam Christianorum societatisque Christianae, et mens ipsa animusque alia omnia, et aut partim aut omnino contraria, spectat expetitque (§. XXVI. coll. Part. I, Sect. II.). Itaque iis immutatione opus est, quae pro cujusque ingenio, vitae ante actae ratione et pro modo, quo ad resipis-

cendum ducitur, apud varios varia esse potest; sed apud omnes omnino verissime dicenda est, uti a JESU Apostolisque dicitur, mentis animique ad veritatem perfectionem divinitatemque a contrariis conversio. Hanc in rem cum genus humanum Divinitus προπαιδείᾳ praeparandum fuit, tum gentes hominesque singuli perpetuo sunt praeparandi, ut eorum mens animusque capere perfectissimam Dei per CHRISTUM institutionem possit (§. X, XVI, XVII.). Ut autem et illa προπαιδείᾳ et hac deinceps perfectissima institutione rite uti homines oportet omnes (§. XXVI.); ita etiam, si utraque rite utuntur homines gentesque et genus humanum universum, illa jam praeparatione magis magisque adducuntur, hac autem perfecta institutione perducuntnr penitus ad divinam illam indolem societatemque (§. XXVI. col. §. XVI, XVII.).

1. Quodsi separatim et distincte disquirere de indolis societatisque Christianae in hominibus gentibusque initio atque progressu volumus, videtur optime nunc tandem de his agi. Postquam enim et de hominum nondum per CHRISTUM informatorum conditione, Part. I, et de genuinorum Christianorum indole, Part. III, Sect. I, II, vidimus, nunc demum per utriusque comparationem distincte cernere possumus, quomodo ab altera ad alteram transitus fieri et magis magisque perfecte locum habere

queat. — Et est quidem haecce disquisitio non prorsus necessaria. Fuerunt omnino, qui ita paene semper et unice de hominis ad CHRISTUM conversione loquendum existimarent, quasi in hoc res Christiana fere tota esset posita. Praecipuum vero negotium hoc est, ut noscamus, quales sint homines qualesque fieri debeant, et quomodo iis hanc in rem institutione Christiana sit utendum, coll. P. I, P. II, P. III, Sect. I. Quae si tenuerimus, et si modo institutione hac bene utamur, opus non est, ut definire accurate possimus, quomodo oriatur indoles Christiana. Orietur illa quidem; et si eadem institutione constanter utimur, progredietur ipsa feliciter, etiamsi modus oriundi progrediendique nos lateat: prouti in domo si modo pater rite instituit liberos, liberique institutione paterna rite utuntur, res praeclare se habebit, etiamsi neque hi neque ille unquam ex paedagogicis disciplinis didicerint, quomodo in animis puerorum initia informationis sese habeant, aut quomodo progressus singuli. — Vel sic tamen utilitatem aliquam praestare ejusmodi disquisitio potest. Quodsi enim distincte novimus, quales et quomodo praeparati esse debeant ii, apud quos genuina indoles Christiana nasci possit, et tales imprimis adhibimus et reliquos ita praeparare studebimus. Atque praeterea, si veram conversionis progressionisque rationem rite perspicimus, eo minus fallemur in judicio de nobismet ipsis, num vere Christiani simus, faciendo; judicabimus pariter de aliis melius faciliusque ita, ut neque specie pietatis fallamur, neque ejus initia spernamus; judicare denique poterimus melius, utrum nos aliive progrediantur, necne, quod vel incitamento esse potest vel adhortationi locum praebet. — Itaque cavendum modo, ne hac disquisitione abutamur, uti faciunt ii,

qui de sua aut aliorum conversionis historia semper quaerunt et confabulantur et publice volunt de una fere ad CHRISTUM conversione vel de conversionis methodo praedicari, quique inanes fere pietatis speculatores et loquaces sunt contemplatores. Imo utendum hac disquisitione, ut aliquam interdum utilitatem afferente, imprimis propter noxios multorum errores, distincta rei cognitione pellendos. Sed principatus semper ponendus est in eo, ut Divina CHRISTI institutione rite utentes, re factoque simus et magis magisque fiamus pii, idque vita omni patefaciamus. Sic mascula erit pietas Christiana, eaque, utpote per omnem vitam patens, et nobismet ipsis et aliis certa erit et indubia. Conf. Jac. I: 19, 22.

2. Neque nobis nunc opus erit, diu in disquirendo indolis societatisque initio commorari, cum ex iis, quae hactenus tractavimus, praecipua huc pertinentia facile deriventur, atque inde adeo sponte perspici possit, et quaenam sit hujus initii natura, et quomodo id oriri queat, et quare oporteat oriri, et quomodo reapse oriatur.

Et natura quidem illius initii intelligitur, si videamus, qualis sit indoles hominum generisque humani, nondum per CHRISTUM informatorum, eamque comparemus cum hominum Christianorum Ecclesiaeque Christianae indole. Jam vero vidimus, inesse quidem hominibus ingenium divinum, ex eoque, per praeparantem Dei institutionem, omnino cum in singulis hominibus tum in gente humana oriri nonnulla vera bonaque, licet imperfecta et plerumque in singulis quibusdam dictis factisque magis, quam in universa et constanti indole, conspicua. Per vim corporis autem rerumque externarum vidimus fieri, ut in singulis quidem hominibus in infantia atque pueritia reg-

net indoles talis, qua mens animusque praecipue externa, corporea, terrena spectet, et intimo suo proprioque studio atque dominanti voluntate haec expetat. Quae indoles eo fit pejor, quo magis homo etiam adolescens ei indulgere pergit. Atque hanc ipsam indolem quoque in universo genere humano ante CHRISTUM, atque in omnibus gentibus CHRISTUM non noscentibus universe regnantem esse observavimus. Contra in homine vere Christiano et societate Christiana vidimus talem inesse indolem, qua mens animusque non illa maxime spectet appetatque, sed Divinam veritatem ante omnia expetat et spectet, Divinae veritati convenienter sancta divinaque omnia sentiat, cupiat et intimo studio sponte sua agat, regnanti dominantique voluntate sua cum Dei mente atque voluntate conspirans. Altera ergo indoles regnans est *σαρκικὴ* altera *πνευματικὴ*, altera *ἐπίγειος* altera *ἐπουράνιος*, in altera *φιλαυτία* in altera *ἀγάπη* dominatur, altera est *τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου* altera *τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριςοῦ*. Vid. §. XII—XV, coll. XVI, XVII, item §. XXVI—XXVIII. Haec igitur, si consuetam ipsius mentis animique directionem et regnantem dominantemque voluntatem respicis, sibi invicem sunt opposita; sunt, quod ad principatum et dominatum in homine et genere humano, sibi invicem contraria. Jam vero ut a contrario ad contrarium et oppositum perveniatur, opus est, ut ab illo ad hoc convertatur mens animusque; necesse est, ut prior illa indoles, prius illud regnans studium pereat, vim suam dominantem, vigorem et quasi vitam suam perdat, utque posterior indoles, posterius studium regnare incipiat, oriatur igitur, in vitam quasi prodeat, ex seminibus, quae antea adfuerunt, vere nascatur, ut nova plane prodeat, nova genere-

tur indoles. Vid. dictiones JESU et Apostolorum, Matth. XIII: 15. XIX: 28. Luc. XXIV: 47. Joh. III: 4 seqq. Act. II: 28. IX: 35. XIV: 15. XXVI: 18. Rom. VI: 4 seqq. Eph. II: 5 seqq. 15 seqq. I Thess. I: 9. I Petr. II: 25.

3. Quomodo initium illud sive illa conversio possit oriri, intelligitur, si attendatur ad indolis Christianae praestantiam, et haec comparetur cum hominis et generis humani capacitate. Jam vero vidimus, hominem gentemque humanam ingenio quidem gaudere divino, quod divina capere potest; sed ipsas hujus ingenii vires sensim excolendas esse, ut revera majora sensim et tandem maxima summaque capiat; atque praeterea corporis rerumque externarum vi fieri ut ad alia omnia fere conversa sint ejus ingenii studia viresque, atque ideo efficacissima et perfectissima opus esse institutione, quae omnia animi studia viresque ad divina convertat et ad haec conspirantia reddat. Itaque requiritur necessario, ut et Divinitus homines genusque humanum praeparentur atque adducantur ad eum cultum sensim, quo capiant perfectissimam institutionem, et ut tum perfectissima et efficacissima institutione hacce eo tandem perducantur. Id autem et antiquitus in genere humano factum esse, et etiamnum Divinitus fieri cum in singulis hominibus tum in gentibus erudiendis maxime per societatem Christianam, pueros et puerorum similes populos rudes excolentem, antea vidimus, §. VIII, X, XVII, XVIII: 2. XXI, 5. Conf. Joh. V: 36—40, 46 seq. VI: 44—46, 65. Gal. III: 24 seqq.

4. Illâ autem praeparanti *παιδαγωγίᾳ* et deinde perfectâ, si eam cognoscendi percipiendique opportunitatem habent, institutione uti homines omnes

gentesque oportet, tum quia id necessarium est, ut Dei consiliis plane respondeant, tum quia id propter singularem Dei CHRISTIque amorem decet. Id etiam satis antea jam vidimus, §. XXVI, 6. Ideo JESUS et Apostoli jusserunt semper ejusmodi homines: *μετανοεῖτε, ἐνδύσασθε τὸν καινὸν ἄνθρωπον*, v. c. Matth. IV: 17. Eph. IV: 21—24. Col. III: 12. — Denique, reapse oriri novam illam divinamque indolem in hominibus gentibusque, si ingenii sui viribus rite utentes, praeparanti institutione illius capaces reddi se patiuntur atque dein mente animoque perfectam per CHRISTUM institutionem suscipiunt, pariter antea observavimus, §. XXVI, 7. conf. §. XVI, XVII, XVIII. Vid. speciatim Joh. XIV: 17. coll. XV: 3.

5. Quo magis autem haecce res, quae ita ex antecedentibus jam derivari potest, clarius etiam perspiciatur, lubet pauca insuper ad eam pertinentia ulterius exponere et accusatius indicare.

Et primum quidem cavendum est, ne in externa vitae emendatione sola omnem ponamus illius conversionis naturam. — Fuerunt, inde a saeculo imprimis proxime praecedente, qui doctrinarum philosophiaeque, uti quidem sibi videbantur, luce ad id adducti, hominibus omnibus opus esse vere sic dicta conversione, negarent. JESU quidem et Apostolorum tempore, cum genus humanum universum in errore et huic congruentibus vitiis penitus viveret, cumque homines a cultu Judaico inquinato et ab idololatria avertendi et ad unum verum Deum JESUMque CHRISTUM agnoscendum et verbis moribusque profitendum adducendi essent, vera iis conversione animorum opus fuisse agnoscunt. At vero hodie solis et gentibus CHRISTUM nondum noscentibus et homi-

nibus in medio orbe Christiano viventibus scelestis atque morum perversitate conspicuis necessariam esse conversionem opinantur; cum reliqui, qui inde a pueritia bene instituti sunt, Deum CHRISTUMque cognoscere et Euangelii legibus convenienter mores componere a pueris inde discant, atque hi ergo sensim modo ulterius emendari debeant et eadem via progredi, non vero converti. Haec autem sententia, licet vera contineat multa, facile tamen potest perniciosa esse et veram vim vitamque in Christianis intimam tollere. Imo etiamsi quis Euangelii doctrinam didicerit et memoria teneat, fidem suam professus sit et moribus sit plane inculpatus; tamen mente animoque sive spiritu suo Christianus non est, nisi mentis animique studio et voluntate sua conversus sit directusque ad conspirandum cum Deo CHRISTOque. Quotquot autem nati sumus, uno excepto JESU, omnes corporis rerumque externarum impulsioni ita, in prima certe pueritia, obsequimur, ut rerum externarum cupiditas dominetur, et intimo igitur mentis animique studio directi simus et conversi ad id, quod nobismet ipsis gratum commodumque est, non vero ad Dei mentem volnntatemque et lubenter spectandam et sponte sequendam. Et definiri sane vix potest, quam tenera aetate jam optima imprimis ingenia suscipere genuina pietatis Christianae initia et quasi semina queant, per vere Christianam praesertim parentum institutionem. Neque facile quis negabit, in orbe Christiano esse adolescentes, qui jam mature animo prope accedant ad germanae indolis Christianae excellentiam; prouti et in generis humani pueritia atque adolescentia pauci certe aliqui fuerunt, qui ad verae pietatis, qualem CHRISTUS informat, praestantiam proxime jam accederent, Conf. §. X, 5.

XVII, 2. Quodsi vero, ut in permultis fit, malefaciendi vis coërcetur et externa agendi ratio ad meliorem sensim formam adigitur, primum parentum et magistrorum praeceptis, dein civitatis legibus et decori honestique opinionibus in orbe Christiano receptis, vita quidem externa emendatur et sensim ulterius excolitur; sed intus mens ipsa atque voluntas manet sui studiosa, externa terrenaque appetens, felicitatem suam aut gloriam aut excellentiam externam spectans et ad haec directus conversusque manet animus, *πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* homo nondum est Christianus. Convertendus animus est, voluntas ipsa est dirigenda ad Deum fide amplectendum amandumque, ut ita mens intus divina regnet, voluntas divina homini insit, sponte sua prae omnibus respiciens et expetens vera, bona, divina. Non lege quadam, extrinsecus, nos adigente, vita externa tantum emendanda est et excolenda; sed spiritu intus agente consilia, sensa, voluntates fieri debent cum Dei mente atque voluntate conspirantes. Non vitae modo cultu opus est, sed mentis animique ad veritatem, perfectionem, divinitatem omnem conversione.

Conf. omnino SCHLEIERMACHER, *Predigten*, 1. edit. III Samml. n. IX, maxime p. 183 seqq. ubi inter alia haec habet: »Einen jeden von uns sagt seine Erfahrung, seine bestimmte Erinnerung, dass der Friede Gottes uns nicht ursprünglich und immer eingewohnt hat, sondern dass er uns geworden ist, dass das Fleisch früher in uns geherrscht hat als der Geist. Wenn wir auch nie eine Zeit grober Vergehungen, schändender Leidenschaften, erniedrigender Lüste gehabt haben: wir sind doch nicht von Unschuld und Reinheit des Herzens anfangend allmählig immer mehr zur Fülle der Kraft und Tugend eines gottgefälligen Lebens gekommen, sondern zwischen dem Anfang unsers Daseins

und unserm gegenwärtigen Leben und Streben liegt dennoch eine Zeit wo die Lust die herrschende Kraft war, wo sie empfieng uud die Sünde gebar. Wenn wir ehrlich sein wollen, es giebt eine Zeit, in welche wir nur mit dem Gefühl zurücksehen, dass wir uns scheinen seitdem andre Menschen geworden zu sein. Was damals unser innerstes Ich und Selbst war, das ist uns ein Fernes und Fremdes geworden; und das Gesez göttlicher Ordnung, das jetzt durch Gottes Gnade das Gesez unseres Lebens geworden ist, das wir lieben und üben, das war uns damals ein fernes und fremdes, wir wurden es nur inne als eine äussere, den freien Lauf unsers Lebens hemmende Gewalt, eben wie uns izt die einzelne Regungen des Fleisches und der Sünde eine solche Gewalt sind, die wir nicht zu unserm Leben rechnen. Und so ist es denn wahr, das eine Leben hat aufgehört und das andere hat angefangen; und es gilt allgemein, Wenn jemand in CHRISTO ist, der ist eine neue Kreatur, das Alte ist vergangen, siehe es ist alles neu worden. Wir können nicht anders sagen als dies ist nach unserer christlichen Ueberzeugung der Gang des ganzen menschlichen Geschlechtes und jedes einzelnen. So scheidet im allgemeinen CHRISTUS zwei Zeiten des menschlichen Geschlechts, und ist selbst die Wiedergeburt desselben; die christliche Zeit ist nicht die Fortsezung der judischen und heidnischen, sondern eine neue. So ist für jedes Volk die Erscheinung des Evangeliums in denselben seine Wiedergeburt, nicht nur eine Vervollkommung des vorigen, sondern, wie die Geschichte lehrt, geht vielmehr oft manches, was auch gut und schön war, erst unter, und die ganze Bildung, das ganze Leben schlägt einen andern Weg ein. — Und eben dasselbe gilt nun von dem Einzelnen."

6. Cavendum vero pariter, ne conversionis naturam ponamus in subito excitata aut certo definita quadam vehementiorum affectionum serie. — Fuerunt,

imprimis inde a medio saeculo XVIII Methodistae, qui ita in vehementioribus affectionibus quibusdam conversionis naturam quaererent, tempus certum conversionis suae indicandum judicarent, utpote a quo primum detectio perversitatis, tum contritio animi et paene desperatio, porro levis spei spatium, deinde lux melioris conditionis, denique certae gratiae apud Deum et felicitatis conditio esset orta, quae ipsa nullis deinceps vitiis amplius tolli posset. Haec hodieque denuo a nonnullis revocatur et tanquam orthodoxa sententia venditatur, licet ab antiquiorum sententiis aliena et recentius demum in Ecclesiam introducta sit. Est autem omnino perniciosa; quippe requirens apud omnes, quod minime apud omnes inveniri possit, et, quod longe pejus est, in affectionibus fortuitis quaerens, quod in necessaria totius mentis animique indole quaerendum sit. Imo alii homines a prima adolescentia legibus Divinis obsequi didicerunt, uti PAULUS et TIMOTHEUS, alii diu in maximis vitiis vixere, uti ZACCHEUS et multi Corinthii; alii subito liberantur errore quodam praecipuo, ut PAULUS, alii sensim ab erroribus et his congruenti animi perversitate ad vera divinaque convertuntur, uti reliqui JESU Apostoli; alii peccatorum conscientia miseriaeque suae sensu, alii persuasione de Euangelii praestantia et Dei CHRISTIque amabilitate eo perducuntur, ut genuini fiant Christiani: vid. Luc. XIX: 8. Joh. IV: 29. XV: 2, 3. Act. II: 37. IX: 1 seqq. XIII: 43. XVI: 27 seqq. I Cor. VI: 11. Atque hinc igitur animi affectiones, conversionem comitantes, necessario apud alios quodammodo esse aliae debent. Sed et illae affectiones, vehementiores etiam, adesse possunt, licet vera animi ad Deum conversio directioque desit, prouti tristitia aderat apud

juvenem illum divinem, contritio animi apud Judam, gaudium de JESU CHRISTO apud multos eum olim diu secutos, laetitia etiam de Euangelio audito apud complures, de quibus JACOBUS scribit: vid. Matth. XIX: 22. XXVII: 3 seqq. Joh. VI: 24 seqq. Jac. I: 23 coll. Matth. XIII: 20. Atque si vel adfuerint affectiones optimae quaeque eaeque summae, et vita tamen sordidis contaminetur vitiis; sine ullo dubio animus aut etiamnum aut denuo est ad divina convertendus, II Cor. VII: 10. Scilicet conversionis natura non in vehementibus et mox perituris affectionibus est posita, sed in eo, ut fiat mens ipsa animusque a perversitate aversus et abhorrens, ad Deum et vere sancta divinaque conversus et intimo perpetuoque studio cum Deo conspirans. Quae sane res in plerisque, si non omnibus, pedetentim praeparatur diuturnâ ingenii explicatione et incitatione, atque ita vel subito in omni vivendi genere apparet, vel etiam pedetentim magis sese manifestat.

Conf. omnino *Waarheid in Liefde*, 1840, III, p. 429 seqq.

7. Non existimandum est, aut solam religionem veram requirere ejusmodi hominis conversionem, aut etiam illam solam diuturna institutione eo tendere velle, ut ejusmodi plena conversio efficiatur. Utrumque pariter vult vera philosophia. Illud existimare videntur ii, qui, coll. Obs. 5, doctrinarum philosophiaeque luce adduci se patiuntur, ut statuant, conversione non omnibus opus esse hominibus. Hoc non reputant Methodistae, qui, coll. Obs. 6, judicant, si vera fiat animi conversio, hanc non pedetentim progredienti institutione posse effici. Errant utrique. Vera philosophia pariter utrumque et vult et efficere studet. Philosophiae veram hac in causa vim optime

et luculentissime expressisse PLATO videtur. Est quidem, ait, hominibus omnibus ingenium, quo veluti oculo cernere verum possunt; sed ingenium illud corpori alligatum et veluti inclusum est. Itaque homines omnes, quamdiu nondum rite instituti, *ἀπαίδευτοι*, sunt et ad veri studium sapientiaeque amorem nondum informati, spectant unice externam rerum speciem, sunt veluti homines in spelunca viventes ligati et solas umbras rerum speculantes iisque, tanquam si res ipsae essent, delectati. Hi vinculis iis solvendi sunt et ab umbris illis adspiciendis convertendi, ut sursum prodeant et ibi res ipsas ipsamque lucem intueantur, ipsum verum, ipsum id quod vere pulcrum, bonum, sanctum est, videant, ut hoc ament et fiant *φιλόσοφοι*, qui iidem sunt *φιλόθεοι*, et *τῷ Θεῷ ὅμοιοι*, *κατὰ τὸ δυνατόν*. Id vero non ita agendum, ut subito ex obscura spelunca ad ipsum solem intuendum adducantur; tum enim caecutiant et ferre id non possint et ducem adeo caedant redeantque in antrum suum. Imo *ἡ παιδεία*, institutio vera id per gradus efficere debet. Noctu primum aut in aquarum speculo imagines cernant illi, dein res varias interdiu, denique solem ipsum intueantur. Sic pedetentim in hominibus inferiori primum et puerili praeparatione, deinde magis magisque perfecta philosophiae institutione penitus convertenda est mens ipsa, ut et cernat verum, et sponte sua aversetur umbras illas et species inanes, et amet quod vere est pulcrum, bonum, sanctum. Ita ergo per *παιδείαν*, gradibus procedentem ingeniumque sensim ulterius explicantem, oritur *ἡ περιστροφὴ καὶ τῆς ψυχῆς περιαγωγή*. Haec PLATO. Neque mirum. Uti vera religio, ita vera philosophia, non externum modo vitae cultum et externos mores legibus consentaneos

vult, sed ipsius mentis animique vim internam ad vere bona sanctaque directam requirit; ad hanc autem utraque perspicit, homines non nisi sensim praeparatos institutosque posse perduci, perducendosque ita esse, ut convertatur penitus mentis acies animique studium. — Atque ita, quod operae pretium est observare, simul nunc patet, hanc hominum ad veram sapientiam pietatemque informationem, prouti eam ab alia aut alia parte contempleris, aut progressionem appellari merito posse, aut conversionem. Progressio est ingenii; indolis autem est conversio. Sive, ut utrumque complectamur, ingenio per continuam institutionem progrediente et divinam suam vim magis magisque exserente, animi studium atque indoles a contrariis ad divina sponte constanterque expetenda atque diligenda convertitur. Conf. §. XXIII, 1—6.

8. Jam nunc plane perspicuum esse videtur, vera mentis animique ad veritatem divinitatemque a contrariis conversione opus et fuisse et esse omnibus omnino hominibus universoque generi humano. Opus ea erat JESU tempore gentibus, a Dei vera cognitione alienis, utpote quae a tenebris et his congruenti perversitate ad lucem divinitatemque erant convertendae, Act. XXVI: 18. Pariter genti Judaicae, licet Dei doctrina atque legis Mosaicae observantia gaudenti, ea opus erat conversione, quippe quae a vitâ *σαρκικῇ*, externe tantum ad legem extra se positam compositâ, perducenda erat ad novam vitam *πνευματικὴν*, in qua eos spiritus intus ageret divinus, Joh. III: 3 seqq. conf. II Cor. III: 6 seq. Hebr. VIII: 9 seqq. Atque ita ea hodieque etiamnum opus est gentibus, penitus etiamnum a Dei CHRISTIque agnitione alienis, utpote ne ad leges quidem Divinas

externa sua ratione compositis, conf. Luc. XXIV: 47. Pariter vero etiam conversione opus etiamnum est gentibus hominibusque, per Divinam patefactionem jam adductis externa ratione ad Dei CHRISTIque cultum, sed in externo hoc cultu operibusque bonis subsistentibus, conf. Gal. II—V. Omnibus autem temporibus ea opus est hominibus medios inter Christianos morum perversitate inquinatis, utpote ne externa quidem ratione Euangelio convenienter agentibus, conf. II Cor. VII: 9. Sed et conversione opus est hominibus, externa vitae ratione inculpatis, sed nondum Dei spiritu intus actis, Dei CHRISTIque amore nondum ad divina omnia ductis, conf. Phil. III: 6 seqq. coll. Rom. VIII: 3—14. Denique opus ea est omnibus omnino, quotquot nascuntur, utpote qui in infantia primaque pueritia certe indole sunt *σαρκικοὶ*, atque etiamsi jam tum per *παιδαγωγοὺς* coërceantur legeque, extra eos vigente, eorum vita externa componatur colaturque, tamen consiliis ipsi suis studiisque propriis et intimis vere *σαρκικοὶ* etiamnum sunt, atque ideo ita convertendi animo, ut fiant ipsi *πνευματικοὶ*, intus vere et sponte acti spiritu divino, ipsis insito, conf. Joh. III: 6. I Cor. III: 2 seq. Gal. III: 24—IV: 11.

9. Denique similiter nunc luculentissime perspici posse videtur, conversionem hanc intimam totius animi efficiendam esse cum praeparatione tum perfectissima institutione Christiana, ingenium magis magisque excolente. Egit ita Deus in genere humano praeparando tandemque per Filium suum perfectissime informando, Gal. III, IV. Egit ita ipse etiam JESUS, cum alios tum et Apostolos suos ulterius sensim praeparando instituendoque, ut tandem ipsius spiritum penitus intus in semet ipsis

gererent, Joh. XVI: 12, 13. Agendum hoc idem est societati Christianae, cum pueris tum incultis gentibus, puerorum simillimis, Divinitus praeparandis, sensim adducendis tandemque penitus convertendis, conf. §. XXI, 5. Mirantur nonnulli, quod ingens sit numerus eorum, qui doctrinam Christianam cognoscere didicerunt fidemque professi sunt, et tamen animo vere Christiani non sunt. Mirantur item inter gentes incultas saepe recens baptizatos mente animoque et vitae genere manere idololatris simillimos. Sed mirum sit, si aliter se res habeat. Praeparandi sunt in orbe Christiano pueri a parentibus et junctis cum hisce Ecclesiae Antistibus, tanquam institutoribus, sensimque ita informandi, ut tandem eorum mens animusque totus ad divina se sponte convertat. Praeparandae sunt gentes incultae, non, quod voluerunt nonnulli, sola agricultura similibusque culti orbis artibus, sed institutione Christiana, cum adultorum in iis hominum, tum imprimis puerorum ingenia excitante, excolente atque ita sensim divino eos spiritu imbuente. Sic mentes ipsae animique hominum convertentur ad divina, divinis ipsi vivent principiis propositisque, divino spiritu acti et vera omnia et divina expetent, amabunt, patefacient, et, favente per CHRISTUM Deo, ipsi denuo alios convertent reddentque divini spiritus participes.

§. XLI.

De indolis Christianae progressione et perfectione.

Qui autem Divina CHRISTI institutione ad veritatem divinitatemque spectandam sectandamque mente animoque conversi sunt, his cum propter ingenii humani sensim procedentis, tum propter corporis rerumque externarum, impedimenta perpetuo in his terris objicientium, rationem, tum propter pristinae perversitatis vim residuam, necesse est, ut constanter progredi studeant (§. XXIX.). Oportet etiam eos singulos cunctamque societatem Christianam, ad summam quippe perfectionem Dei CHRISTIque amore destinatam, sine fine majora sectari et ad supremam infinitamque adspirare consummationem (§. XXVI. coll. §. XIX—XXI.). Quam in rem si perpetua cum Deo CHRISTOque et secum invicem consuetudine utuntur (P. III, Sect. I, Cap. II.), Christiani singuli ipsaque universa eorum societas cum mentis sapientia, tum voluntatis sanctitate, tum morum institutorumque bonitate, tum etiam vera summaque libertate, tum denique totius animi simplicitate harmoniaque et sociorum consensu atque conspiratione divina (§. XXVI—XXVIII.)

progredientur perficienturque. Donec aliquando, omnem gentem humanam complexa, et terreni corporis rerumque terrenarum impedimentis penitus liberata, ea societas hac ipsa, quae his in terris longe omnium perfectissima est, per CHRISTUM institutione carere poterit; quippe quae in coelis tum futura sit plane adulta et consummata, et secum ipsa et cum coelitibus omnibus et cum CHRISTO et cum ipso Deo perfectissime conspirans, atque ita plane respondens Dei CHRISTIque consilio et amori (§. III, XXXI.), in aeternum ab omnibus grata mente colendo.

1. De indolis Christianae progressione uberius agi solet in Ascetica, quae de singulorum pietatis exercitatione ex instituto agit. Nos de Christianae cum indolis tum societatis sensim progrediente perfectione antea jam identidem egimus. Nunc breviter, quae huc pertinent, colligenda sunt, et perfecta, ad quam societas Christiana perpetuo tendit, species est delineanda. Videamus igitur paucis de progressionis hujus necessitate, de rationibus ob quas progredi oporteat, de iis, in quibus ea progressio cerni possit, de modo quo efficienda sit, et de perfecto, ad quem tendat, fine.

Conf. KIST, *Beoefeningsleer*, II *Deel*, I *St.*, sive *Beknopte beoefeningsleer*, I *Deel*, p. 23 seqq.

2. Necesse est, ut homines Christiani singuli ip-

saque societas Christiana progrediantur; tum quia ingenium humanum sensim modo excolitur atque ita etiam gens humana sensim tantum perficitur; tum quia, quamdiu in hoc corpore et his terrenis rebus versamur, impedimenta semper sunt superanda; tum quia indoles haecce societasque divina nata est in hominibus genteque humana, peccato jam subditis, quo fit ut ei adhaereant etiamnum errores, vitia, imperfectiones, ex pristina vita superstites, magis magisque ita superandae, ut divinae indolis vis fiat plane victrix. Vid. §. XXIX, 2. conf. §. X, XVII, XXI, atque vid. Matth. XIII: 31—33. Gal. V: 17. Eph. IV: 12 seqq. VI: 11 seqq. Phil. III: 12 seqq.

3. Oportet autem huic rei operam dare Christianos, et quia tum demum plane felix est homo, quando fit perfectissimus; et quia Dei CHRISTIque amor ad perfectionem non vocat et adducere vult: quod utrumque de ipsa societate Christiana tota pariter valet. Vid. §. XXVI, 6. conf. §. XIX, 13, 20. §. XX, XXI, atque vid. II Cor. III: 18. et ll. ll. ex Eph. Phil. II Petr. I: 8 seqq.

4. Cerni autem progressio illa dicitur plerumque in eo, quod et cognitio augetur, et vitia impedimentaque superantur, et benefacta augentur. Et recte quidem. Sed externa haec ab ipsius indolis internae progressione proficisci debent. Itaque mens ipsa majori sensim cultu, perspicacitate et sapientia valet, animus voluntasque majori et sanctitate et robore viget, societasque Christiana quo magis intus perficitur, foras etiam magis sese extendit. Si peculiaria, quae, quamquam non semper, saepissime tamen aut plerumque locum habent, progressionis indicia quaeras, attendi ad haec potest. Fides, debilior primum, sensim fit certior et constantior, donec diffidentiâ

omni superatâ, homo totum se Deo CHRISTOque confidit. Fidem CHRISTO Deoque habens homo primum obscurius fere illorum amorem sentit, post clarius etiam eundem perspicit, et, experientia sua edoctus, pernoscit. Simulque, quae primum minus efficax fides erat, deinde sensim ad omnem vitam regundam fit efficacior. Neque in fide modo Dei CHRISTIque amori habenda subsistit homo Christianus, sed quo hunc magis suâ ipse experientiâ persentit, eo magis redamat Conservatorem Patremque coelestem. Atque hic ipse quoque amor vi sua solet sensim fieri excellentior. Scilicet, ut in rebus humanis, ita quoque in divinis amoris progressio observari potest. Pueri a parentibus et institutoribus redamandis incipiunt; dein adolescentes ad fratres quoque et amicos diligendos procedunt; denique adulti ad liberos quoque suos sponte gratuitoque amandos progrediuntur, ut hos, licet vel refragantes, sui similes, vere bonos et felices, reddant. Ita etiam in vita religiosa Christiani primum fere Deum CHRISTUMque, qui suo eos amore praeveniunte complexi sunt, redamant; deinde procedunt ad diligendos quoque socios, eodem spiritu animatos, tanquam amicos fratresque suos; denique progrediuntur item ad homines alios, vita spirituali nondum praeditos et eo ipso parum amabiles, imo vero ipsis adeo adversantes refragantesque, sponte gratuitoque amandos, ut et eos ad illius vitae communionem adducant. Sic a fide, gratuito Dei CHRISTIque amori habita, incipiens, animus Christianus desinit in amore gratuito, CHRISTI Deique amori simili, demonstrando. Quo autem magis ita increscit indolis Christianae perfectio, eo magis simul et libertas vere Christiana et interna animi simplicitas atque harmonia conspicitur in singulis, in societate

autem ipsa tota et vera libertas regnat et unius divini spiritûs consensio. De his conf. §. XXIV, XXVI—XXVIII.

5. Ratio, qua indoles haecce et societas Christiana conservatur, progreditur perficiturque, in universa perpetuaque Christianorum cum CHRISTO Deoque et secum invicem consuetudine est posita. Vid. §. XXIX. XXX. conf. §. XXXIV, 11. XXXV, 11. XXXVI, 11. XXXVII, 11. XXXVIII, 11.

6. Restat unus sublimis locus dignusque, in quo tota nostra finiatur disquisitio. Superest enim, ut videamus de consummata, quae in coelo olim locum habitura est, societatis divinae conditione, quam his in terris Christiani sibi proponunt tanquam perfectam speciem, ad quam magis magisque sit accedendum.

Et omni quidem aevo viri summi perfectam speciem proponendam censuerunt, quam intuentes homines, ad hanc animum dirigerent et ad ejusmodi perfectionem sectandam omnibus viribus tenderent. Ita Socratici; ita imprimis perfectam reipublicae speciem eo ipso consilio proposuit PLATO, et sive Philosophi sive Sapientis absolutam imaginem finxerunt Stoici. Jam vero similiter Deus antiquitus, dum per Mosaicam institutionem, tanquam per *παιδαγωγὸν*, pueritiam gentis humanae erudiebat eamque sensim perficiebat, ipse etiam per Prophetas perfectam, quae olim adultâ generis humani aetate locum habitura esset, conditionem proposuit, praedixitque, tum ipsam illam, pueritiae accommodatam, institutionem cessaturam esse, quippe qua non amplius indigentes futuri essent adultae tum mentis homines.

De hoc vid. Jerem. XXXI: 31 seqq. conf. Gal. III,

IV. Hebr. VIII, 7 seqq. PLATO suum in fingenda perfecta republica consilium ipse diserte indicavit, *de Rep.* L. V, p. 472 seq.

Pariter nunc Deus Christianis proponit perfectam conditionem, quem olim in coelis habitura est societas Divina, et ad quam in his terris sensim magis prope admovenda est per institutionem Christianam, quae his in terris omnium est perfectissima, sed olim in coelis cessatura est, quippe qua carere poterit sanctorum societas illic plane perfecta futura Deique et CHRISTI consiliis penitus responsura. Vid. Rom. VIII: 18—23. I Cor. XIII: 8—13. XV: 24—28. Eph. IV: 11—13. conf. §. XXX, 6.

Rem ex Pauli sententia exposui in *Commentatione de I Corinth. XIII*, p. 308—315, 317—325, 332—335, 367—369. Conferri meretur FR. HEMSTERHUIS, *Aristée*, in fine, *Opp.* T. II, p. 119.

Itaque, quatenus de perfectione futura vaticinari licet, res sic fere se habere videtur. Uti tempora CHRISTUM antecedentia, comparata cum societatis Christianae praestantiâ, merito pueritiae assimilantur, quae sensim instituenda erat ad hanc adultae aetatis rationem; ita nunc haec ipsa societatis Christianae his in terris ratio meritissimo pueritia tantum dicitur vitae aeternae, quae in coelis aliquando erit adulta vereque perfecta. Dei autem per CHRISTUM institutio omnia divina terrestri ratione et patefacit et agit, ut hac in terra ab hominibus, terrestri corpore indutis, capi percipique possint, iisque, in corpore his in terris viventibus, conducant et satisfaciant. Haec igitur societas divina, quamdiu hac in terra est, magis magisque est per CHRISTI institutionem perficienda. Ea vero ipsa, his in terris perfectissima, institutio in

coelo cessabit, quando CHRISTUS consilium suum eâ plane erit assecutus et ipsam illam societatem in coelo perfectam exhibiturus est Patri suo, per se informatam. Tum enim sancta societas carere hac etiam sua institutione terrestri poterit, quippe eo tunc adducta, ut, corpore terreno rebusque terrenis liberata, spiritu sit adulta planeque perfecta. Divina tum omnia, nullis amplius terrenis sive imaginibus sive formis tecta, aperte coelestique et divina ratione perspiciet; Divini amoris experientiâ beatissimâ et fides ad perfectionem, et spes ad laetitiam summam perducetur; amore autem beati socii et cum CHRISTO ipsoque Deo penitus conspirabunt et inter se et cum coelitibus omnibus conjunctissimi erunt, et suam invicem omniumque perfectionem atque beatitatem in aeternum augebunt.

Conferri potest *Waarheid in Liefde*, 1841, IV, p. 726 seqq.

Hac igitur tam egregiâ et ad tam perfectam conditionem genus humanum adducente, Divinâ per CHRISTUM institutione omnibus viribus omnibusque animi studiis utamur, ut pro hocce beneficio summo Conservatori optimo Patrique amantissimo gratias et agamus et habeamus in terra coeloque aeternas!

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 12. linea 3. *pro* II Cor. III: 36. *legatur* II Cor. III: 3, 6.
— 52. l. ult. — Gen. XI: 6. ——— Gen. IX: 6.
— 53. l. prim. — Joël III: 1 seqq. ——— Joël II: 28 seqq.
— 63. l. antepenult. *pro* Gal. II: 8. ——— Gal. IV: 8.
— 64. l. 24. *pro* Joh. III: 15. ——— I Joh. III: 15.
— 74. l. 13. — Col. III: 18. ——— Col. II: 18.
— 75. l. 5. — Hebr. VI: 15. ——— Hebr. IV: 15.
— — post l. 13. *addatur haec annotatio:*

Iis, quae hac Obs. indicavi, rite perpensis videntur facile refutari, quae huic sententiae objecit J. MÜLLER, l. l. p. 142 seqq.

— 80. l. 7. *pro* I Joh. XV: 12. *legatur* I Joh. V: 12.
— 83. l. 7. *post* I Cor. V: 5, 11. *addatur* VI: 2.
— 90. l. 28. — Luc. XX: 37 seq. ——— I Tim. IV: 10.
— 113. l. 26. *pro* Matth. VII: 18. *legatur* Matth. VII: 12.
— 123. l. penult. *pro* Rom. VIII: ——— Rom. VIII: 28.
— 129. l. 20. *pro* Matth. XIV: 18. ——— Matth. XVI: 18.
— 151. l. 14. — I Cor. II: 1. ——— I Cor. XI: 1.
— 154. l. 23. — Gal. II: 28. ——— Gal. III: 28.

INITIA

INSTITUTIONIS CHRISTIANAE

MORALIS.

EDIDIT

L. G. PAREAU,

THEOLOGIAE PROFESSOR IN ACADEMIA GRONINGANA.

f 4 - 00.